EUGENII DE ROSA

DE LITTERIS LATINIS

COMMENTARII

AD CRITICAM ARTIS RATIONEM EXACTI

LOCIS QUIBUSDAM RETRACTATIS

ET LOCUPLETATIS

ITERUM IMPRIMUNTUR



PANORMI

APUD ACADEMICAM OFFICINAM TYPOGRAPHICAM

SERVORUM PAUPERUM

ANNO MDCCCCXLVIII

Tipografia Accademica « Boccone del Povero » Corso Calatafimi 327 Palermo

EUGENIUS DE ROSA

HENRICO COCCHIAE MAGISTRO SUO OPTIMO

S. P. D.

Periucunde mihi contigit, Senator amplissime, ut, cum infinito prope temporis intervallo tuae in me singularis benevolentiae penitus oblitus crederer, litterarum Latinarum commentariolos, quos in suburbana provincia Sicilia plane relegatus inque meis Drepanitanis otiis, ad animum a dolore quodam acerbissimo et molestis curis levandum, subsicivis horis et vigiliis conscripsi, tibi, doctissimo viro et magistro mihi gratissimo, in observantiae officiique significationem, ex studiorum meorum umbraculis mitterem et commendatos mandarem. Cogitanti enim mihi saepenumero, cui libellos, quos confeceram, sine timore et cum delectatione primo legendos traderem, cuiusque opera et consilio meam tandem vincerem naturam et quasi pudorem, quo vehementissime distinebar, ne in aliquam scholarum utilitatem evulgarem, tu dignissimus occurrebas unus, qui, et propter auctoritatem tuam in ceteris rebus summam, et propter singularem litterarum Latinarum amorem, perpetua omnium scriptorum lectione in dies auctum, a certo sensu et vero diligens et peracutum de iis iudicium ferres et pro tua humanitate, quam saepe antea perspexeram, ad typis eos edendos mihi fortasse animum adderes. En itaque auditoris tui et discipuli munusculum, quod etsi scirem, cum id tibi addicerem, quam esset parvum, sperabam tamen, si quid in te nimio silentio

peccavi, ipsa grata beneficiorum memoria et significatione veniam a te mihi esse certo impetraturum, et tibi etiam, quo in me semper animo fuisti, aliquid gaudii adlaturum, quod me novisses, ex tuis optimis et pro re et pro tempore datis consiliis, in humanis, quas vocant, litteris, solacium quoddam a dolore et tutissimum quasi portum invenisse.

In hanc vero voluntatem ut foras darem, quae tantum doloris levandi causa composueram, haud facile me induxi, nec forsitan umquam induxissem, nisi pro certo mihi esset compertum, talem hodie desiderari librum, qui, cum tot in dies proveniant vernaculo sermone conscripti, obsoletam maiorum nostrorum consuetudinem instauraret, ex qua Latinae res Latino tantum sermone pertractarentur. Incredibile enim est, quantum ad humanitatis studia augenda consuetudo illa conduxerit, siquidem, adhibita in rebus explicandis Latina usque lingua, eam discipuli sine taedio et labore verborum copiam et loquendi facultatem comparabant, qua, sensim sine sensu, tamquam adminiculo maxime necessario instructi, scriptorem quemque vel maximosque poetas, facile non modo cursimque perlegerent, sed in iis etiam peracute et cum sensu viderent. Quod cum mecum ipse recolo, subeunt in mentem mihi, singulari quadam animi admiratione, doctissimi et clarissimi viri illi, qui statim post renatas Latinas litteras et deinceps beatissimo et felicissimo Leonis Maximi saeculo floruerunt, Laurentius Valla, Franciscus Philelphus, Ambrosius Camaldulensis, Poggius, Politianus, Pontanus, Actius Sincerus, Petrus Bembus, Lilius Gyraldus, Hieronymus Vidas, Fracastorius, alii innumerabiles, qui, cum ad hanc bene loquendi Latine scribendique laudem incredibili studio incubuissent, sermone adeo puro vereque Romano uti assueverant, ut in aureo eorum orationis nitore et Tullius et Maro deprehendantur. In coetibus autem et conventibus, quos frequentissime inter se habebant, magnificas ex tempore de qualibet re orationes Latine pronuntiabant et finitos etiam

versus ex improviso factitabant, ut, si quis audivisset, Romanos eos, illo tempore natos, facile credidisset.

Quid vero nunc? cur accidere nunc saepissime solet, ut et eos quidem adulescentes, qui non sine aliqua laude, pro studiorum ratione, quae nunc est, secundum tenuerint studiorum cursum, statim atque a scholarum parietibus discesserint, non infideles modo in veteres amicos, hoc est in Latinos scriptores, sed ab iis refugientes et tamquam a malefica peste abhorrentes videamus? Adulescentes videlicet etiam istos, quia in auctoribus illis legendis interpretandisque perenni et gravi lexicorum auxilio satis incommode versati sunt usque, tanta, post peractum curriculum, vel dulcissimorum poetarum satietas tenere solet et molestia, tum profecto cum maximum ex illis fructum et voluptatem suavissimam capere possint, ut nihil sibi potius habere videantur, quam ut Romanorum libros respuant a seque procul abiciant et tandem se immani veluti Atlantis pondere gravatos liberent. Atque etiam qui in nostras litteras se conferunt, neque quantum profutura sit Latinorum lectio perpendunt, neque quanto iis, qui immortales sermone nostro libros ediderint, et auxilio et adiumento fuerit recordantur. Qui enim Italicus scriptor, vel qua aetate, ab originibus ad nos, vel quo litterarum genere aut summa aut aliqua laude viguit, quin in exemplaribus Romanorum pervolutandis assidue versatus sit? Dantem Aligherium praetermitto, poetarum omnium, qui quidem a primis hominum saeculis ad memoriam nostram extiterint, et singularem et quasi divinum, qui propterea quod Aeneida diligenter perlegerit, Virgilium, auctorem suum et magistrum appellat. Franciscum Petrarcham etiam praetergredior, qui ex Latinorum poetarum, oratorum, rerum scriptorum lectione — primus nam eorum libros, quos potuit, e bibliothecarum latibulis in lucem eductos indagavit — cum perpolitissimam illam hausit carminum fundendorum artem, quae in eius amatoriis versibus reperitur, tum etiam materiam

poematis illius deprompsit, propter quod ab aequalibus corona aurea donatus est. Atque etiam Ludovicum Ariostum missum facio, qui cum in mirifico poemate contexendo, quod « *Orlandus Furens* » inscribitur, fabulas a Latinis et deverticula mutuatus esset, eadem illud sermonis elegantia et concinnitate composuit, quam ab illis, tum eorum carmina legens, tum eos antea, cum Latine versus conderet, imitatus, in primis didicerat. Auctores ceteros et claros, qui patrum nostrorum aetate et memoria nostra fuerunt, omitto, qui ad perfectionis suae fastigium omni ex parte cumulatum ea de causa pervenisse videntur, quia nihil quod ad penitus cognoscendas Romanorum litteras et artes pertineret, non exploratum et cognitum haberent. Verum tamen silentio praeterire non possum poetam nostrum novissimum, qui tantum inter aequales humanis studiis praestitit, ut non semel aut iterum sed ter decies in poeticis certaminibus, quae quotannis ab Academia Regia Disciplinarum Nederlandica indicuntur, et praemium aureum et magnam laudem reportaverit. Iohannem Pascolium nomino, cuius mortem eo vehementius animo doleo, non quod ipse maturior suo fato concesserit, cum iam pro suo ingenio bene beateque vivere posset, sed quod Italia, Musarum domus, alienissimo Latinis litteris tempore, quo maxime omni fere divini carminis pabulo indigerent cives, tanto litterarum ornamento atque praesidio privata est et penitus orbata. Renovaverat nimirum Pascolius maiorum nostrorum decus et nomen, Augusti tamquam e saeculo in aetatem hanc demigratus poeta, qui gravia hominum quaeque et tristia et acerbitatis plena in se unus omnia quasi perferret et communi omnium eorum doloris sensu concineret. In Romanorum quoque scriptorum lectione Iosue Carduccius assidue versabatur, qui, me puero, floruit et quasi in litteris nostris regnare visus est; Latinorum enim vestigia et ipse ab adulescentia ingressus, ex Horatii praesertim, ex Catulli Virgiliique carminibus, non sermonis modo

venustatem et versuum ex brevitate pedum et proceritate condendorum didicit artem, ad quam interdum in carminibus sermone nostro fundendis se conformavit, sed ex perenni eorum meditatione atque commentatione, ardorem animi, quem a natura acceperat, adeo elatiorem et paratiorem in gentis nostrae laudes celebrandas effecit, ut carmina, quae in patriam a servitute vindicatam ad pristinam dignitatem promovendam composuit, antiquitatis formam quandam et speciem impressam referrent, redolerentque vernaculo sermone populi Romani maiestatem.

Quid igitur tam multa de poetarum nostrorum in Latinos amore et studio? Etenim cum tam multi viri doctissimi sint, et tu, in illis praecipuus, qui in hanc sententiam conveniant, litteris videlicet nostris valde semper profuisse Romanorum scriptorum lectionem, vereor ne in hac causa defendenda — quanta autem auctoritate fecerim nescio — vel satius necessario perorasse, vel potius, quod has litteras et librum ad te miseram, hominem illum stultum imitatus esse videar qui vasa sua Samum inepte ferret. Memini enim id quod rescribo, mihi saepissime a te esse repetitum atque etiam primum ad litteras Latinas aditum summa diligentia esse patefactum, qua utinam et ego in auditorum meorum utilitatem utar. Utinam quomodo ab specie difficultatis illa, quam prae se fert Romanorum sermo, facile tu me eripuisti, ita et ego auditores meos liberem! utinam eos cum maiorum litteris in gratiam reconciliem! Quocirca est mihi, ex hac etiam parte, cur maximas, quoad vivam, tibi gratias habeam. Quotiescumque enim praeteriti temporis memoriam repeto — quod quidem aetate iam inclinante et fere ingravescente saepissime mihi contingit — felicissima adulescentiae tempora subeunt mihi, cum tu, summa industria summaque cura litterarum disciplinam omnem et rationem in ista Neapolitana Academia tradebas et nobis audientibus, modo in rerum scriptoribus quid veri, quid vel falsi vel incerti inesset, per-

diligenter inquirebas, modo carmina lyricorum poetarum, fabulas tragicas comicasque, philosophorum doctrinas, oratorum contentiones, tanta arte et sententiarum copia explanabas et fecundissime illustrabas, ut uberrimos cum condiscipulis ex notationibus tuis sapientiae fructus ceperim. Qui et quot inde rerum eventus! Qui varius et longus annorum decursus! Ut primum potero te Neapolim salutatum veniam. Accipe interea librum, qui certiorem te profecto faciet, si id quidem erit opus, me tui usquequaque memorem esse et semper fuisse. Vale, Senator optime et dulcissime Magister, eodemque in posterum ac prius arctissimo observantiae vinculo et grati animi sensu me tecum tene fore coniunctum.

Scripsi Drepani a. d. XI Calendas Maias anni p. Chr. n. MDCCCCXXVII

A libris hisce denuo imprimendis, quamvis viri docti nonnulli cum nostrates tum etiam peregrini, qui Romanorum cultui et humanitati asservandis operam navant, me sollicitarent, difficultates quaedam vel animus ipse meus ad hanc diem prohibuit. Noveram ab emptoribus et bibliopolis libellos desiderari; at potestate praetoria, quae apud nos fasces dicta est, magis magisque in animos civium universorum urgente — en dolorem atrocissimum et curam molestam, quibus angebar — misellos nolui e liberioribus animi sensibus ortos notis et iudiciis censoriis subicere, si iterum in lucem edere constituissem. Post atrocissimum bellum, quod per terrarum orbem discurrens alteros in alteros populos inflammavit, ex quo nos eheu! victi discessimus, libertatem in rebus saltem nostris, rempublicam imminutam, nos ipsos etsi ad inopiam actos aliquomodo recuperavimus. Est igitur, nummariis difficultatibus superatis, cur libros tandem ad superiorum scholarum usum atque commoditatem evulgem.

Drepani Id. Oct. anni MDCCCCXLVII. E. D. R.

LIBER PRIMUS DE LITTERARUM LATINARUM INFANTIA AB URBE CONDITA AD DXIV ANNUM QUO ANDRONICUS ROMAE PRIMAM FABULAM DOCUIT

LITTERARUM LATINARUM TEMPORA

I. In ipso operis prooemio liceat mihi, pro ratione rei pertractandae, quam Graeci methodum vocant, litterarum varia Latinarum tempora notare, quae in singulis ex ordine libris prosecuturus sum, ut statim ab initio aetates omnes et partes Romanaeque simul linguae gradus uno tamquam in conspectu inspiciantur. Nam cum varium nobis et longum iter mille ducentorum amplius annorum faciendum sit, utile et opportunum equidem censeo lapides quosdam militari ut in via collocare, qui non secus ac in itinerariis pictis, quibus viatores utebantur, spatia temporum certis dividant numeris atque loca quasi indicent, quibus paulisper inter eundum consistere datum sit in studiorumque quasi deversoriis commorari, quoad vires ex fatigatione reficiantur. Ex maiorum ita nostrorum consuetudine, totam litterarum Latinarum aetatem ad hominum vitam dimetiar et describam eamque in infantiam, adulescentiam, maturitatem, senectutem, senium distribuam. Perveterem item ex rhetorum usu litterarum in genera partitionem servabo, quae, quamvis hodie a multis litteratissimis hominibus tamquam obsoleta et mente ficta exprobetur, ad ordinem et perspicuitatem, etiamsi tanta sit scripturarum varietas et forma, quam maxime confert et conducit. Ceterum mihi numquam persuaderi potuit, cur genera haec repudiari debeant. Non enim ea, ex legibus quibusdam et praestitutis quasi antea formis, derivata esse contendimus, ad quas poetae suis in operibus condendis se conformaverint; sed genera ex similitudinibus et notis, quas inter se communes habent opera, pro uniuscuiusque auctoris

ingenio et arbitrio iam antea scripta, deducimus. Eandem scilicet in hac re rationem sequimur, qua in rebus naturalibus perscrutandis et in genera sua collocandis utuntur rerum naturae inquisitores, qui in rebus alia omnibus communia, alia propria singulis deprehendunt, ut formam. structuram, descriptionem, colorem, usum, ut partium conformationem, ceteras huiusmodi notas; quibus inspectis, res cunctas, quae in natura sunt, tum homines et bruta, tum arbores et stirpes, tum inanima et metalla, in genera distribuunt et in species partiuntur. De litterarum generibus igitur et partibus ita loquar, ut definitis temporum ordinibus, poeticis, epico, lyrico, scaenico, minoribus, quae dicuntur, primum tribuam locum, ceteris vero, historiis, orationibus, sapientiae libris, in quibus sermo solutus adhibetur, secundum assignem.

II. Prima litterarum Latinarum infantia ad vetustiora illa saecula pertinet, quae a populi Latini incunabulis ad annum post Urbem conditam DXIV sunt, vel — ut Christiana utar etiam annorum numerandorum ratione — ad CCXL a. Chr. n. annum; quo anno Livius Andronicus primam Romae fabulam docuit. Hoc satis longo temporis intervallo rudes et inconditae fuere res omnes; etenim, cum priscos Romanos extruendae Urbis atque agrorum colendorum cura primum regibus dominantibus, deinde multos annos sub consulibus civiles de iure aequando contentiones et bella cum finitimis gerenda domi militiaeque occupatos tenuissent, haud satis temporis iis reliquum fuit, quod in bonis litteris colendisque artibus ponerent. In armis ergo et comitiis, in conserendis agris, in nuptiis et funeribus celebrandis, longiorem, quam quae hominum est, Latinae litterae infantiam et pueritiam suam exercuerunt. Eius vero aevi monumenta, si quae litteris mandata fuerunt, partim combusta a Gallis periere, partim vetustate ipsa absumpta sunt, praeter illa, quae lapidibus inscripta in lucem e terris provenerunt et praeter pauca duodecim tabularum fragmenta hinc illinc ex recentiorum scriptorum notationibus in unum collecta.

Virili quasi toga a Livio Andronico sumpta, mira quadam pernicitate, gradus primos ad artem et perfectionem fere in generibus aliis Romani fecere, in aliis vero veluti prima semina condiderunt, ex quibus postea uberrimi provenerunt fructus. Novus quidem et valde laudandus hic Latinarum litterarum ortus! Etenim, cum populus Romanus longe lateque per terrarum orbem arma in gentes omnes inferre coepisset acerrimeque cum Carthaginiensibus de rerum omnium imperio ad internecionem decertavisset, tantam litterarum copiam protulit, quantam nulla umquam gens, quae in armis assidue versaretur. In hanc enim litterarum adulescentiam, quae a Livio Adronico centum quinquaginta duo annos ad annum DCLXVI conditae Urbis, vel ad LXXXVIII a. Chr. n. patet — quo anno in fori lucem Cicero procurrit — praeter Andronicum, Naevius, Ennius, Plautus, Terentius, Lucilius, Cato, Cethegus, alii multi inciderunt, quorum opera balbutientes ad id temporis litterae ad usque fere maturitatem adolevere.

adulescentia

III. Absolutam tamen et undique expletam Latinae linguae elegantiam, copiam, gravitatem virilis aetas profudit, quae Ciceronis et Augusti memoriam complectitur. Pertinet enim ab anno Urbis conditae DCLXVI ad annum p. Chr. n. XIV. Hoc itaque centum amplius annorum intervallo, postquam Romani orbem terrarum fere omnem subiecerunt, perinde ac si cum Graecis de litterarum quoque laude contendere vellent, vel quid in litteris, quid in artibus, quid in ceteris disciplinis possent, in se experirentur, tanta industria et diligentia in generibus omnibus versati sunt, ut ingenii sui monumenta non ad eam solum aetatem, sed ad omnem posteritatem illustrandam ediderint. Testes sunt et Cicero, et Caesar, et Sallustius, et Livius, et Varro, qui orationem solutam in suis libris adhibuerunt; testes Lucretius quoque atque Catullus sunt, Virgilius Horatiusque, praeterea Tibullus, Propertius, Ovidius, ceteri minores, qui tam multa

maturitas

et pulcherrima carmina fuderunt. In duas partes haec aetas dividi solet, quarum alteram Ciceronianam appellamus, alteram autem Augusteam. Illa civilibus contentionibus insignis, quas cives in partes divisi, alii pro libertate Romana, alii in eandem pugnantes, fecerunt; in altera autem, simultatibus omnibus superioris temporis remissis, pacis artes, novi cuiusdam aevi lumine, pacatam Urbem gentesque subactas mirabiliter illustrarunt.

senectus

IV. Virilem aetatem maturior quaedam litterarum ceterarumque rerum prima senectus excepit. Centum enim annis, qui inter Augusti obitum et Traiani mortem intercedunt — hic autem obiit anno p. Chr. n. CXVII — cum bellorum cum gentibus causae et quasi materia deficere coepissent, ea morum, institutorum, reipublicae immutatio facta est, ut festinanter Romanae litterae consenescerent et ad senium quasi properarent. Iam enim, Tiberio imperante, propter effusam saeculi licentiam, Romani scriptores, veteris obliti libertatis, animum cum ceteris civibus dimiserant atque, furtunis suis prospicientes, in celebrandas principum laudes tutius sese converterant. Hanc praesertim ob causam factum est, ut Latinae linguae maiestas in adulatoriam et paene servilem formam degeneraret viresque et nervos amitteret. Probabiliores etiam huius aetatis scriptores litterata quadam senectute laborant in eorumque scripturis effracti animi et quasi vitae taedium spirat. Seneca, Lucanus, Quintilianus, etiam cum in sapientium et eruditorum umbraculis, vel oratorie vel poetice declamitant, languorem quendam et remissionem sapiunt. Meliora constantis animi vestigia et probitatis in Persio, in Iuvenale, inveniuntur; maxima autem in Tacito, qui eo se et alacri et erecto in imperatorum invidiam animo praeditum exhibet, ut meliore aevo dignus videatur.

A Traiani verum deinceps obitu ad senectutem extremam Romanae litterae decurrerunt. Non enim genera tantum

defloruerunt omnia, sed sermo Latinus ea barbarie infuscatus est, ut quasi diversus videretur. Fuerunt tamen hac quoque extremae senectutis aetate, tamquam in nocte tenebris offusa, lumina quaedam, in quibus litterarum Latinarum vires defecerunt. Re enim Romana ad fortunam extremam iam collabente, Ausonius, Rutilius, Namatianus, Marcellinus cum iisque iurisconsulti nobilissimi extiterunt, in quos Romanorum gloria desiit et nomen. Paucis enim post eos annis, nimirum CCCCLXXVI p. Chr. n., Urbs in Odoacri imperium venit.

senium

DE ROMANORUM REBUS PRIMA AETATE GESTIS

V. Circa antiquissimum tempus, quo ex commenticiis poetarum fabulis urbem Romam a geminis fratribus, Romulo et Remo, Martis Rheaeque sacerdotis liberis, prope Tiberis ripas, aratro signatam esse colligimus, amplissimam et pulcherrimam Europae partem, Italiam, multae iam gentes et nationes occupaverant, quae etsi omnes, ut videtur, ex eadem hominum stirpe essent prognatae, valde tamen et lingua, et moribus, et institutis, vitaeque cultu et humanitate inter se differebant. In Romae finitimis tunc temporis Latinorum civitates, Volsci, Aequi, Etrusci opibus armisque prae ceteris valebant, quibuscum, statim ac Urbs paulo ante exaedificata coepit et vigere, de totius Latii imperio decertandum ab ipsis conditoribus fuit. Bellum ergo cum Albanis in primis memorabile gesserunt, sive propter singulare trium Horatiorum illud cum Curiatiis trigeminis certamen, sive quia populus Romanus urbem, a qua originem duxerat, quadringentorum quasi annorum opus, solo adaequatam excidio ac ruinis dedit. Qua re béne acta, adeo Romanis animus crevit, ut cum ceteris Latinis primum, deinde etiam cum Volscis, cum Aequis, cum Hernicis, denique cum Etruscis, Marte secundo, arma consererent, quoad, prolatis ad usque Galliam

vetustiores Italiae incolae

Romanorum bella cum Latinis et ceteris gentibus

Cispadanam finibus, fortuna ita eos dereliquit, ut Urbs ipsa armis capta incendio vastata sit. Quae cum statim in integrum esset restituta, cumque se ex pavore populus Romanus recepisset, bellum non in Gallos modo, sed et in gentes alias, quae metu defecerant, tanta vi armorum animique constantia redintegravit, ut ferocissimas illas omnes nationes in suam potestatem redegerit. In Samnites autem, post aliquot annos, qui Campaniae ex montibus suis minitari videbantur, triplex bellum ex ordine gessit, eosque cum devicisset, faciliorem sibi ad Maiorem Graeciam aditum patefecit. Occasionem itaque, ut primum potuit, populus Romanus nanctus, in Tarentinos arma intulit, qui omnium in Italia Graecarum urbium quasi duces erant, Pyrrhoque Epiri rege profligato, qui Tarentinis auxilio venerat, amplissimam urbem Tarentum, litteris et artibus insignem deliciisque in primis affluentem, facili occupatione tenuit ab eaque civitate Graecorum cultum et humanitatem primo didicit. Paucis inde annis cum Carthaginiensibus primum bellum bene confecit, Siciliaque insula occupata, gentibus omnibus ostendit nullam fere esse terram in orbe, ad quam, si vellet, non posset accedere.

domesticae res

VI. Fuerunt haec quoque primorum, cum in bene describenda, tum in civitate recte administranda, incrementorum pulcherrima tempora. Etenim, cum Urbis integritati atque fortunis haud satis consultum esse videretur, quod eam amplissimis moenibus, fossis, exercitibus communivissent, iis etiam legum et institutorum praesidiis pro necessitate rerum hominumque inclinatione, quingentorum annorum spatio corroboraverunt, ut aut melius, aut latius, aut maturius, res omnes et publicas et domesticas tueri non possent. Ut primum itaque Urbs condita est, multitudine civium in curias et tribus divisa, patres a regibus ipsis creati sunt, quorum consilio prudentiaque civitas regeretur. Regibus autem pulsis, quod superbe et crudeliter dominari coeperant, creatisque binis in singulos annos consulibus, qui rempublicam admi-

nistrarent, cum novae inter optimates et plebem, de iuribus aeque condendis dividendisque agris, dissentiones acerrimae ortae essent, tribunicia illa potestas creata est, cuius beneficio populus, et ad partem imperii sibi necessariam accessit, et iura sua paulisper et per gradus ad aequabilitatem est tamdem adeptus. Magno ad rempublicam in posterum firmandam momento fuerunt tabularum leges, quibus quam maxime Romani e fera agrestique vita ad humanitatem, ad mansuetudinem, ad iustitiam promoti sunt. Ex Romanae sapientiae monumento, quod legibus XII tabularum continetur, patet manifesto quanta fuerit, in maioribus illis, et probitas, et fides, et animi gravitas, et constantia, quibus tanto Graecos ceterasque gentes praestiterunt, ut nulla alia natio sit cum iis comparanda. His tamen de causis factum est, ut, cum primo in condenda describendaque Urbe versati essent, deinceps autem in perennibus bellis conficiendis, in institutis publicis privatisque creandis firmandisque, in iuribus et legibus ferendis statuendisque moribus essent impense occupati, per totum temporis spatium, quod a primis Urbis incunabulis ad bellum Punicum pertinet, vel omne litterarum genus prorsus neglegerent et contemnerent, vel tantum in eo operae ponerent, quantum ab illis rebus reliquum esset. Extant tamen huius aetatis monumenta, in primisque sermo ipse, quem iuverit ante omnia indagare, ut in eo Romanorum imaginem quasi expressam videamus.

leges et iura

DE LATINI SERMONIS ORIGINE ATQUE NATURA

VII. Cum igitur prima litterarum elementa in ipso sermone posita sint, quo homines, tamquam materia quadam communi, et ad colloquendum inter se, et ad scribendum utuntur, mihi litterarum Latinarum incrementa a primordiis prosecuturo, quaedam summatim de Latinae linguae origine

Italici sermones ab Arianis

praemittere peropportunum est visum. Fuit igitur olim sermo Latinus, quemadmodum ceteri, qui apud Umbros, Sabinos, Oscos, Etruscos, apud ceteros Italiae populos floruerunt, iuris plane sui, ex prima multarum gentium colluvione in Latio natus, populari convictu deinde communique rerum tractatione auctus. Hi autem sermones omnes, si Etruscum excipias, de cuius natura satis parum constat — ob diversam enim litterarum formam vix legi quidem potuit — communem habent ab Arianis originem. Cum his affinitate quadam et quasi arctissima sanguinis cognatione, etiam Graecorum linguae coniunctae sunt, quod ex recentioribus philologorum disciplinis, tot tantisque verborum similitudinibus et nexibus comprobatum est, ut sermones omnes Italorum et Graecorum uno generatim nomine «*Pelasgici*» appellati sint.

sermonis progressus

Post Urbem conditam igitur, prolatis ad extremas Italiae partes finibus, gentibusque subactis, Romanorum quoque lingua superior evasit sermonesque ceteri paulatim a Latina hausti absumptique evanuerunt. Attamen cum rudis initio, nec satis sibi constans lingua esset, eas in se verborum mutationes excepit, tot novis et a se alienis et incognitis et peregrinis vocabulis aucta est, ut, auctore Polybio, antiquissima monumenta, ne Scipionum quidem temporibus, certo sensu suo et naturali significatione ab hominibus etiam doctissimis perciperentur. Stabilitatem quandam et conformationem suam definitam tum habere lingua Latina coepit, cum populus Romanus a Graecis, quos armis ceperat, illecebris litterarum, artium, disciplinarum invicem captus, leges etiam orationis solutae est mutuatus. Deinceps cotidianus quoque sermo ab eruditis eximia verborum abundantia augeri, concinnitate, elegantia perpoliri atque exornari coeptus est, quapropter a vulgo Scipiones, quod nimis exquisita diligentique cura peregrina in colloquendo verba adhiberent, ut putidi ridebantur; factum tamen inde est, ut ad Romanorum ingenium accommodata sermonis dignitas et quasi maiestas provenerit.

Polyb. III. Ἱστορ. 22

VIII. Sed novae et doctae sermonis elegantiae, cum essent e Graecorum fontibus ascitae, qui a multitudine ignorarentur, in doctissimorum hominum ore sese continuerunt, neque in civitatem universam profluxerunt. Hac autem de causa accidit ut duobus sermonibus, inter sese fere diversis, una in civitate cives uterentur; altero videlicet vulgari et communi popellus tunicatus, altero autem et urbaniore et elegantiore cives boni atque optimates. Discrimine itaque inter utrumque sermonem magis magisque in dies aucto, eo post aliquot annos ventum est, ut homines docti docte loquentes a vulgo non sine difficultate intelligerentur. Multitudo civium, cuius nihil litterarum intererat, veterem sermonem suum retinuit, quem postea una cum imperio in terrarum fere omnium orbem propagavit. Ex hoc autem sermone, pro varia gentis cuiusque in proferendis immutandisque verbis ratione, recentiorum populorum linguae prolapsae sunt, quae vulgo « *neolatinae* » appellantur. Eruditi vero homines, poetae, oratores, rerum scriptores, qui cogitationes suas litteris mandare instituerunt, urbaniore illo sermone usi sunt, qui in eorum libris invenitur. Mediam tamen, ut par est, inter litteratos et plebem fabularum scaenicarum conditores viam et rationem ita tenuerunt, ut utrorumque ingeniis eruditorum et illitteratorum hominum in theatris populariter indulgerent.

Sermones duo alter vulgaris urbanus alter

DE ANTIQUISSIMIS EPICORUM CARMINUM VESTIGIIS

IX. Nativum quoddam insitumque in Romanorum animis, quantum ex rerum monumentis hodie suspicari licet, epicorum carminum genus antiquissimis Urbis temporibus floruisse censemus. Quamvis enim nullae hodie sint eorum reliquiae et Ciceronis aetate, iam vetustate deperditae, desiderarentur, ad genus hoc profecto referebantur carmina illa, quae, Cicerone auctore, convivae ad tibicinem de clarorum hominum virtutibus in epulis canere solebant. Quid enim

Carmina convivialia

in hominibus illis antiquis, qui uni armorum laudi studebant, aliud esse poterat carmina de laudibus canere, quam, quae res gestae ab epicis poetis celebrantur, eas item de fortissimis viris Romanis deque bellorum ducibus mirifice ementiri? Poterantne, populo Romano audiente, aliud, etiam si voluissent, praeter arma, versibus praedicare? Ceterum nihil, apud Urbis conditores, a Marte prognatos, qui bello tantum, caedibus, armis delectabantur, aut honestius, aut laudabilius, aut praestantius esse poterat, quam hostium interneciones et pugnae, quae in carminibus epicis in primis laudantur. Haec autem carmina, cum in conviviis vel voce tantum, vel a convivis ipsis et a pueris quibusdam ad tibiam modulate recitarentur, «*convivialia*» dici solebant. Ad genus idem spectabant etiam carmina, quae a militibus, in triumphis agendis, concinebantur. Bellis enim bene confectis, imperatores, qui hostes devicerant, magno et militum et civium concursu, ad persolvendas grates in deorum templa triumphantes adducebantur. Milites autem, qui domum revertebantur, per Urbem imperatorum laudes, vel etiam ignominias, obscena quadam licentia et verborum dicacitate clamitabant, ut crebro cantilenam illam «*Io triumphe, io*» victoria exultantes iterarent.

Cic. I. Tusc. 2

Triumphalia carmina

Liv. III. ab. Urb. cond. 29; IV., 20 et 53; passim alibi

X. Atque etiam laudationes funebres numeris verborum quibusdam adstrictae, quibus «*neniae*» nomen, ad carminum epicorum genus accedebant. In funeribus enim clarorum virorum, circa corpora cremanda, in parentalibus, in silicerniis, mortuorum laudes cantu ad tibicinem puellae quaedam maxima religione prosequebantur. Id autem vox ipsa nenia indicare videtur, siquidem a Graeca voce cadit, quae flebilem cantum significat. Post multos annos tamen, cum mulierculae quaedam pretio conductae, multis feminarum querellis et lacrimis in mortuorum elogiis recitandis adhiberentur, eodem vocabulo ineptum quodlibet et inconditum et translaticium carmen indicatum est. Ex carminibus his sive convivialibus,

Funebria carmina seu neniae

Cic. II. de Leg. 24

sive etiam triumphalibus et funebribus, tamquam ex seminibus in inculto solo conditis, verisimile est fabulas illas provenisse, quae in Ennii Naeviique carminibus continebantur, aliasque praeterea nonnullas, quae in vetustissimis rerum monumentis vel adumbratae, vel memoratae inveniuntur. Testem Livium ipsum exhibeo, qui, etsi in suis libris tam multa enarret, quae aut penitus incredibilia sint, aut a certa fide haud multum abhorrentia, negat tamen se omnia referre, quae de Latinorum origine deque Urbis incunabulis tradebantur. « *Quae ante conditam condendamve urbem* » ait « *poeticis magis decora fabulis, quam incorruptis rerum gestarum monumentis traduntur, ea nec adfirmare nec refellere in animo est. Datur haec venia antiquitati, ut miscendo humana divinis primordia urbium augustiora faciat* ». Poetarum itaque more ficta videntur, quae de Iano, de Saturno, de Evandro narrabantur, tum multa alia, quae de Romulo, quae de Mettii Fufetii morte, quae de Tarquiniis, de Lucretia, de Bruto Collatinoque, quae de Horatio Coclite, de Scaevola, de virgine Cloelia, de Coriolano Camilloque, de multis viris in Livio maximis laudibus celebrata leguntur.

Liv. prooem.

DE EXORDIIS CARMINUM LYRICORUM

XI. Ad patrium cultum deorum, qui antiquitus colebantur, carminum lyricorum exordia pertinebant. Etenim cum Numa rex, Aegeriae Nymphae hortatu, dies quosdam festos in singulos annos in Martis honorem celebrandos constituisset, carmina quaedam composita sunt, quae Salii sacerdotes, per Urbem catervatim discurrentes, concinerent. In sacris igitur, quae mense Martio agebantur, Salii duodecim, ex ordine patricio delecti, tunicis pictis induti ornatique praetextis, aenea ancilia in sinistra ferentes, Martem armorum praesidem, ut propitius Urbi adesset, inclinata voce ululantique invocabant cum tripudiis solemnique saltu

Saliaria carmina

Mamurium eum appellantes. Invocationes itaque deorum immortalium in primis Romanorum carminibus recensendae sunt, quarum aliae« *axamenta*» seu «*indigitamenta Ianualia*» aliae autem « *Iunonia* » aliae « *Minervia* » aliae denique alio nomine e deorum nominibus nuncupabantur. Ut autem Salii Martem publice precabantur, quod Romulum et Remum, auctores Urbis, ex Ilia genuisset, ita Fratres Arvales Cererem, frugum inventricem, colebant, quae agrorum colendorum artem et boum domandorum rationem primo homines docuisset. In eius autem sacris celebrandis in lucum deae Diae ad V ab Urbe lapidem prima luce conveniebant ibique, victimis immolatis, carmen illud precationis inter alia concinebant, quod lapidibus inscriptum maiorum nostrorum industria repertum est :

Axamenta

Varr. IV. de Ling. lat. 15.

Enos, Lases, iuvate.
Neve lue rue, Marmar, sins incurrere in pleores.
Satur fu, fere Mars, limen sali, sta berber.
Semunis alternei advocapit conctos.
Enos, Marmar, iuvato.
Triumpe, triumpe, triumpe, triumpe, triumpe.

Duodecim sacerdotibus hoc collegium constabat, qui spiceam coronam, vitta alba alligatam, pro insigni gestabant; in praecipuis enim muneribus Fratrum Arvalium erat, ut de bonis frugibus spicisque metendis, ineunte vere, suppliciter Cererem rogarent.

Plin. XVIII. Nat. Hist. 2.2.

XII. Ad idem genus spectabant quoque ceterorum deorum rogationes. In his adnumeranda sunt virginum Vestalium indigitamenta, quae ad ornatas Apollinis aras concinebantur, quotiescumque Pontifices Maximi rerum futurarum responsa ab eo sciscitaturi erant; tum etiam sacerdotum et plebis cantilenae quibus, in auspiciis sumendis, Lemures, hoc est mortuorum umbrae, placabantur; tum denique cantica, quae

a militibus pugnas inituris, ut sibi Iovem Statorem conciliarent, sive inter procurrendum, magnis clamoribus ululabantur. Haec quidem carmina, aliaque huiusmodi multa, quorum passim apud rerum scriptores et poetas mentio est, re adhuc Romana integra stante, vetustate ipsa evanuerunt. Vestigia tamen haud pauca in Romanorum litteris apud Virgilium, Horatium, Ovidium, apud alios et multos poetas inveniuntur, quibus carmina sua ita ad maiorum rationem conformare placuit, ut antiquitas in iis redoleat et quasi spiret.

Alia carmina precationis

DE SATIRARUM ET FABULARUM SCAENICARUM ELEMENTIS

XIII. Eodem tempore, vel ab ipsis fere Urbis incunabulis, aliud carminum genus ab his, quae modo memoravi, prorsus diversum effloruit. Solebant enim maledici cives quidam, vel per concubiam noctem, vel diluculo primo, ad fores clarissimorum hominum accedere, ibique vel petulantius ad convicium, vel facetius ad urbanitatis modum, vociferationes cantiunculasque nugatorias edere, quibus illorum vitia et mores dicacissime carperent. Cuius consuetudinis cum bonos cives pertaedere coepisset, lex in nocturnos conviciatores et obtrectatores condita est, quam ex XII tabulis Cicero apud Augustinum memorat. « *Nostrae XII Tabulae* » inquit « *cum perpaucas res capite sanxissent, in his hanc quoque sanciendam putaverunt siquis occentavisset, sive carmen condidisset, quod infamiam afferret, flagitiumve alteri* ». Nimirum ita molesti et graves cantilenis illis et maledicis carminibus civitati universae occentatores facti sunt, ut decemviri, in irrogandis legibus, capitis poena eos multatos voluerint.

Occentatores urbani

Aug. II. de Civ. Dei 9.

Ad obtrectationes huiusmodi, quae urbanae appellabantur, quia in usu apud cives Urbis erant, rudiores aliae accedebant in municipiis apud rusticanos homines natae. Etenim agrestes etiam coloni et agricolae, in celebrandis vindemia-

libus feriis, in quibus Bacchum rite laudationibus prosequebantur, vultum instar personae, cavatis quibusdam arborum corticibus ornati, vel minio picti, alteri alteros ad laxandos animos petulantius ridere consueverant. Genus hoc rusticani convicii, quod speciem carminis scaenici ex alternis sermonibus induebat, Fescenniae, in Etruriae municipio, validis fumosisque vinis abundantissimo, suam habuit originem, qua re antiquitus iam carmen Fescenninum appellatum est.

Occentationes rusticae et Fescennini versus

XIV. Fescennini versus Romanis quoque, qui iam diu noverant, multum placuerunt, quo factum est, ut, cum occentationes ad fores civium prohibitae essent, in earum locum succederent. Noverant autem Romani incompositum hoc carminis genus anno Urbis trecentesimo nonagesimo, cum, Sulpicio Petico Licinio Stolone coss., ab histrionibus quibusdam, ab Etruria arcessitis, ludi scaenici primo Romae acti sunt, quasi caelestis irae placamina, quibus civitas a gravissima pestilentia liberaretur. Post id tempus igitur, cum in Romanorum consuetudinem venissent frequentius, quod animos risum movendo relaxarent, cumque non in festis tantum diebus agendis, sed in nuptiis quoque aliisque sollemnibus et publicis et privatis adhiberi coepti essent, ad Romanorum ingenium ita sensim sine sensu se accommodaverunt, ut novum quoddam fabulae salticae genus ex ipsis natum videretur. Quod quidem genus cum diutius apud plebem floruisset, cumque iam ex usu artem et rationem quandam definitam et urbaniorem assumpturum esset, eae et morum et litterarum condiciones partae sunt, quibus penitus silentio damnatum ad usque fere Caesaris saeculum conticuerit, posteaque, embolii tantum instar inter scaenas agendas, aut tamquam exodium ad exhilarandos animos vehementi dolore aliquo affectuque turbatos post fabulas tragicas, prodiret.

Liv. VII. ab Urb. con. 2; Val. Max. II Fact. Mem. 4.

XV. Ad eadem fabularum scaenicarum initia, quae nunc pervestigamus « *mimi* » etiam et « *pantomimi* » referendi sunt,

qui quarumcumque personarum acta et dicta, alii alia tamen ratione, ita prosequebantur, ut nullam fabulae constitutionem, ut nullum ordinem, ut nullum denique illi praestitutum exitum haberent, tantumque subitis diverbiis et dictionibus mimorum in scaenis contexendis inter agendum mandarentur: pantomimi vero, nullis inter personas sermonibus alternis adhibitis, mutam quasi actionem ederent, eamque unis corporis motibus, signis, gestibus significarent. Pantomini itaque, qui in scaenis saltabant, pro sua quisque corporis celeritate ludicraque arte, ita artus et membra, ita caput, ita os, ita oculos movebant, ut modo aut annuendo aut abnuendo, modo etiam inter se pugnis, calcibus contendendo, modo scurrilia et obscena significando gestorum tantum adminiculis commode opportuneque usi, sententias suas usque aperirent, spectantiumque risum, cachinnos, clamores concitarent. Interdum vero, ut hilaritatem augerent, clarissimorum etiam virorum, qui spectandi causa in theatris sederent, a ludionibus in scaenis agebatur imitatio, qua eorum incessus, corporis habitus, figura, vocis sonus ad unguem redderetur et per effigiem quasi repraesentaretur. In antiquis extant fictilibus vasis ludionum figurae, pulcherrime pictae, ex quibus mimorum res et argumenta cognoscimus, quae in mimis ridebantur.

Mimi et Pantomimi

Diomed. 3. p. 487 et segg.

XVI. Per idem fere tempus, aliud fabularum genus in flore fuit, quod quidem, non Romae, sed Atellae, in maledicentissimo Campaniae oppido, ortum esse scimus. Iocosae erant et incompositae istiusmodi fabulae, quarum vis tota erat in arte et dicacitate histrionum posita. Praestituto enim tantum actionis peragendae contextu, fabula ex sermonibus personarum ex tempore fusis, ita conficiebatur, ut robur eius ex colloquentium facilitate et celeritate penderet. Ex longa iocorum inveniendorum consuetudine, qui ad concitandum risum valerent, sponte sua quasi definitae quaedam et in omnibus fere sibi semper constantes personae absque ludionum voluntate conformatae sunt, in quibus *Maccus*, *Bucco*,

Fabulae Atellanae

Liv. VII. ab Urb. cond. 2.

Pappus, *Dossennus* adnumerantur. Fatuus et stolidus homo quidam primus, nugator insignis, verborum et minarum ditissimus, ita tamen ut, oblata sibi rixandi occasione, expeditiorem se accipiendis quam paratiorem dandis verberibus ostenderet. Secundus autem, Bucco, quasi immensa aliqua vorago aut gurges ciborum, ridendam parasiti personam gerebat, qui implendorum faucium causa alienas assidue mensas insectabatur quique, multa cum de se praedicaret ceterosque aspernaretur, eo reapse et ignavo timidoque animo erat, ut, si quem vel nequam vel frugi hominem unis verbis periclitatus esset, eum vehementissime pertimesceret quamque celerrime fugeret. Pappus vero tertius eius senis partes agebat, qui, cum ingenio et natura sua sordidissimus et avarissimus esset, propter libidines tamen suas et amores, puellis, lenis, moechis indulgens, ingentes istarum nutu sumptus faceret. Quartus denique, Dossennus, foedissimo aspectu atque humeris incurvis horridus, nequissimi hominis imaginem exprimebat, qui ex astrorum observatione somniorumque interpretatione, sortes obscuras divinans atque praedicens, a plebe gratiam et lucrum captabat. Nugatorium hoc fabularum genus ad nativum vulgi ingenium accommodatum, cum in pagos vicosque ceteros, qui intra Vulturnum flumen et Lirim feracissima in planitie iacent, sponte sua delapsum esset, mirum est quanto opere rusticanos homines ruri commorantes dicacitate ipsa incondita et incomposito risu exhilaraverit.

Atellanarum personae

Diomed. III. de Orat. pag. 488.

Isid. X. Orig.

Varr. VI. de Ling. lat. 3.

Varr. VII. de Ling. lat. 5.

Fabulae Atellanae, cum ex urbe patria, postquam bellum Samniticum confectum est, Romam migravissent, tanto civium consensu et voluntate probatae sunt, ut iuvenes eas vel honesto loco nati in scaenis agerent. Neque eas, quae et vetusta rudique elegantia scribi coeptae erant, ab histrionibus pollui Romana iuventus passa est, institutumque immo ut Atellanarum actores nec tribu moverentur et stipendia, tamquam expertes artis ludicrae, facerent. Ob eundem hunc populi Romani favorem, cum post aliquot annos, mimi quoque ea de causa lege prohibiti sunt, quia in lasciviam et

Liv. VII. ab Urb. cond. 2.

dicacitatem obscenissimam vertissent, Atellanis fabulis tamen est in scaenas prodeundi relicta facultas.

DE ORATIONE SOLUTA DEQUE PRIMIS LEGIBUS

Sermo solutus

XVII. Cum, litteris vix apud Graecos, ut constat, nascentibus, carmina et versus ex celeritate mentis hominum sua sponte quasi nata, multis annis ante scribi coepta essent quam sermo solutus in scripturis adhibitus, Romani contra, ut primum cogitationes suas monumentis mandare instituerunt, naturam ipsam ducem secuti, eodem in scribendo orationis genere usi sunt, quo in cotidianis sermonibus utebantur. Neque sane id praeter communem ceteris quoque gentibus usum apud illos accidisse miror. Nam, ut ad persequendas eas res, quae vitae usui parent, animorum conformatione trahebantur, ita genus dicendi illud maxime idoneum esse duxerunt, quod omnium utilitati serviret, quodque a cunctis civibus intelligeretur. Eandem ob causam accidit, ut, cum non Urbe nuper condita, sed adulta paene, aut non multum, aut nihil in disciplinis iis elaboraverint, quae abditis subtilibusque ratiocinationibus continentur, in ius vero omne indagandum, cuius ope homines in societatibus consociantur, tantum studii ab exordiis civitatis conferrent, quantum in describenda republica sapientissimus quisque adhibere soleat.

Leges regiae

XVIII. Pervetustissima itaque orationis solutae monumenta, aliquo litterarum colore tincta, tum primum ediderunt Romani, cum certis verbis a regibus ipsis leges enunciatae sunt, quibus ut Urbs integra staret fideque iustitiaque vigeret, non minus quam moenium armorumque praesidiis corroboraverunt. Hae tamen leges, ut in civitatum initiis fieri solet, apud quas nondum scribendi ars invaluerit, non scriptae statim sunt, sed ad pristinum Lacedaemoniorum morem ore tenus atque memoriter tantum posteritati mandatae. Nemo

tamen in dubium revocare poterit, quin reges eas edixerint, cum tam frequens apud Romanos scriptores huius rei mentio sit. Testem in primis Livium exhibeo, qui, cum antiquitatem omnem conquisivisset, Romulum «*rebus divinis rite perpetratis vocataque ad concilium multitudine, quae coalescere in populi unius corpus nulla re praeterquam legibus poterat, iura dedisse*» tradit. Ipsi itaque Urbis conditori leges multae tribuendae sunt, tum illae quae ad civitatem in tres centurias, in curias, in clientelas describendam pertinebant, tum postea illae, quae de magistratibus gerendis, de iure reddendo, de sacris agendis erant, tum etiam leges de patria potestate in liberos, deque virorum in uxores auctoritate, ex quibus postea celebratum illud familiae Romanae ius tamquam e primo fonte manavit, tum denique duae illae, quae vel suis et genuinis, vel paucis commutatis verbis extant, altera de parricidis huiusmodi: «*Si quis hominem liberum dolo sciens morti duit, paricidas esto*»; altera autem in patronos, qui clientibus fraudem fecissent. In eodem numero recensendae leges sunt, quas Numa sapientissime sanxit, ut duabus praeclarissimis rebus, religione atque clementia, rempublicam ad diuturnitatem confirmaret. Hic enim rex, non transmarinis nec importatis artibus, sed domesticis Romanorum virtutibus eruditus «*animos*» ut Cicero refert «*propositis legibus his, quas in monumentis habemus, ardentes consuetudine et cupiditate bellandi, religionum caerimoniis mitigavit adiunxitque praeterea Flamines, Salios, virginesque Vestales omnesque partes religionis statuit sanctissime*», ideoque quasi conditor primus, non urbis quidem, sed civitatis, habitus est.

Liv. I. ab Urb. cond. 8.

Cic. II de Leg. 9; Plut. Rom. 22.

Cic. II. de Rep. 14.

XIX. Ad pristina etiam soluti sermonis documenta, quae hoc loco numeramus, Tulli Hostilii lex illa «*de perduellione*» in primis spectabat, qua civibus iis, qui vel in rempublicam, vel in regem et populum, vel in magistratus iniuriam fecissent, capitis poena irrogabatur. Ideo autem haec lex per-

duellionis nomine a Livio nuncupari videtur, quod cum Horatius, privata auctoritate, et rege et multitudine spectantibus, sororem insolenter necavisset, eorum maiestatem offenderat et laeserat. Livius hanc Hostilii legem de perduellionis iudicio his verbis refert: « *Duumviri perduellionem iudicent. Si a duumviris provocarit, provocatione certato. Si vincent, caput obnubito, infelici arbori reste suspendito: verberato vel intra pomerium vel extra pomerium* ». Item Tullus ius primus constituit, ex quo per patrem patratum et res publice repetendae essent ab hostibus, et imperandae ex finibus decessiones, et bella, ni iusta vindicanti satisfactum esset, indicenda, paceque vicissim comparata, foedera ferienda; quod quidem ius cum iustissime ab eo esset inventum, ita fetiali religione sanctum voluit, ut quod bellum denuntiatum non esset, id iniustum idemque impium esse iudicaretur. Reperitur apud Livium formula, qua, bello intermisso, inter Tullum et Albanos, foedus de trigeminorum pugna ex ritu iunctum est: « *Fetialis regem Tullum ita rogavit*: « *Iubesne me, rex, cum patre patrato populi Albani foedus ferire?* » *Iubente rege* « *Sagmina* » *inquit* « *te, rex, posco* ». *Rex ait*: « *Puram tollito* ». *Fetialis ex arce graminis herbam puram attulit. Postea regem ita rogavit*: « *Rex, facisne me tu regium nuntium populi Romani Quiritium, vasa comitesque meos?* » *Rex respondit*: « *Quod sine fraude mea populique Romani Quiritium fiat, facio.* » *Fetialis erat M. Valerius. Is patrem patratum Spurium Fusium fecit verbena caput capillosque tangens. Pater patratus ad ius iurandum patrandum, id est sanciendum fit foedus, multisque id verbis, quae longo effata carmine non operae est referre, peragit. Legibus deinde recitatis,* « *Audi* » *inquit* « *Iuppiter, audi pater patrate populi Albani, audi tu, populus Albanus: ut illa palam prima postrema ex illis tabulis cerave recitata sunt sine dolo malo, utique ea hic hodie rectissime intellecta sunt, illis legibus populus Romanus prior non deficiet. Si prior defexit publico consilio dolo*

Liv. I. ab Urb. cond. 26.

Cic. II. de Rep. 17.

Liv. I. ab Urb. cond. 24.

malo, tum tu, ille Diespiter, populum Romanum sic ferito, ut ego hunc porcum hic hodie feriam, tantoque magis ferito quanto magis potes pollesque.» Id ubi dixit, porcum saxo silice percussit. Sua item carmina Albani suumque ius iurandum per suum dictatorem suosque sacerdotes peregerunt». Ancus vero, progrediente Romanorum cultu, quo totum bellandi ius in partes suas accuratius distinctiusque describeret, bellicis quibusdam caerimonis iussis, verba quoque sollemnia ad ritum invenit statuitque ut iis tantum, cum bellum indicendum esset, pater patratus uteretur.

XX. Atque etiam in legum auctoribus Servius Tullius memorandus est, siquidem, praeterquam quod et censum, et classes, et centurias civium descripsit, leges novas de contrahendis rebus et pactionibus deque iniuriis in cives a civibus illatis, edixit. Quarum unam nobis Festus in libro illo suo «*De verborum significatione*» prodidit huiusmodi: «*Si parentem puer verberit, puer diris parentum sacer esto*». Certum autem est leges has ceterasque, quae pro temporum necessitate a regibus conditae fuerant, vel postquam reges Urbe pulsi sunt, vel Tarquinio adhuc dominante, in unum corpus, quo facilius et immutatae custodirentur, et in diiudicandis causis prae iudicum manibus essent, a Papirio quodam viro doctissimo, esse redactas, quapropter modo «*ius papirianum*» ab eius nomine, qui eas collegit, modo autem a regibus, qui fecerant «*leges regiae*» appellabantur. Suum tamen et ipsae fatum passae sunt cum ceteris eiusdem aetatis monumentis. Partim enim a Gallis incensae perierunt, partim vero, eae videlicet, quae Cicerone vivo exstabant adhuc, vel hominum incuria, vel temporis longinquitate ipsa absumptae evanuerunt.

Fest. de Sign. verb. plorare.

Pompon. I. Digest. 2.2.3.

XXI. Prisca verba quae antiquissimi sermonis effigiem quandam exprimebant in XII tabularum legibus erant, quarum, summo et litterarum et iuris detrimento, reliquiae tantum ex rerum monumentis hinc inde collectae supersunt.

Iura omnia civium in iis sanciebantur tum quae ad deorum cultum, ad sacerdotum collegia, ad religionem, ad sepulcra, ad sacrilegia spectant, tum ea quae domesticis privatisque rebus, bonis et possessionibus, furtis, matrimoniis, ceteris huiusmodi continentur, tum denique quae ad personam, ad patriam potestatem, ad familiam herciscundam, ad iudicia, ad servorum emptionem pertinent. In iisdem quoque tabulis, consulum iura et officia, tribunorum, dictatoris, censoris, praetorum munera describebantur, ut nullae inter varios magistratus controversiarum in muneribus fungendis causae posthac exstarent.

Leges XII tabularum.

XXII. Praeclarissimum de legibus hisce Cicero, qui eas pernoverat — eius enim aetate et erant ante civium oculos positae et memoria tenebantur a pueris — his verbis iudicium tulit: « *Fremant omnes licet, dicam quod sentio: bibliothecas mehercule omnium philosophorum unus mihi videtur XII tabularum libellus, si quis legum fontes et capita viderit, et auctoritatis pondere et utilitatis ubertate superare* ». Dolendum sane est maximam partem in aeternum leges illas periisse, quibus tota civilis Romanorum scientia continebatur. Etenim, postquam a decemviris latae sunt, cum tabulis inscriptae in foro paterent, incendio illo Gallico exarserunt, quod fuit anno trecentesimo quarto et sexagesimo post conditam Urbem. Quamvis autem post Urbem a Camillo in integrum restitutam et ipsae cum ceteris rebus instauratae essent, anno decimo quadringentesimo post Christum natum, interciderunt; tunc enim Alaricus Urbem captam vastavit. Multis vero annis post vastationem, renovato iam Latinarum litterarum cultu, cum e terris, in quibus latebant, in lucem rediissent fragmenta XII tabularum quaedam, cumque iis additae essent reliquiae, quae erant in libris, aliqua earum pars deorum beneficio recuperata est, eaque ab eruditissimis eius temporis hominibus ad pristinum fere ordinem redacta. Hae tabularum leges, cum civibus omnibus, statim ac editae

Cic. I. de Orat. 44.

Liv. VI. ab Urb. cond. I.

sunt, sive iuris aequabilitate, sive etiam sapientia placuissent, in immenso aliarum super alias acervatarum legum cumulo fons omnis publici privatique iuris fuerunt. Inde leges, sapientissime conditae deinceps, tamquam ex uberrimo feracissimoque solo provenerunt, ut Valeriae, ut Canuleia, ut Liciniae, ut Flavianae denique; quas leges cum sibi statuisset civitas, iuris magistra in omnem aetatem evasit.

Liv. III. ab Urb. cond. 34.

In istis Romanorum legibus sunt orationis solutae exempla, quae litteris mandari coepta sunt in iisque genuinum Latinorum ingenium et species exprimitur. Si quis enim earum formam et dicendi genus inspexerit, nullam profecto vel artem, vel elegantiam et copiam invenerit; at omnes orationis virtutes atque nervos, dignitatem, gravitatem, perspicuitatem videbit, quae tantam in seligendis verbis et strictis et perspicuis et cuique rei vel aptissimis fuisse Romanorum diligentiam ostendunt, quanta in sapientissimis hominibus maximeque reipublicae studiosis poterat esse.

DE TABULIS RERUM GESTARUM ET LIBRIS

XXIII. Memoria rerum, quae quinque primis Urbis saeculis domi militiaeque a Romanis gestae sunt, non libris aut voluminibus tunc temporis scriptis, quae quidem exstent, sed certis illis et clarissimis potius monumentis consignata manet, quae vasis fictilibus, sepulcris, signatis nummis, lapidibus insculptis et columnis, ligneis marmoreisque statuis, signis, tabulis pictis, templorum vestigiis, ceterarum huiusmodi rerum reliquiis continentur. Cum tamen monumenta haec, quia nullos plerumque in se habeant inscriptos titulos, muta sint, neque aliter de rebus gestis loquantur, ac si per effigies et emblemata eas expressas nobis narrent, non nostra, qui litterarum initia indagamus, sed eorum hominum propria dicenda sunt, qui antiquitatem et rerum documenta figuris mandata in istis rebus inquirunt. Ad fontes igitur et capita, quae dicuntur,

historiarum cum natura sua pertineant, liceat ea nobis silentio praeterire atque vetustatis inquisitoribus relinquere : quamquam scio neminem esse, qui non videat, quantum utilitatis ea ad omnem vetustatem vel ignotam dignoscendam, vel obscuram incertamque illustrandam conferant.

At rerum multarum memoriam ab ipsis fere Urbis incunabulis scriptitari coeptam esse non coniectura tantum adfirmo, cum id et T. Livius et ceteri praestantissimi scriptores multis locis testentur. « *Ancus Marcius* » ait ille « *ut regnare coepit, et avitae gloriae memor, et quia proximum regnum, cetera egregium, ab una parte haud satis prosperum fuerat, aut neglectis religionibus aut prave cultis, longeque antiquissimum ratus sacra publica ut a Numa instituta erant facere, omnia ea ex commentariis regis pontificem in album relata proponere in publico iubet* ». Quibus verbis patet manifesto deorum cultum, caerimonias, religionem, regnante iam Numa, commentariis a pontificibus esse mandata, quae ut integra apud posteritatem omnem manerent, in publicum pontificis cura exposita sunt. Appellati autem « *commentarii regii* » sunt, non quod reges eos sua scripsissent manu, sed quod res unas, cum ad religionem, tum etiam ad reipublicae munera fungenda spectantes, quas vel statuissent, vel egissent reges, perpetuo narrabant.

Commentarii regii

Liv. I. ab Urb. cond. 32.

XXIV. Ab regiis commentariis historiarum exordia repetimus, quibus vetustate et genere proxime accedebant et « *libri pontificum* » in quibus collegiorum auspicia, responsa, auguria, decreta recensebantur, et « *dies fasti* » qui appellati sunt, in quibus indicabatur, quibus diebus « *omnia verba sine piaculo fari* » praetoribus liceret, hoc est causas omnes ex legibus diiudicare, reos absolvere vel poenis multare. Hanc similitudinem dierum atque annorum notandorum bene multi postea secuti, etiam cum, aut pontificum et sacerdotum et collegiorum nomina et officia, aut, postquam reges pulsi sunt, creatos in annum consules, aut actos ab impera-

Libri pontificum, fasti, tabulae

Liv. I. ab Urb. cond. 19; Varr. VI. de Ling. lat. 29

toribus triumphos recensuere, varias pro munerum ratione tabulas confecerunt, quarum aliae « *fasti sacerdotales* » aliae « *consulares* » aliae « *triumphales* » aucta verbi significatione, appellatae sunt. In antiquissimis etiam litterarum monumentis erant « *magistratuum commentarii* » atque « *tabulae censoriae* ». In his enim cives omnes, pro cuiusque re familiari, in ordines a censoribus redigebantur; in illis vero quidquid de rebus agendis quotidie decreverant magistratus, breviter referebatur. Hos magistratuum commentarios Livius « *libros linteos* » nominat traditque eos in aede Monetae, quo diligentius custodirentur, esse repositos.

Liv. IV. ab Urb. cond. 2[illegible]

XXV. Rerum vero Romanarum notitia omnium in « *Annalibus Maximis* » continebatur, quorum mentio apud Ciceronem est quaedam nos de historiarum initiis docentem. « *Erat autem* » ait « *historia nihil aliud nisi annalium confectio: cuius rei memoriaeque publicae retinendae causa ab initio rerum Romanarum usque ad P. Mucium pontificem maximum, res omnes singulorum annorum mandabat litteris pontifex maximus referebatque in album et proponebat tabulam domi, potestas ut esset populo cognoscendi: itaque etiam nunc annales maximi nominantur* ». De iisdem autem haec nobis Servius tradit: « *Ita autem annales conficiebantur: tabulam dealbatam quotannis pontifex maximus habuit, in qua praescriptis consulum nominibus et aliorum magistratuum, digna memoratu notare consueverat, domi militiaeque, terra marique gesta, per singulas dies. Cuius diligentiae annuos commentarios in octoginta libros veteres rettulerunt eosque a pontificibus maximis, a quibus fiebant, Annales Maximos appellarunt* ». Inspectis itaque temporum intervallis, quae ab initio rerum Romanarum usque ad P. Mucium Scaevolam sunt, cernimus sescentos amplius annos sine intermissione in tabulis eos fuisse conscriptos — Mucius enim anno sescentesimo tricesimo tertio post Romam conditam pontifex creatus est — posteaque, cum iam privati

Annales maximi.

Cic. II. de Orat. 12.

Serv. I. ad Aen. 37[illegible]

homines monumenta rerum gestarum libris mandare coepissent, eos in octoginta libros ab ipso fortasse P. Mucio pontifice redactos, quo facilius commodiusque antiquitatis memoria in omni posteritate servaretur. At ne ita quidem diutissime tempora tulisse videntur, quamvis hanc in libros Annalium confectionem Ciceronis aetate exstitisse certissimum sit. Eo enim in loco, quem paulo supra rettulimus, ita de iis loquitur ac si prae manibus habeat. « *Etiam nunc* » inquit « *annales maximi nominantur* » ; atque etiam de iis haec alibi addit: « *neque vero satis in annalium publicorum auctoritate declaratum videmus* ».

Cic. I. de Rep. 15.

XXVI. Nonnullae Romanorum res, quae in Annalibus Maximis certe continebantur, passim ex locis quibusdam scriptorum colligi possunt, qui inde se eas deprompsisse testantur. Huiuscemodi sunt, quae Gellius de haruspicibus tradit ex Etruria accitis, ut fulgur piaculis luerent, quod statua Horatii Coclitis in comitio posita de caelo tacta esset: qui quidem haruspices, cum populo contrariis religionibus suasissent, ut statuam in locum transferrent, quem sol ob appositas circum undique aedes numquam illustraret, de perfidia delati populi iussu necati sunt. Collocata inde in loco edito statua, res bene ac prospere populo Romano cessit. Ex iisdem Annalium fontibus Cicero solis defectionem refert, quae visa est anno trecentesimo quinquagesimo post Urbem conditam; atque etiam eorum auctoritate utitur alio loco, ut opinionem eorum explodat, qui Numam regem vel Pythagorae ipsius auditorem, vel Pythagoreum existimarent. Annalium mentio apud Dionysium Halicarnasseum quoque et Vopiscum occurrit, quorum alter in persequendis diligentissime temporum ordinibus sententiam Polybii refellit, qui ex annorum dinumeratione, quae in illis esset, anno, ut nos temporum ordines notamus, septingentesimo quinquagesimo uno ante Christum natum Urbem conditam esse ponebat; alter vero Annales interregni testes citat, quod sex mensium

Gell. VI. Noct. Att. 5.

Cic. I. de Rep. 16 ; II., 15.

Dionys. I. Ῥωμ. Ἀρχ. 74.

Vop. Vit. Tac. I.

intervallum post Romulum mortuum in civitate fuit. Ceterum res, quae in Annalibus Maximis notabantur, et varias et singulares fuisse ex multis aliis scriptorum locis inferimus, quos iisdem ut fontibus usos esse facile nobis suspicari licet. In his adnumerandi esse videntur loci illi, in quibus solis quaedam defectiones et caligines lunae, annonae carae, templa exstructa et dicata, pestilentiae, morbi, sacrificia a sacerdotibus sollemni ritu facta, ut deos iratos civitati propitios facerent, cetera huiusmodi, aut religione aut novitate praestantia, memorantur.

Liv. I ab. Urb. cond. 45; alibi passim; Varr. V. de Ling. lat. 74.

XXVII. Ad Annales quoque, tamquam ad fontes unde provenerint, referenda esse videntur signa mira et prodigia, quae passim in T. Livii narrationibus reperiuntur, ut solis orbis, qui minui visus esset, ut duae interdiu lunae ortae, fontes, qui cruentis maculis sparsi manassent, ut arma, scuta sanguine stillantia, ut milites, qui fulminibus icti essent, ut multa alia in caelo conspecta portenta, quibus deorum numina interdictaque hominibus divinitus patefieri pontifices docerent. Atque etiam ab illis repetenda credo, quae de mortibus clarissimorum virorum, et Aruntis, et Lucretiae, et Horatii Coclitis, et Mucii Scaevolae, et Cleliae a scriptoribus laudibus celebrantur; tum notationes, quae in recentioribus historiarum libris continentur, feriarum et piaculorum; tum descriptiones ludorum, spectaculorum, quae vel ad crimina publica luenda, vel ad pestes morbosque ab Urbe amovenda, vel in rebus adversis ad placandas deorum iras habebantur; tum etiam, ab iisdem, ut ex tabulariis publicis relata, bella quae hostibus illata sunt, foedera cum sociis inita, triumphos post partas victorias actos. Haec autem omnia reapse in Annalibus relata esse ex Ciceronis verbis paulo supra positis inferimus: « *res omnes singulorum annorum mandabat litteris pontifex* »; neque vero non ex Servii etiam illis: « *digna memoratu notare consueverat pontifex, domi militiaeque, terra marique gesta, per singulos dies* ». In his itaque libris

Liv. XXII ab Urb. cond. I.

Dionys. IV. 'Ρωμ. 'Αρχ. Cic. II. de Fin. 20; Flor. I Epit. 10.

Liv. VII. ab Urb. cond. 2. et. pass. mult. in loc.

pontifices sine ullis ornamentis, temporum, hominum, locorum, gestarum rerum monumenta reliquerunt, quae apud scriptores, qui postea fuerunt, ad historiarum narrandarum artem exacta, etiam nunc maximo legimus studio et voluptate.

XXVIII. Hanc pontificum consuetudinem privati homines a regiis annis secuti, patrum suorum tum domesticas res, tum quas in magistratibus gesserant, tabulis et codicibus notare soliti erant, quae in tablinis familiarum custodiebantur. Mortuorum laudationes saepe a Cicerone memorantur. « *Ipsae* » ait « *familiae sua quasi ornamenta ac monumenta servabant et ad usum, si quis eiusdem generis occidisset, et ad memoriam laudum domesticarum et ad illustrandam nobilitatem suam* ». Cum tamen id unum in scribendo sibi proposuissent, ut maiorum suorum virtutem ac res gestas posteritati mandarent, multa non solum exaggerata et ficta, immo absurde ficta, rebus vere gestis interposuerunt. « *His laudationibus historia rerum nostrarum est facta mendosior. Multa enim scripta sunt in eis quae facta non sunt: falsi triumphi, plures consulatus, genera etiam falsa et ad plebem transitiones, cum homines humiliores in alienum eiusdem nominis infunderentur genus* ». Atque etiam Livius « *vitiatam memoriam funebribus laudibus* » censet « *falsisque imaginum titulis, dum familiae ad se quaeque famam rerum gestarum honorumque fallenti mendacio trahunt. Inde certe et singulorum gesta et publica monumenta rerum confusa* ». Hanc ob causam, cum incredibilia quaedam in suis narrationibus esse noverit, non omnia ita fuisse, ut narrat, sibi compertum esse monet.

Monumenta rerum privatarum.

Plin. XXXV Nat. Hist. 2.

Cic. Brut. 16.

Cic. Brut. 16.

Liv. VIII. ab Urb. cond. 40.

Fuerunt igitur haec historiarum initia rudia quidem atque incondita, neque tamen contemnenda. Cum enim nulla fere tunc temporis esset apud Romanos litterarum Graecarum notitia, memoriam omnem rerum gestarum prope innumerabilium, deorum cultum caerimoniasque, quas reges publice statuissent, conditas ab iisdem leges, consulum et nomina

qui in vicibus Troiae excidioque celebrandis praesertim versati erant; inter quae sunt « *Achilles* » « *Aiax* » « *Aegisthus* » « *Equos Troianus* » « *Hermione* »; alia vero nomina « *Andromeda* » « *Danae* » « *Ino* » « *Tereus* » res eas poetam pluris fecisse arguunt quae, immanitate eventuum atque atrocitate sensus quam maxime movere possent. Comoedias quoque, ut vulgariori plebis ingenio indulgeret, ex Graecis convertit. Earum, quarum nomina novimus, altera « *Gladiolus* » altera « *Circulator* » inscribebatur. In hac, ut mihi videtur, genus illud hominum circumforaneorum carpebat, qui congregata multitudine, in foro vel per vicos varia et mirifica medicamenta proponunt plebemque iocis, cantu, saltationibus, aliis huiusmodi ludicris detentam oblectant. In illa autem, quantum ex nomine ipso atque etiam ex versu, qui exstat, nobis colligere licet, miles quidam vaniloquus et gloriosus ridebatur.

XI. Anno post conditam Urbem quadringentesimo quadragesimo septimo, dum Hannibal Italiam vastat, condidit lyricum carmen in Iunonem, quod, cum ter novenis virginibus albam vestem indutis canendum esset, « *Parthenium* » appellatum est. Qua autem de causa supplicationes factae sint, utrum scilicet deorum placandorum causa, quod signa et prodigia Urbi nefasta evenissent, ut Livius scriptum reliquit, an potius ut iisdem gratiae referrentur, ut apud Festum narratum invenio, quod exercitus Hasdrubalem ad Metaurum necavissent, non satis certo constat. Constat tamen populum universum, quod valde fabulis carminibusque delectatus erat, cunctos poetas, qui florere coeperant, collegii iure donavisse iisdemque aedem Minervae in Capitolio assignavisse, in quibus poetarum sacra peculiari ritu celebrarentur. Livium Andronicum, habita temporum ratione, poetam bonum dixerim et rudibus Romanorum ad id tempus ingeniis laudabilem neque inconditum. Propter hoc maxima laude mihi dignus videtur quod, cum Latina lingua omnibus verborum luminibus, quae a poetis expetuntur, esset penitus destituta, et longum poema et artis plenum vertere ausus

Parthenium.

Liv. XXVII. ab. Urb. cond. 37.

magistratuum, eorum ordines, munera atque officia, quibus vicissim essent functi pedestres navalesque pugnas, quas vel intra vel extra fines Italiae fecissent, oppugnationes urbium, provincias, quas in suam redegissent dicionem, tot tantisque consignatam monumentis cives privati reliquerunt, ex quibus eam in posteritatem omnem scriptores eruerent, eamque litterarum ornamentis decoratam ad nominis Romani gloriam immortalitatemque narrarent.

DE INCUNABULIS ELOQUENTIAE

XXIX. Cum monumenta orationum litteris ante Ciceronem tradita nulla prorsus habeamus, nullaeque vel earum partes iisdem verbis, quibus prolatae fuerint, in rerum scriptoribus reperiantur, ad primos partus oratorum indagandos perscrutandosque fontes, notationibus unis uti nobis necesse est, quae saepe in grammaticorum libris occurrunt. Ex his itaque locis neque sero admodum expetitam neque a Graecia translatam eloquentiam colligimus, sed in libera civitate antiquitus natam celerrimeque ad excellentiam quasi promotam videmus. Quod quidem, cum multis aliis Ciceronis locis apertissime indicetur, hoc maxime Tusculanarum libris confirmatur. « *Oratorem* » enim Cicero ait « *celeriter complexi sumus, nec eum primo eruditum, aptum tamen ad dicendum, post autem eruditum* ». Quibus verbis profecto duo eloquentiae tempora, certis inter se notis distincta, vir sapientissimus acute coniecit; antiquius alterum, quod Latinarum litterarum aetatem primam, de qua agimus hoc libro, totam et integram complectitur, cum homines sine arte, sine doctrinis ullis loquebantur, sed natura tantum, aut usu aliquo atque exercitatione, quidquid sentiebant in animis, nullis adhibitis verborum fucis, attenuate vehementerque dicebant; alterum vero recentius, cum dicendi vis atque copia, rhetorum Graeco-

Cic. I. Tusc. 3.

rum praeceptis elaborata, doctrinisque locupletior facta, progressionem admirabilem incredibilemque cursum ad perfectionem fecit.

XXX. Ad pristinum tempus genus illud spectat, quod ex mortuorum religione initium cepisse certissimum est, quodque Latine « *laudativum* » Graece autem « ἐγκωμιαστικόν » appellatur. Funebribus enim laudationibus continebatur, quae in funeribus clarissimorum virorum celebrandis, ut supra diximus, aut ab eorum filiis, aut a propinquis clientibusque, aut ab amicis et collegis in magistratibus, ante sepelienda corpora dicebantur; quibus laudationibus Cicero, diligentissimus in hac parte antiquitatis investigator, nihil habet antiquius, quod in notandis oratorum fontibus capitibusque proferendum putet. Nec id quidem genus, inspectis temporibus, est contemnendum omnino. Quamquam enim mortuorum laudationes nullis erant initio tinctae litteris, quae in orationibus expetuntur, in iisque multa celebrabantur falsa, quaeque non erant facta, attamen insitam esse in animis Romanorum ostendebant in communique quasi usu positam dicendi facultatem et copiam. Immo vero nonnullas earum fuisse, non sententiis modo nobilissimis refertas, sed quibusdam quoque orationis luminibus distinctas, cum coniectura probabile est — solent enim mortuorum res dolore ipso poetarum in modum exornari — tum certis etiam vestigiis indicatur. Quam enim Q. Fabii Maximi orationem in filium mortuum, virum clarum atque consularem, Cato sua aetate legisse testatur, eam sapientissimo quoque philosopho haud indignam habuit. Floruit autem Maximus, qui Tarentum recepit, vix ineunte litterarum adulescentia; qui quidem non tantum in laudando filio potuisset, nisi accuratior ante eum ac verbis locupletior et illustrior iam facta esset oratio.

Laudationes mortuorum

Cic. Brut. 16.

Cic. de Senect. 4.

XXXI. Inter laudationes autem, quarum ad nos memoria prodita est, antiquissima videtur illa, quam Plutarchus auctor est P. Valerium Publicolam dixisse ut L. Iunium Brutum,

collegam suum in consulatu, mortuum laudaret. Rem sane oratore summo dignam! Etenim, ut novimus, cum Brutus ille dominatu regio patriam liberavisset, in proelioque pro libera civitate servanda contra Tarquinios illato cum Arunte congressus esset, mutuis alter alterum vulneribus necavit. Aliae duae etiam hoc loco mihi antiquiores mortuorum laudationes recensenti, ob magnitudinem rerum, quae in iis a consulibus factae celebrabantur, occurrunt, altera M. Fabii consulis in collegam Manlium atque eadem in fratrem, quorum uterque, una in Veientes fortissime pugnans, immortali occubuerat morti; altera quam, tribunis plebis conantibus ne fieret, plebs contra maluit audire, ne dies supremus Appii Claudii praestantissimi viri honore suo fraudaretur. Quanti autem honos laudationis habitus sit, ex hoc facile potest argui, quod, cum matronis populus gratias agere statuisset, quia aurum ad mercedem cum Gallis pactam conficiendam contulissent, scite decrevit, ut earum quoque sicut virorum post mortem laudatio esset.

Plut. Publ. 9; Liv. II. ab Urb. cond. 6. et 7.

Liv. ibid. 47.

Liv. ibid. 16.

Liv. V. ibid. 50.

XXXII. Ii vero oratores, qui aut in rebus ad rem publicam spectantibus, aut in causis forensibus, in quibus de iure fit controversia dicendo versantur — quamquam non desunt qui Numam ex regibus eloquentia floruisse credant — non prius quam reges pulsi sunt, vel esse vel vigere saltem potuere. Verum, ut primum perpetua dominatione civitas liberata est, cum magnam sane civibus vim dignitatemque afferret oratio, cumque perbrevem ad magistratus capessendos certissimamque sterneret viam, mirum est quantum in hac una dicendi laude viguerint. Postquam igitur vehemens illa e fundamentis institutorum et legum conversio facta est, quae celeriter in melius civitatem renovavit, eadem praestantissimorum virorum eloquentia, cuius auxilio civitas oppressa e servitute se in libertatem vindicaverat, ex libertate, quam pepererat, in asperitatibus rerum novarum, vires sibi et robur statim adiecit. Nam cum, post reges exactos, tum ius

condendarum legum, tum civitatis regendae administrandaeque imperium in multitudinem cessissent, eae rerum conditiones partae sunt, ex quibus ita oratores sua sponte quasi nascuntur, ut ex abditis in terra parvis seminibus, accedente sole, laetissimas procreari segetes videmus.

XXXIII. L. Iunium Brutum, qui Tarquinios deturbavit, quia plebem in illos dicendo inflammavisset, abrogavissetque postea collegae imperium, fuisse natura eloquentem Cicero suspicatur. Atque etiam M. Valerium dictatorem, quod sedaverit discordias, L. Valerium Potitum, quod post decemviralem invidiam plebem in patres incitatam legibus et concionibus suis mitigaverit, C. Fabricium, Ti. Coruncanium, M'. Durium, alium ob aliam causam disserendi facultate aliqua valuisse apud populum credit; sed eos oratores habitos esse, aut omnino tum ullum eloquentiae praemium fuisse nihil Cicero se legisse fatetur. Neque id quidem inepte suspicatur. Qui enim potuissent, cum essent cives privati, regium dominatum primum, postea vero decemvirorum potestatem aut effringere aut refrenare, dissentiones civium dissipare, animorum pertubationes, modo prudentia coercere, modo ciere atque inflammare, tot mentes inter se studiis, ingenio naturaque discrepantes, in unam sententiam coniungere, legibus iuribus consociare, nisi in concionibus, in comitiis et foro, non generis praestantia privataque nobilitate, sed oratione apud senatum populumque quam plurimum valuissent? Nonne haec omnia eniti et dicendo contendere ut a civibus fiant, est munus illud quasi divinum, quod oratoris in primis esse videtur?

Cic. Brut. 14.

XXXIV. Plurimae in primis historiarum libris sunt et pulcherrimae et artis plenae orationes, quas Livius ita refert, ac si reapse, vel in senatu, vel in comitiis et concionibus, vel coram militibus oratores eas habuerint; tamen falsae et ab eo fictae a multis putantur. Equidem eas, quamquam non iisdem verbis, quibus ipse refert, ab antiquis oratoribus dic-

tas existimaverim, rebus enim, quae tunc temporis in deliberationem cadebant, congruere et inhaerere videntur, et mentes animosque illorum spirant, quos loquentes et quasi agentes inducit. Mihi enim Livianae illae antiquarum orationum imaginem exhibent, quae in tablinis familiarum vel etiam rei publicae, una cum aliis rerum gestarum monumentis custodiebantur. Nullus a Livio plebis tumultus memoratur, qui non fuerit ab oratoribus vel concitatus, vel frequentius sedatus; nullae conditae leges, indicta bella, foedera cum sociis icta, quin aliquis orator loquendo probaverit. Quod cum mecum ipse perpendo, in mentem mihi tribuniciae conciones magnificaeque patrum orationes veniunt, quae in senatu saepissime de omnibus reipublicae rebus habebantur, quibus civium animi ad tantas tamque diversas res peragendas incitabantur. Huic tamen eloquentiae cum neque de industria neque consulto operam darent, orationes suas non scribebant, sed quae domi secum essent commentati, incredibili animorum contentione aperte dicebant.

APPIUS CLAUDIUS CAECUS

XXXV. Orationes primus Appius Claudius ille conscribere instituit, qui propter caecitatem, qua multos annos in senectute laboravit, appellatus est Caecus. Singularem sane virum! quem et ex magistratibus et ex rebus, quas felicissime gessit, antiquorum Romanorum Romanum in primis facile dixerim. Cum enim incredibili iuvenis animi pertinacia, gravitate prudentiaque senibus digna fuisset in censura, quam ultra tempus administravit, creatusque consul Sabinorum et Tuscorum exercitus profligavisset, cepissetque complura oppida Samnitium, cumque viam stravisset, quae nomine eius Appia nuncupata est, atque etiam aquam in Urbem adduxisset, cumque denique magnificas aedes Bellonae exae-

Liv. IX. ab Urb. cond. 29; XXXIII., 34.

dificavisset, adeo intentum semper animum, tamquam arcum, vigilantemque habebat, ut nec valetudine opprimeretur, nec privato nec publico muneri deesset. Extremam aetatem, ut non aut inertis et ignava, aut somniculosa esset, in litteris colendis ediscendisque legibus atque iuribus consumpsit. Ex Panaetii epistula illa, quae apud Ciceronem memoratur, carmen quoddam Pythagoreum ab eo confectum esse colligimus, quod a Panaetio ipso valde laudatur; quo in carmine, ut videtur, inerat notissimus versus:

Cic. IV. Tusc. 2.

Faber est suae quisque fortunae

qui vulgo in proverbium usurpatur. Primus novam vocabulorum scribendorum rationem instituisse videtur, adhibita cura, quo mollior dulciorque atque quasi rotundior esset oratio. Hanc ob causam, quo aptius distinctiusque verba sonarent, cum litteram « S » si media inter vocales esset, e medio sustulisset, « R » liquidum invenit, quod in illius locum sufficeret. Ideo pro « *Fusios* » « *Furios* » scribebat, pro « *Valesios* » « *Valerios* ». Idemque litteram « Z » detestabatur, quod duriorem asperioremque sonum redderet.

Pseudosall. Orat. I. de Rep.

Pompon. I. Dig. 2. 2. 36 Plin. XXXII Nat. Hist. 6. 1.

XXXVI. Iuris scientia tanta fuit in eo, ut « *Centummanus* » nominatus sit; quod quidem cognomen abs multitudine clientum et servorum, quibus quasi totidem manibus uteretur, ei datum esse videtur. Eum primum scripsisse traditum est librum « *De usurpationibus* » qui non exstat. Verum in orationibus conscribendis multo magis quam in grammaticorum quaestiunculis, vel etiam in gravioribus disputationibus de iure definiendo, eum versatum esse censemus. Anno enim quadringentesimo quinquagesimo quarto legem de pontificibus et auguribus plebeis dissuasit; quae tamen lex, eo frustra obnitente, lata est. Postero anno, ut Cicero scriptum reliquit, comitia habuit, quod de plebe consulem non acciperet. Cum autem iam caecus esset et multos annos natus audivissetque

Pompon I. Dig. 2. 2. 36.

Liv. X. ab Ur cond. 7. 8. 9. Cic. Brut. 14

Cic. V. Tusc. 38., Brut. 14. Liv. Epit. 13.

legatos a Pyrrho Romam ad petendam pacem amicitiamque venisse, cumque se in senatum afferri iussisset, ita vehementer ibi, legatis audientibus, ad patres locutus est, ut senatum iam iam inclinatum a pace revocaverit, neque cum Phyrrho de pace loqui passus est, quoad is cum exercitibus bubusque illis Lucis in Italia esset. Hanc ceterasque Appii orationes multos annos aetatem tulisse, Cicerone, Tacito, aliis scriptoribus testantibus, certissimum est; quamquam ea erat earum dictio, ut nemo paene Ciceronis aetate esset, qui eas legeret. At Senecae temporibus non defuerunt qui, nimio obsoletarum locutionum studio, in earum lectione assidue versarentur, easque prae Catonianis ipsis magis mirarentur. Hominem, inquam, sane beatum istum atque in caecitate sua providum! qui, cum in rebus gerendis domi militiaeque totam aetatem posuisset, consuluissetque satis, quantum staret in eo, immortalitati gloriaeque nominis, Ciceronem laudum suarum praeconem invenerit, qui integram tum morum illorum antiquorum, tum virtutis, tum constantiae, sapientiae, patriae disciplinae imaginem in eo, tamquam in speculo mirabiliter expressam, praedicaret.

Tac. Orat. 17.

Cic. de Sen. 6.

LIBER SECUNDUS DE LITTERARUM LATINARUM ADULESCENTIA AB ANNO DXIV CONDITAE URBIS AD DCLXVI QUO CICERO IN FORUM PROCURRIT

DE REBUS A ROMANIS IN ADULESCENTIA GESTIS

I. Mihi saepenumero in summos homines intuenti, qui hac aetate fuerunt, multis et summis laudibus praeditos, quaerendum esse visum est, quo tandem deorum beneficio acciderit ut tot tantique simul uno quasi tempore cives virtute, sapientia, nobilitate praestantes floruerint. Enimvero, his sane saeculis, quae inter bellum Punicum primum et Ciceronis aetatem intercedunt, cum infinitam quasi gloriae materiam, sive maxima et atrocissima bella continenter gerendo, sive etiam artes omnes et litteras, aut primum condendo, aut mirifice alendo, sibi quam celerrime comparavissent Romani, tanto lumine terrarum orbem collustraverunt, ut longe lateque, tamquam sol in immenso mundo, Roma luceret. Atqui post memorabilem victoriam, ut saepissime in humanis rebus fieri solet, maximum respublica in moribus illis antiquis detrimentum accepit. Quo tempore enim, Carthagine deleta, terrarum orbem in suam potestatem redigere coeperunt, civilium dissentionum semina sata sunt, quae postea civitatem everterunt, simulque mores paulatim ad mollitiem delapsi sunt, ex qua posteris temporibus numquam sese refecerunt.

II. Satis constat quot quantaque et fortia in bellis agendis et immortali digna memoria fecerint. Etenim bello Punico primo confecto, postquam gentes omnes, quae in Italia inque insula Sicilia erant, in suam aut dicionem, aut amicitiam acceperunt, Sardos etiam et Corsos, qui sub Carthaginiensibus fuerant, atque Gallos Insubres, et Illyricos, qui piratarum more latrocinia maritima faciebant, facili occupatione — no-

verant enim navibus uti—suo brevi tempore imperio adiunxerunt. Deinceps statim, cum illud Punicum bellum secundum ortum esset, quod eo maxime omnium memorabile fuit, quia in eo uno totus Romanarum fortunarum eventus constitit, de totius terrarum orbis imperio, summis viribus summaque contentione, decertandum fuit. Dirus enim Hannibal, Sagunto expugnato, cum Alpes transgressus esset devicissetque ad Ticinum, ad Trebiam, ad Trasumenum Romanorum exercitus, magnis per Apenninum montem itineribus, Urbi minaciter appropinquabat. Haec proelia, post Q. Fabii Maximi dictaturam illius, qui per ludibrium Cunctator est appellatus, quod nimirum, Senatu populoque festinantibus, in re gerenda cunctari videretur, subsecuta est illa ad Cannas clades. Quam quidem ignominiam una ad Zamam pugna Scipio Africanus Maior delevit partaque victoria, sociis iis, qui a Romanis in Italia defecerant ad Carthaginiensem, una cum gentibus externis metum iniecit. Statim in eos severe ac vehementer vindicatum est, qui vel, ut Galli, auxilia contra eos Hannibali dedissent, vel etiam afferre in animo tantum habuissent, ut Philippus, Macedonum rex, qui cum Hannibale victore post Cannense proelium foedus fecerat. Nec vero contra Hispanos primum et Antiochum, qui hospitio Poenum alia molientem acceperat, pauloque post in Lusitanos, qui seditiones concitaverant, aut tardiores in ulciscendo aut remissiores fuerunt.

Prima Romanorum commercia cum Graecis

III. Carthagine itaque anno sescentesimo sexto post conditam Urbem eversa, subactis gentibus, quas modo memoravi, Romanis iter patuit ad ceteras quoque nationes, quae maris interni oras tenebant simulque cum ad Graeciam quoque, quam in provinciam Achaiam redegerant, esset aditus apertus, ad litterarum ingenuarumque artium studia, quasi ad fontes, propius accesserunt. Noverant enim iam antea a civitatibus Graeciae, quae maior dicta est, humanitatem et cultum, cum Campanos, Calabros, Crotoniatas, Syracusanos, demum Agrigentinos occupaverant. Hostibus tamen externis subiectis,

cum milites veteranique patriciis, quod ingentes ex bellis sibi divitias comparavissent, irasci coepissent, maximae primum dissentiones et contentiones ortae sunt primumque civium inter sese pugnantium caedes fuere. Nonnulli tribuni plebis turpiter interfecti sunt, quorum antea vita sacra habebatur, inter quos fratres Gracchi, iugulatusque in lectulo Livius Drusus minor, illius Livii filius, qui C. Gracchum accusaverat; quibus cum ceteri quoque tribuni plebis obversarentur, quod a suo munere atque officio fungendo, accepta pecunia, ad patricios defecissent, partes inter civitatis principes et populares sunt illae ortae, quae multos annos de republica regenda acriter contenderunt. Hinc iuris, fortunarum, imperii nundinationes; hinc et sociale et civile bellum, hinc marianae interneciones, et clarissimorum civium proscriptiones a L. Cornelio Sulla iussae, hinc turpissimi patrum cum Iugurtha mercatus. Quae, quamquam omnia domi et divina et humana perverterant ac miscuerant, non obstiterunt tamen quominus et bellum cum Iugurtha rege pro iure meritoque conficeretur, et magna Cimbrorum et Teutonum clades a Mario ederetur, et Mithridatis exercitus fugarentur a Sulla. Tantum Romanorum virtus et nomen etiam tunc apud barbaras nationes valebat!

Morum omnium conversio.

IV. Hanc totius reipublicae immutationem illa fecit domesticorum morum mutatio, quae iam aliquot annis ante fuerat; nam conciderat munitissima illa reipublicae arx, quae in unis privatis civium moribus stat. Inter tot rerum discrimina, sive quod frequentiora cum ceteris nationibus facta erant commercia, sive etiam quod ingens divitiarum copia Romam affluere coeperat, sive quod crebius Romam, postquam capta est Graecia, commeabant et litterae et ceterae artes, homines frugales frugique qui fuerant, vehementer pertaesum est quod modice antea parceque iis rebus et commodis usi essent, quae ad vitae cultum pertinent. Itaque et spreverunt magnum illud rei domesticae vectigal parsimoniam, cum,

frugalitate despecta, exquisitissimis cibis vescerentur neque ullum sibi divitiarum parandarum modum imponerent. Ergo cum aedificia amplissima, magnificis hortis aquarumque receptaculis ornata, sibi exstruxissent, ut in maxima rerum omnium abundantia viverent, signis aeneis ea, marmoreis, eburneis, tabulis pictis, vasis Corinthiis Deliacisque ex argento auroque caelato, pulcherrimis mensis, gemmis margaritisque, omni denique supellectile locupletaverunt. Videlicet haec omnia gentibus, quas bello superaverant, vel extorserunt vel improbissima ratione praedati sunt. Una cum deorum simulacris Romam allatae sunt mirificae illae fabulae a poetis fictae atque elegantes fallacesque philosophorum doctrinae de natura ingeniisque deorum, ex quo severa etiam patrum religio immutari et elabi in dies coepit. Graecorum carminibus delectari coeperunt, quae cum degustavissent, subtiliores in diiudicandis litteris artibusque facti sunt atque in carminibus fundendis elegantiores. At Cato, cui corrumpi novis his rerum studiis et immutari civitas rudis videretur in peius, cum censor esset creatus, magna voce bonisque lateribus Graeculorum mores Latine insectatus est. Atqui et ipse, multum aetate provectus, veritus ne indoctus aut idiota haberetur, litteris quoque Graecis studiose ediscendis se tradidit. Vere ut dicam Graecia capta et Catonem ceperat. Id de ceteris Romanis facilius sua aetate, et peracute et candide Horatius notavit versibus qui in ore omnium sunt:

Graecia capta ferum victorem cepit, et artes
Intulit agresti Latio . . . .

quod quidem Andronicus, Naevius, Plautus, Ennius, Terentius, ceteri poetae, qui hac aetate fuerunt, suis carminibus aperte declarant.

V. Plebs quoque capta est, quae cum nihil ad id tempus potius habuisset quam ut ludos circenses spectaret, qui *Ro-*

mani, *Apollinares*, *Plebei*, *Megalenses* nuncupabantur, deinceps ludis scaenicis magis delectari coepta est. Ad sua quaeque statuta tempora, maximo populi concursu in singulos annos crescente, ludi celebrabantur, apparabantque impensis suis censores, ut sibi populi gratiam conciliarent. Prospectum itaque a censoribus est ut apparatiore loco fierent, ideoque anno quingentesimo octogesimo sexto post Urbem conditam saeptus palis est spectantium locus, exstructumque ex tignis, ad Apollinis templum, theatrum quod staret perpetuo. Exaedificatum sine subselliis tamen ex integro theatrum est anno sescentesimo additaque post paucos annos subsellia. Pompeius denique, ut sibi popularem gratiam conciliaret, anno sescentesimo nonagesimo nono theatrum ex marmore factum erigendum curavit. Saeculis etiam quae dico, cum consules, praetores, tribuni militum, privatas aedes et publicas, deorum templa, quae in Sicilia inque Graecia viderant, columnis magnificentissime extructa, emblematis ornata, signis simulacris ceterisque artificiis referta, maxime admirarentur, mutis quoque artibus, quae plasticae appellantur, vehementer delectati sunt. Livium huius rei auctorem produco: « *Marcellus* » ait « *captis Syracusis, cum cetera in Sicilia tanta fide atque integritate composuisset, ut non modo suam gloriam sed etiam maiestatem populi Romani augeret, ornamenta urbis, signa tabulasque quibus abundabant Syracusae, Romam devexit, hostium quidem illa spolia et parta belli iure : ceterum inde primum initium mirandi Graecarum artium opera licentiaeque huic sacra profanaque omnia vulgo spoliandi factum est, quae postremo in Romanos deos, templum id ipsum primum, quod a Marcello eximie ornatum est, vertit* ».

Theatra extruuntur

Liv. XXV. ab Urb. cond. 40.

VI. Nolim tamen ex his, quae dicimus, aliquis nullam antea et familiarem et vetustam apud Romanos artem statuariam fuisse arbitretur: quod quidem infitiantur et Hercules ab Evandro sacratus et Ianus geminus a Numa rege dicatus et signa quoque Tuscania, quorum mentio est apud Plinium

Plin. XXXIV Nat. Hist. 16.

Secundum; inferri id unum liceat artes, ob causas, quas supra memoravi, non secus ac litteras Romae multos annos iacuisse. Hinc evenit ut, postquam eripiendorum a civitatibus, quae armis subactae fuerant, artis operum licentia data est, L. Aemilius Paulus, qui ad Pydnam Perseum, Philippi filium, superaverat, cum triumphans Romam insigni curru inveheretur, vehicula post se CCL pulcherrimis signis, tabulis pictis, vasis abacisque aureis, scaphiis, mensis argenteis citreisque, rebus aliis conferta, una cum Perseo rege trahi a militibus iuberet. Idem in suis quisque triumphis fecerunt et L. Memmius ille qui, Corintho spoliata, non Urbem tantum, sed totam fere Italiam ornamentis statuarum locupletavit, et Cornelius Sulla qui, cum multa alia asportavisset, ex Iovis Olympii aede columnas marmoreas abstulit, quibus Iovis Capitolini templum, quod aedificaverat, magnificentissime exornaret.

Roma signis statuisque a Graecia importatis ornatur.

VII. Postquam Graecia a Romanorum exercitibus occupata est, sapientes nonnulli et poetae inde Romam venere. Cum exercitibus, qui Tarentum expugnaverant, Andronicus venit, quem postea Livius Salinator, de praeda emptum, sine pretio, admiratione tantum captus, quod eum litteris atque Graecorum disciplinis eruditum invenisset, quodque filios suos instituisset, manu liberaliter misit. Cum Catone, qui eum in Sardinia stipendia in Romanorum exercitibus facientem noverat, Ennius anno post conditam Urbem quingentesimo quinquagesimo venit; qui quidem Rudiis, in Graecorum colonia, natus erat. Nonnulli alii ab Achaia cum L. Aemilio Paulo venerunt, nam hic cum quolibet manubiarum et praedarum genere, quas Romam deportaverat, mille nobili loco natos adulescentes, in quibus Polybium, qui postea res gestas Romanorum narravit, et Metrodorum Scepsium philosophum et pictorem, pacis obsides secum afferri iussit retinuitque XXII annos. Post id tempus vero, cum frequentiora facta essent Romanorum et Graecorum commercia, philosophi, rhetores, grammatici, eruditi innumerabiles venerunt, qui incredibile

Sapientes et poetae ex Graecis urbibus Romam veniunt

est quantum, sive pueros in scholis disciplinas edocendo, sive cum civibus de doctrinis omnibus disputando, ad studia litterarum augenda alendasque artes exemplo contulerint. Testes sunt Diophanes Mytilenaeus rhetor, Bossus Cumaeus, philosophus stoicus, quorum uterque Gracchos fratres illos duos eloquentia omnique sapientia erudivit. Testes etiam Crates Mallotes, qui grammaticam scite docebat, philosophique illi tres, Carneades academicus, Critolaus peripateticus, Diogenes stoicus, qui cum ab Atheniensibus de remittendis a senatu quingentis talentis essent Romam missi, quibus multati fuerant, exspectarentque quid de postulatis decerneret senatus, publice disputantes non iuvenes modo, sed peritissimos quoque civilibus artibus viros ad totius sapientiae studium inflammaverunt. At Cato unus, qui in novas usque res acri ingenio fuerat, ratus iuvenes illis disciplinis prohibendos esse quae eos a re militari, a maiorum usu atque ratione, a veteribus institutis et legibus distinerent, pro virili parte id unum contendit, ut quam citissime de ea re a senatu decerneretur dimitterenturque in suam civitatem eruditissimi illi, quos ita pro iustitia dicentes audierat, ut nemo non assentiretur, eosdemque rursus ita, quae prius dixerant, impugnantes, ut omnes sententiam mutarent. Conditae deinde leges sunt in rhetores et philosophos, qui Romae pueros edocendi causa versabantur, ac si mores corrumperent. Nequicquam vero! etenim cum quid in Graecorum doctrinis inesset veri, quidque falsi, pro suo ingenio iam Romani internovissent, suffragantibus utroque Scipione, M. Fulvio Nobiliore, aliis, qui id temporis in republica laudibus et meritis maxime florebant, ius suum apud omnes cives artes obtinuerunt factumque denique est ut magni haberentur qui notitiam aliquam litterarum Graecarum atque artium tenerent, ii autem, qui earum cognitione ceteris praestarent, sapientes doctique usurparentur. Post paucos annos vero Musis, quae pinnato gradu se in Romuli gentem feram intulerant, templum dicatum est quasi poetarum domicilium.

Nequicquam Cato patriam disciplinam defendit.

LIVIUS ANDRONICUS

VIII. Cum iam apud Graecos litterae, quas multi et clarissimi poetae, oratores, rerum scriptores, sapientes homines in aeternitatem immortalitatemque mirifice illustraverant, in eruditionem delapsae, primo dissipari, post autem in alias terrarum gentes diffluere coepissent, tunc Livius Andronicus, qui litterarum Latinarum quasi conditor habetur, primus omnium poetarum in Urbe, C. Claudio, Caeci filio, et M. Tuditano coss., fabulam scaenicam a Graecia, quae Maior dicebatur, importatam docuit anno post Romam conditam quingentesimo decimo quarto. Natione eum Graecum fuisse nomen ipsum declarat: « ἀνδρονικός » enim, ut patet, Graeca dictio est. Tarenti, in florentissima opulentissimaque Italiae urbe, natus esse videtur, siquidem ille in istius urbis oppugnatione, ut Accius poeta nos apud Ciceronem docet, a Q. Maximo quintum consule captus est. Cum itaque Romam una cum ceteris captivis sub corona vendendus venisset, de praeda eum Livius Salinator emit, qui ei, quod litteris eruditum novisset, liberos suos instituendos commisit. Propter diligentiam multam et industriam, quam in honestissimo munere fungendo adhibuit, tantam sibi patroni gratiam comparavit, ut mox libertate donatus sit, acceperitque, pro meritis ei conlatis, Livium nomen.

Cic. Brut. 18; Tusc. 1.

Hieron. Chron. ad ann. Urb. cond. 567.

IX. In usum utilitatemque adulescentium, quos privatim primo, post autem libertatem acceptam etiam publice litteras docebat, adhibitis rudibus Italorum numeris, qui *Saturnii* dicuntur, Homeri Odysseam Latine vertere ausus est. Huius epici carminis, in Romanis litteris vetustissimi, exstant nunc quoque versus ad quadraginta in libris grammaticorum relati; quos si cum Homericis contuleris, non modo longe illis inferiores deterioresque dixeris, sed rudiores in se atque impolitiores nimio satius inveneris. Iam ex

Odyssea versibus saturniis latine reddita.

istis versibus qui supersunt, tantam fuisse suspicari licet inter eos dissimilitudinem, quanta, ut Ciceronis verbis utar, inter aliquod opus Daedali est, qui figurarum exprimendarum artem invenit, et Myronis, qui ad perfectionem eandem promovit. Daedalus enim signorum fingendorum artem eo tantum provexerat, ut a corpore pedes et brachia seiungeret utique, vix tamen ad quendam quasi motum impelleret. Ceterum etiam si voluisset Livius, ob litterarum nascentium condicionem, nihil quod esset perfectius perpolitiusque efficere potuisset. Etenim sermone admodum incondito rudique utebatur, qui natura sua ad verum dicendum magis conformatus erat, quam aptior, tum ad repraesentandas imagines, quae mentis celeritate finguntur, tum ad varias pertubationes animorum describendas. Utebatur genere illo versuum Saturniorum, cuius «ῥυθμός» non in brevitate syllabarum et longitudine, quarum alterae alteris certo ordine succedant, situs est, sed ex alternis vocis impressionibus et immutationibus conficitur, quae accentus a Quintiliano nuncupantur. His de causis maxime factum est ut nec ad numerosam versuum Graecorum conclusionem accederet, nec verborum sententiarumque granditatem redderet. Nihilominus aequalibus, ad quorum aures primus fabulas illas mirificas cecinit, adeo placuit ut carmen, quod verterat, multos annos in scholis ad aetatem Horatii legeretur, atque etiam notis explanaretur.

Cic. Brut. 18.

Horat. II. Epist. 1. ver. 69 et seg.

X. Fabulam, comicam an tragicam incertum, Livius ad morem et consuetudinem Tarentinorum, qui theatro utebantur frequentatissimo, in ludis Romanis, qui anno quingentesimo decimo quarto Urbis celebrati sunt, maximo Romanorum plausu atque concursu, primus omnium docuit, posteaque multas alias, quas item et in saturnios numeros ex Graecis reddidit, atque ut eius temporis mos erat, in scaenis ipse una cum ceteris histrionibus egit.

Fabulae scaenicae.

Nonnulla nomina istarum fabularum novimus, quae indicant fabulas ab iis auctoribus praesertim esse desumptas,

est, eamque asperitatibus abundantem, ad mollitiem quandam inflexit, qua quidquid in clarissimo Graeco poeta inerat, vel ad verbum fere reddidit, vel aliquomodo ad quandam aurium mensuram versibus significavit.

CN. NAEVIUS

XII. Cn. Naevius, natione Latinus, animo ingenioque Romanus, in oppido Campaniae natus est, quod ignoramus. Stipendia in exercitibus Romanorum merens, bello Punico primo interfuit. Militia functus, se Romam contulit, ibique Livio Andronico magistro usus, litteris ediscendis impense se tradidit. Multa itaque innovandi quae voluisset variandique, poetarum more, sibi facultate relicta, tragicas primo atque comicas fabulas ex Graeca lingua in Latinam transtulit, nonnullas dein ex rebus Romanorum composuit. Qua erat acri mordacique indole, Atticae comoediae, quam veterem appellamus, aemulari scriptores contendit, nihilque insolentiam veritus eorum, qui summa auctoritate apud Romanos valebant, quam asperrimis verbis usque eo eos incessere increpareque coepit, ut in vincula coniceretur. Quibus non ita prius tribunicia popularique rogatione liberatus est, quam damna, quae in prioribus comoediis inessent, laudibus, quae in novis continerentur, sarciret. At cum acre ingenium ad alia devertere non valuisset, in Metellos quoque petulantius versum coniecit:

Gell. VI. Noct. Att. 8; III. 15.

Fato Metelli Romai fiunt consules

cui rursus Metellos inuria lacessitos:

Dabunt malum Metelli Naevio poetae

respondisse traditum est, ut significarent nimirum se nullo modo esse passuros, poetam dignitatem ipsorum familiaeque amplitudinem carpere vel etiam arrogantius vellicare.

Ob invidiam quam sibi pepererat, paulo post, vel cum poema de bello Punico primo etiam conficiebat, vel vixdum perfecerat, nulla senescentis aetatis benefactorumque in patriam habita memoria, exilii perpetui poena multatus est. Uticam actus, quingentesimo quinquagesimo quinto anno ab Urbe condita vita decessit. Carmen refertur, quod in sepulcro sibi iussit inscribi :

Hieron. Chron. ad ann. Urb. cond. 567.

Mortales immortales flere si foret fas,
Flerent divae Camenae Naevium poetam.
Itaque postquam est Orcino traditus thesauro
Oblitei Romai loquier sunt latina lingua.

XIII. Post militiam igitur in tria ille carminum genera se maxime contulit, tragicum, comicum, epicum. Traduntur a scriptoribus septem tituli fabularum tragicarum Naevii, inter quos sunt « *Danae* » « *Equos Troianus* » « *Hector proficiscens* » alii nonnulli, qui res ex fontibus Graecis deprompsisse declarant. Attamen a Graecorum imitatione digressus, res patrias primus in scaenas agere instituit. Ex his duae fabulae memorantur, quarum altera « *Romulus* » altera autem « *Clastidium* » inscribebatur. Quantum nobis coniectura arguere licet, in illa Romulum primo puerulum, Lupae domi morantem, postea cum pastoribus quasi fatorum conscium multa animo molientem, denique Urbem una cum fratre condentem de eiusque nomine disputantem faciebat, quoad iratus eum necabat. In fabula autem altera, quae Clastidium inscribebatur, hinc illinc spectantibus mirantibusque Romanorum atque Insubrium exercitibus, M. Claudium Marcellum cum Virdumaro rege acriter in castris deproeliantem in Urbemque tandem regiis spoliis onustum triumphantemque inducebat. Hanc ob causam igitur, quod primus res Romanas in scaenis edidit, optimo iure eum fabularum illarum conditoris titulo donamus, quae ex vestibus Romanis, quibus

Fabulae tragicae

Horat. ad Pison. vers. 285 et segg.

histriones fabularum induebantur, inde ab antiquitate illa «*praetextatae*» vel «*praetextae*» dicuntur.

Maior, qua erat indole et natura, in fabulis comicis fuit, quarum triginta nomina ad nos pervenerunt, inter quae «*Agitatoria*» «*Gumnasticus*» «*Tarentilla*» in primis referuntur. Ex his fragmenta aliqua tantum exstant, in quorum primo quid ipse de libertate divitiis pluris facienda sentiat, praeclare eloquitur; in secundo vero valde miratur, quod ingens Cupidinis vis in parvo corpore adulescentis cuiusdam insideat; in tertio denique venustulam volubilemque puellam mordet, quae «*alii adnutat, alii adnictat, alium amat, alium tenet*». In fabulis contexendis contaminatione primus usus est, qua nempe altera in alteris fabulis sparsa ita simul composuit, ut unam saepe ex duabus vel ex tribus conficeret.

Fabulae comicae

XIV. Livii quoque Andronici vestigia secutus, patrium poema, quod «*Bellum Punicum*» inscribebatur primus, versibus saturniis quoque, quam scitissime potuit, adhibitis, componere adgressus est. Memorabile id quidem meritoque laudatum! Cum enim dirus Hannibal Numidicis equis exercitibusque Italiam urgeret, minitareturque extremam Urbi cladem, poeta iam admodum senex ex veteribus fabulis, quae in ore omnium atque sermone erant, pulcherrimum poema ementitus, una rerum in Carthaginienses antea gestarum recordatione animos civium cladibus caedibusque prostratos levavit atque incredibiliter erexit. Nimirum fuit suus Romanis quoque poeta in rebus adversis, ut Spartiatis Tyrtaeus. Quid profecto in tantis rerum asperitatibus angustiisque fieri a poeta aut contentius aut elatius poterat, quam in desperantium memoria memorabile bellum illud revocare, quo, qui iam iam Romanos superaturi viderentur, terra marique a Romanis sescentis pugnis devicti, Sicilia Sardiniaque cedere coacti, foedam tandem pacem a senatu precati essent? Quid? Nonne una poetae canentis voce et virtute, fortuna in melius vertisse videtur, siquidem milites Romani in spem erecti,

Bellum Punicum

Cic. de Senect. 14.

egregia pugna ad Zamam, duce Scipione, Poenum ad id tempus invictum profligaverunt?

In poemate conficiendo, quo acrius Romanorum in Carthaginienses odium concitaret, pervulgatissimis illis fabulis usus est, quae de Didonis amore et funere, Aeneae in Latium adventu, de origine Urbis narrabantur, quapropter multis eum de causis Virgilii non aetate tantum et poesis genere, sed re et materia ipsa, quam cecinit, praecursorem dicere non dubitaverim. Magno litterarum Latinarum detrimento Naevii poema de bello Punico intercidit; etenim, cum poetarum magnificentia non in concinnitate verborum tantum, neque in numeris atque modis versuum posita sit, sed in rerum granditate, quae divino mentis afflatu concinuntur, poema si exstaret, insigne et perantiquum carminis epici exemplar nobis exhiberet. Hanc igitur ob causam, cum pulchrum poema iudicaretur, non Ciceronis modo aetate sed Horatii quoque, cum iam Virgilius Aeneida fecerat, legi in communi grammaticorum usu erat et memoriae a pueris mandari.

M. ACCIUS PLAUTUS

Plauti nomen

XV. Egregiam in comoediis docendis laudem, quamvis parum litteris Graecis eruditus esset nullaque doctrinarum ratione instructus, ingenio tantum in cognitionem hominum atque usum adductus, hac eadem aetate Plautus sibi comparavit. Humili admodum loco Sarsinae, in Umbriae pago, ad annum quingentesimum post conditam Romam natus est. Quod nomen quodque praenomen ei fuerit, satis superque a doctis hominibus ad nostram memoriam disputatum est. At de hac subtilissima quaestione, quae ab Henrico Cocchia in prooemio ad Captivos pertractata est, hoc loco pauca dicemus. Nonnulli igitur auctoritate librorum fere omnium, qui scribarum manu antiquitus ex aliis transcripti, in bibliothecis

adhuc custodiuntur, poetam *Marcum Accium Plautum* appellatum esse censebant; alii contra contendebant *Titum Maccium Plautum* esse nuncupandum, quod in Mediolanensibus membranis iterum spongia abstersis, quae «παλίμψηστοι» dicuntur, verba haec scripta invenissent:

T. MACCI PLAUTI

CASINA EXPLICIT

Hanc opinionem acute Cocchia refellit, qui cum illud « *Macci* » quod in palimpsesto legitur, ex coniunctione « *M* » litterae praenomen indicantis cum nomine, a scriba indocto coaugmentatum suspicatus esset, ceterorum codicum auctoritate usus, suum poetae, ut mihi videtur, verumque nomen restituit.

XVI. Ut primum igitur Plautus adolevit, ad institutum aliquod vitae capiendum Romam cum quodam histrionum grege venit, apud quem scaenae ministri munere aliquot annos functus, privato ex compendio parvum peculium sibi comparavit. At cum vindemiolas, quas reservaverat, in agendis marcaturis collocavisset, ratus fore ut brevi ex pauperrimo dives evaderet, ob suam rerum istarum imperitiam brevi tempore ad extremam inopiam recidit, quare, si necessitatibus consulere voluit, molas in pistrino versare debuit. In his paupertatis angustiis, recuperandarum pecuniarum voluntas ingenio natura acri stimulos adiecit, ut horis subsecivis, quibus ipsi otium erat, aliquot fabulas componeret: noverat autem fabularum condendarum artem eo tempore, quod apud histriones consumpserat. Cum ergo fabulas numerata pecunia vendendas conscribere coepisset, Musis faventibus, nonnihil lucri primo fecit, aucta deinde magis magisque in dies populi gratia, etiam id quod ad bene beateque vivendum opus est, in loculos, ut Horatii verbis utar, demisit. Romae poeta mortuus est LXX annos natus, cum iam multa

Gell. III. Noct. Att. 3.

Cic. Brut. 15 Gell. I. Noct. Att. 24.

gratia atque honore apud populum universum valeret. Epitaphium hoc sibi composuisse traditum est:

Postquam est mortem aptus Plautus, comoedia luget,
Scaena est deserta: dein risus, ludus iocusque
Et numeri innumeri simul omnes conlacrimarunt.

Fabularum numerus

XVII. Huic nostro poetae amplius CXXX fabulae a bonis rerum scriptoribus, qui post eius aetatem fuerunt, assignatae sunt; quarum XX tantum integrae exstant, quae hodie eius verae habentur; quibus addenda quoque « *Vidularia* » quae tota fere intercidit. Equidem vero Plautum, qua incredibili erat ingenii feracitate, ut ex fabulis, quae in manibus sunt, facile patet, multo plures fabulas docuisse censeo, quamquam verisimile est ab histrionibus, qui ludorum in dies novandorum necessitati serviunt, maiorem ei fabularum numerum quam revera scripsit, falso attributum fuisse; videlicet aliorum etiam cum fabulas agerent, Plauti nomine eas agebant, quo theatra mendacio decepta facilius clamores plausumque histrionibus darent. Liceat ergo mihi — quamquam video quam mihi partem assumpserim—ab Aelio Stilone et a Varrone dissentire, quorum alter XXV fabulas Plauto, alter XXI tantum concedit. Fabularum illarum quae sunt, prologi nonnulli evanuerunt; de ceteris verine sint, an falsi, satis ambigitur. Ipsae autem fabulae corruptae multis locis videntur, vel quod interdum quibusdam partibus carent, vel quod versus translaticii in iis reperiuntur. Saeculo illo, quo studia renovari coepta sunt, Hermolaus Barbarus, vir ut Latinis litteris ita ceteris quoque disciplinis eruditissimus, versibus suis lacunas explevit.

Fabularum genera

XVIII. In libris manu scriptis XX Plauti fabulae ad litterarum ordinem dispositae inveniuntur, ex quibus ego, si certa aequabilisque fieri possit omnium divisio et cuiusque in genus suum distributio, alias cum propter compositionem,

contextum, structuram, tum quoque propter incredibilitatem rerum novarum, quae inopinanter fiunt, movere risum spectantium unice dicam; alias propter personas suas, quae notis novis inusitatisque insignes sunt, omnium hominum ingeniis illudere; nonnullas denique, quae utriusque generis laudes in se commiscent atque componunt, hominum vitam, quae reapse est, ad unguem expressam depingere.

Fabulae intextae

Earum in genere, quod primum statui « *Amphitruo* » « *Asinaria* » « *Cistellaria* » « *Rudens* » « *Poenulus* » « *Stichus* » recensendae sunt fabulae, quae in uno rerum nexu consistunt. Et revera in Amphitruone, cum Iuppiter et Mercurius, amissa deorum maiestate, mortales Amphitruonis et Sosiae personas gerant in terris, rerum incredibilium, pertubationum, ambiguitatum causa sunt, quae maxime concitant risum. Itidem in Asinaria iuvenes quidam male morati, ut sibi pecuniae copiam ad libidines faciant, rerum nodum solvunt asellorum auxilio, quos vendunt. In iisdem fere rebus, quae, ne nuptiae fiant, graviter obstant, fabulae Cistellaria et Rudens positae sunt; in altera enim praestanti forma puella cuiusdam parvulae cistellae signo dignoscitur atque ab illecebris lenae turpissimae liberata, iuveni cuidam, quem amat, uxor collocatur. In altera vero, risco ex navi, quae naufragio perierat, rudentis ope educto, puella quaedam a puero dignoscitur, qui statim eam uxorem ducit. Rursus conveniunt inter se, diversissimis tamen rebus, et Poenulus et Stichus. Etenim Poenulus ille peregrinus, qui punice interdum loquitur, post multos errores ambagesque, reduces tandem domum facit filias duas, quas improbi homines surripuerant. Contra in fabula Sticho pater nequam, filias nuptas absentibus maritis, moechorum lenociniis indulgere patrio iure et potestate compellit.

XIX. Secundo, de quo sermo, fabularum generi ascribam « *Aululariam* » et « *Truculentum* » in primis, tum quoque « *Casinam* » « *Curculionem* » « *Epidicum* » « *Mercatorem* »

«*Militem gloriosum*» «*Mostellariam*» «*Persam*» «*Pseudolum*» in quibus hominum mores singillatim per genera et per species depinguntur. In aliis enim istarum fabularum senes et puellae, in aliis iuvenes servique, suo cuiusque ingenio atque natura, primas partes agentes inducuntur, in aliis mulierculae, nebulones, parasiti fallaces materiam iocorum. rixarum, cachinnorum infinitam quasi praebent. En in scaenas sordidi senes cum errantibus gradibus, tum inexplebili pecuniarum aviditate, tum in amores proclivitate ridendi; en venustulae puellae, quae verba potius quam amores senibus donant; en iuvenes, qui amant, qui gaudent, qui rem familiarem amorum causa dissipant et perdunt; en meretrices, en lenae, quae pro datis amoribus pretia et munera ferunt; en parasitorum fauces servique nequissimi, qui ventri unice student, qui immodice comedunt, qui rident atque surripiunt.

Fabulae quae singula morum exempla exhibent

Atqui nec desunt in tanta perditissimorum hominum copia et varietate, qui et a vitiis abhorreant et virtutem sequantur, pauci inquam, ex quibus tamen colligere licet, etsi pro temporum indole atque ratione obscena plerumque et ludicra poeta noster secutus sit, probos homines et frugi non modo non sprevisse, immo vero haud raro vel interdum civibus imitandos proposuisse.

XX. Sed ecce in manibus fabulae quae, non ex Plautinis modo omnium consensu pulcherrimae habentur, sed quae in primis ceterarum apud populos litterarum immortali laude usque donatae sunt, «*Bacchides*» dico «*Captivos*» «*Menaechmos*» «*Trinummum*». Mira in istis sunt cum rerum, quibus conficiuntur, contextus, tum personae, quae a natura ipsa in scaenas translatae atque in versibus facili arte ad verum insculptae videntur. In orc omnium versantur fabularum argumenta. Bacchides, meretriculae, ut sunt geminae ex eadem matre sorores, ut facie quoque, capillis, oris habitu et corporis haud tantillo dispares, ita eadem naturae con-

Fabulae mediae inter genus utrumque

gruentia et morum improbitate inter sese concordant. Ex hac, quam in se expletam similitudinem habent, maxima errorum series oritur, unde decipiuntur et ridentur, qui amant. Pari item ratione, qui iisdem parentibus orti sint, gemini fratres, Menaechmi similes inter se sunt, quorum alter insignem alterius, ab imis, ut aiunt, unguibus ad summum verticem, tanta tamque indiscreta similitudine, sive formae, figurae, vocis, sive gestuum ac corporis motuum, speciem et imaginem exprimit, ut miros perpetuo aspicientium errores excitet idemque infinitas ex improviso ridendi causas praebeat. Tertia istarum fabularum, quae Captivi inscribitur, in egregiis animi sensibus duobus tota consistit, in amore videlicet patris erga liberos duos, alterum puerulum surreptum, alterum iuvenem captivum; in fide probitateque cuiusdam servi, qui miram sui ipsius liberalitatem in alios ostendit: ille una liberorum recuperandorum spe motus, captivos undique commercari non desinit nullisque impensis parcit: hic servitutem aequo animo servit itaque agit, ut tandem pater filios, quos amiserat, ipsius opera inveniat. Quae autem Trinummus inscribitur exemplum exhibet amici. Probus enim homo quidam in ea, domum amici, qui abest, pecunia sua emit, quam venalem illius filius fecerat, itaque domum conditumque in ea thesaurum amico benevolentissime servat.

Fabularum partes

XXI. In fabulis suis contexendis Plautus, ut poetarum comicorum mos erat, rem totam in tres partes distribuit, hoc est in prologum, in quo fabulae argumentum continebatur, in canticum et in diverbium, quibus res peragebatur ad exitum. Prologum vel adulescens comicus, vel ipse gregis dominus, vel denique persona ex scaenis pronuntiabat, priusquam fabula ageretur; canticum vero vel una tantum persona, vel catervatim omnes, ad tibias vocem assonantes, proloquebantur; in diverbiis denique vel duae, vel tres, vel plures personae inter se colloquentes et agentes inducebantur. Omnes poetarum comicorum laudes in Plautinis fabulis

inveniuntur, prae ceteris vero quae eorum propria et maxima est, quaeque vis comica dicitur. Hinc enim sermones alterni incredibili verborum copia, iocorum, facetiarum referti, in quibus, nisi quod versiculi sunt, nihil est aliud cotidiani dissimile sermonis; hinc celeritas illa personarum, sive in rogando respondendoque, sive in veris dissimulandis simulandisque falsis, sive etiam in contendendo atque rixando; hinc etiam sales et mordacia dicta, festivitas iuvenum et puellarum, asperitas senum, ex quibus fabulae Plauti fiunt reapse et imitatio vitae consuetudinisque speculum atque veritatis imago. Atqui nec desunt qui valde poetae laudi officere censeant, quod saepius ex Menandri, Philemonis, Diphili fabulis, qui comoediam novam post Aristophanem condiderunt, res fabularum suarum deprompserit. Quid? Nonne apud alios etiam populos eadem ratione multos et maximos poetas ex poetis, qui superiores aetate fuerunt, multa sumpsisse videmus? Non tamen omnia a Graecis vel ad verbum transtulit, vel surripuit ex integro. Multo plura in Plauti fabulis mihi esse videntur, quae ipse pro suo ingenio suapte natura vel addidit, vel sustulit, vel etiam meliora fecit. Fabularum ipsarum saepe nodos nexusque ita novavit, ita partes immutavit, ut quoddam quasi a se inventum novumque et magis Romanorum moribus constans exprimerent atque effingerent. Hanc ob causam mihi Plauti fabulas perlegenti saepenumero fit ut, vel Romanos credam in aliqua Graecorum urbe versari, vel Graecos mores suos ad Romanorum mores Graeculas ipsarum personas conformasse.

Imitatio atque novitas inventionis

Q. ENNIUS

XXII. Poetarum omnium, qui in amoena litterarum adulescentia, quam inquirimus atque indagamus, carminum epicorum laude floruere, Q. Ennius a plerisque maximus facile habetur. Rudiis, in parvo Messapiorum oppido, quod

Cic. I. Tusc. 1. Brut. 18.

proxime a Tarento situm erat, nobili genere poeta natus est anno post Romam conditam quingentesimo decimo quinto. Adulescentulum eum a patre Tarentum missum esse censemus, ut Graecis ibi magistris traditus litteris omnibus ac disciplinis institueretur. Ita enim in urbe illa Graeca, quam. quam quadraginta fere ante annis iam ea in dicionem Romanorum venerat, etiam tum, non secus ac prius, studia omnia vigebant, ut neque in servitute intermitterentur, neque remitterentur omnino. Tarenti itaque, quod, sive propter commeatus et commercia, sive propter amplissimum portum infinitis navibus patentem, a Romanis frequentabatur, non linguam tantum Graecam a magistris didicit, sed usu cotidianorum sermonum cum Romanis Latine loqui coepit. Cum vero Tarentini naves, quibus abundabant, amicis sociisque Romanis misissent, qui, bello Punico primo peracto, Sardiniam occupabant, in auxiliariis copiis stipendia merens, centuriae Ennius praefuit. Rem aliquam insignem inter bellandum ab eo factam esse suspicamur, siquidem Catonis ad se animum ibidem militantis ita convertit, ut ab eo Romam, postquam insula occupata est, cum ipso venire iussus sit. Non minore Catonem laude dignum existimabat Cornelius, quod secum poetam in Urbem adduxisset, quam quod de Sardiniensibus triumphavisset amplissime. Romae tamen, cum poetarum donis cumulandorum mos nondum invaluisset, ut cotidiano victui prospiceret, puerorum litteris Graecis publice erudiendorum munus ei fuit obeundum. Itaque, cum per discipulos apud universum populum percrebuisset fama quod versus funderet, in Scipionum gratiam primo, in amicitiam familiaritatemque M. Fulvii Nobilioris postea acceptus est.

Nep. Cat. 1.

XXIII. Quinquaginta fere annos natus, Nobiliorem exercitus in Aetoliam ducentem secutus est, atque in castris cum eo aliquot menses versatus, oppugnationi Ambraciae urbis pugnans interfuit, quam postea versibus celebravit. Cato ut probrum M. Nobiliori obiecit, quod poetam ineptum secum in

provinciam duxisset. Ratus enim est Censor id ea de causa egisse, ut res, quas se facturum sperabat, a poeta celebrarentur. Romam ex Epiro reversus, Q. Nobiliore, M. filio, rogante cunctoque populo Romano probante, civitate ob favorem, quem suis carminibus sibi comparaverat, donatus est, praediolumque in agro Piceno a Nobiliore muneri accepit. Reliquam aetatem cum bene beateque Romae degisset, graviter molesteque in senio pedibus laborans, annum septuagesimum agens e vita migravit. Eum in Scipionum sepulcro ex veteribus scriptoribus conditum esse Cicero rettulit. Cum tamen nullum ex sepulcro, quod anno millesimo septingentesimo trigesimo post Christum natum inventum est, carmen de Ennio in lucem provenerit, auctoribus ceteris maiorem fidem faciemus, qui Rudias eum in patriam urbem translatum post mortem esse tradunt. Cicerone eodem teste, poetam morientem carmen hoc:

Cic. Brut. 18.

Cic. de Senect. 5.

Cic. pro Arch. 9. Liv. XXXVIII ab Urb. cond. 65.

Aspicite, o cives, senis Enni imaginis formam:
Hic vestrum panxit maxima facta patrum.
Nemo me dacrumis decoret nec funera fletu
Faxit. Cur? volito vivos per ora virum.

composuisse sibi novimus, in posteritatem omnem se, quasi vivum, ob carminum famam nominari posse sperans.

Cic. I. Tusc. 15.

XXIV. Strenuam igitur cum litteris ac poeticae operam dedisset, sermonesque tres calleret, Oscum, Graecum, Latinum, quamobrem sibi *tria corda* esse dicebat, plurima carmina scripsit, quae vetustate perierunt, inter quae erant nonnullae fabulae, aliae tragicae, comicae aliae, et liber de bello Punico secundo. Ex Euripide, facta sibi quidlibet immutandi licentia, tragoedias XXII in Latinum transtulit. Potiores Euripidis fabulas quam ceterorum Graecorum scriptorum faciebat, sive quod sententiis illae gravissimis grandibusque verbis abundabant, sive quod spissioribus nodis

Gell. XVII. Noct. Att. 17.

Fabulae tragicae

multisque personis continebantur, sive praesertim quod ex tristissimis commenticiisque rebus iis conflabantur, quae animos quam maxime ad pietatem et miserationem movere solent. Nomina ipsa fabularum istarum, quae supersunt, ut « *Andromacha* » « *Medea* » « *Thyestes* » atrocissimis heroum clararumque mulierum casibus poetam in primis delectatum esse indicant. Naevii vestigia secutum, fabulas etiam patrias nonnullas eum composuisse probabile est, in quarum numero erat profecto illa, quae « *Sabinae* » inscribebatur. Res enim praeclarissima et ad scaenas quasi nata, poetae materiam eam praebebat, ex qua, ad poetarum Graecorum rationem et morem, qui unam atque eandem rem tribus, ut novimus, fabulis pertractare soliti erant, Naevianam fabulam, quae « *Romulus* » inscribitur, expleret et ad totius exitum rei produceret. Non desunt qui credant ex oppugnatione Ambraciae, cui interfuerat, fabulam tragicam confecisse, quae « *Ambracia* » inscribebatur, ut in scaenas patronum suum Nobiliorem agentem induceret. Equidem contra censeo rem epico generi magis idoneam aliquo Annalium loco, cum *maxima patrum facta pangeret*, eum certo celebrasse; in quam me sententiam Cicero trahit, qui in Tusculanarum loco, quem paulo supra memoravimus, dum de carminibus convivialibus accurate agit, Catonem probri redarguentem Nobiliori memorat; quae quidem convivialia carmina, ut constat, non ad scaenicum, sed ad epicum genus spectabant.

Quaestiuncula de Ambracia

In fabulis comicis quoque docendis Ennius versatus est; in quibus sane, cum paratiore proclivioreque ad elatiora argumenta canenda mente animoque uteretur, se longe minor evasit. Nomina quoque nonnulla fabularum istarum circumferuntur, ut « *Caupuncula* » hoc est parva mulier, quae esculenta et poculenta vendit, ut « *Pancratiastes* » quod vocabulum Graecum pancratii victorem in certaminibus sonat.

Fabulae comicae

XXV. Carmina quoque, cum rebus, quae in iis continebantur, tum numeris versuum et modis, tum genere ipso non

a fabulis modo prorsus diversa, sed inter se quoque multum distantia facili vena primus composuit; quae carmina, propter similitudinem suam cum illa lance, variis frugum, pomorum, vel similium generibus referta et, ut ita dicam, satura, quae in exstruendis deorum lectisterniis comparabatur, ab rerum abundantia tunc primum « *Saturae* » appellata sunt; quippe poeta, cum carmina ex rebus valde diversis conficeret, mensas quasdam conquisitissimis et variis sapientiae cibis refertas apparari sibi visus est. Istarum satirarum partibus singulis singula nomina, vel a scriptore ipso, vel ab iis, qui postea eas notis illustrarunt, data sunt. Prima « *Praecepta* » appellata est, secunda « *Heduphagetica* » tertia « *Epicharmus* » alia « *Euhemerus* » alia « *Sota* » alia « *Epigrammata* » ceterae aliis nominibus pro rerum diversitate suarum. Ex notitiis, quae in auctoribus inveniuntur, has satiras multum etiam tunc, non poetarum modo ornamentis, quibus abundabant, sed novitate rerum praesertim placuisse Romanis inferimus. Primus enim Romanorum Ennius, Epicharmi doctrinas secutus, deos deasque, qui summa religione colebantur, nihil aliud esse docuit, quam res illas, quae in natura fiunt, quaeque vocabulo Graeco « φαινόμενα » appellantur. Videlicet homines, terrore quodam, vel aliqua mentis concitatione permoti, cum in speciem et formam hominum res illas conversas cogitavissent, deos omnes et heroes, illarum imaginum instar, quas in somniis videmus, sibi effinxerunt. Ex his igitur doctrinis poema confecit, quod Epicharmus inscribebatur.

Saturae

Epicharmus

XXVI. In altero, cui nomen Euhemerus, de hominibus agebat illis, qui cum reapse in terris cum ceteris hominibus versati essent, propter virtutem suam et res gestas, diis post mortem in caelis immixti ab iisque cum naturam tum etiam nomina mutuati, tempore sempiterno fruuntur. De huius poematis origine haec apud Ciceronem invenio: « *Euhemerum noster et interpretatus et secutus est praeter ceteros Ennius* ». Euhemerus autem, ut ex titulis inscriptis, qui in

Euhemerus

templis, ut constat, habebantur, in primisque Panchaiae Indiae, historiam deorum composuerat ita tamen ut eorum nomina, qui dii putabantur, ad veteres reges, imperatores, navarchos referret; quapropter « ἄθεος » appellatus est a sapientibus illis, qui multis annis post eum veram Christi doctrinam secuti sunt.

Cic. I. de Nat. Deor. 42; Varr. I. de Re rust. 48.

In versibus autem, qui Heduphagetica inscribebantur, de re coquinaria, ut nomen idem Graecum sonat, ea mente forsitan agebat, ut multis salibus acetoque voraces homines rideret. In Epigrammatis denique, in Praeceptis, in Sotadeis carminibus de omnium hominum moribus atque vitiis acriter sententiam ferebat. Alternis versibus longiusculis ad proceritatis et brevitatis mensuram, quam Graeci adhibebant, in carminibus his condendis primus, ut videtur, usus est, eumque ceteri poetae cum aequales, tum qui post eum fuere, in alio carminum genere secuti suut.

XXVII. Grandis natu iam pulcherrimum egregiumque patrium poema composuit, quod « *Annales* » inscripsit. Res gestas Romanorum omnes ab incunabulis Urbis deinceps ad memoriam suam versibus hexametris prosecutus est, quos Q. Vargunteius, ut refert Svetonius, cum in libros duodeviginti distribuisset, certis diebus in magna hominum frequentia pronuntiabat. Poema hoc, quod interdum ab eruditis et grammaticis, qui postea fuerunt « *Romais* » nuncupatum est, et grande fuisse atque grave, artisque et litterarum ad id tempus condicionibus inspectis, plenum, non ex rerum scriptorum mentionibus modo colligimus, sed ex reliquiis quae exstant, facile ipsi videmus. Supersunt enim, passim in eruditorum hominum libris relati, versus ad sexcentos nonaginta fere, qui omnibus orationis luminibus, sive illis, quae in singulis verbis et a ceteris paene seiunctis elucent, sive illis, quae ex nova plurium verborum compositione nascuntur, rem mirum in modum distinguunt atque vividioribus quasi pictorum coloribus illustrant. Plurima enim in Annalium versibus verba reperiuntur,

Annales seu Romais

vel a poeta primum inventa, vel novata, vel ficta, vel iterum excusa, ut *altitonans*, quod de Iove dicit, ut *suaviloquens*, *laetificum*, quae sive ad oratorem sive ad gaudium refert, ut *saxifragae*, *velivolae*, *dulciferae*, quae exornandi causa cum nominibus undis, navibus, ficis coniungit. Nec desunt vocabula ad similia ex similibus significanda traiecta, quae rem augeant minuantve; nec item declarantia atque redundantia, quibus oratio et incitatius volvatur aut cadat, et astrictior rebus inserviat; nec denique orationis ornatus desunt, qui in delectu et compositione verborum consistunt.

Etiam versuum condendorum rationem, inconditis rudibusque saturniis numeris relictis, quibus et a Naevio bellum Punicum, et a multis aliis plura ad id tempus scripta fuerant, peropportune ita immutavit, ut ad Graecorum poetarum artem quam maxime se conformaret. De hac re apud posteros quadam sui ipsius delectatione gloriari voluit. In aliquo enim Annalium loco versus satius lacunosos habet, quos Iohannes Pascolius coniectura ita sarcivit:

Frag. ex libr. VII.

Scripsere alii rem
Vorsubus, quos olim Faunei vatesque canebant,
Cum neque Musarum [auxilio] scopulos [superarat]
[Quisquam] nec dicti studiosus quisquam erat ante hunc.

Versus autem, quos sex pedibus alternis confecerat, partim dactylis partim spondeis, Cicerone teste, longos appellavit, qui ex mensurarum numero hexametri nuncupantur.

XXVIII. Confer itaque Annalium hexametros, qui supersunt, cum inconditis rudibusque versibus illis saturniis, quos ceteri ad id tempus poetae adhibere in carminibus solebant; confer, si placet, cum divinis illis Aeneidis numeris, qui suavitate in primis aures delectant: Ennium videbis primum non solum verbis fere solutis numeros ex vocum omnium mensione ad poetarum Graecorum usum adiunxisse,

sed etiam sermonem Latinum asperum et horridum ad lenitatem quandam et suavitatem inflexisse eumque ita amplum. ita concinnum, ita ad versus heroici mensuram aptum, ut ad perfectionem eam, eius opera, accessisse dici possit, quam in Virgilio praesertim admiramur. Hunc Ennii versum:

Cum superum lumen nox intempesta teneret

cum Virgiliano illo compone:

Et lunam in nimbo nox intempesta tenebat

atque etiam alium illius:

It eques, et plausu cava concutit ungula terram

in quo resultans equi currentis sonus recinit cum Virgilii celebratissimo:

Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum.

Alios atque alios multos utriusque versus inter se compara, ut similitudines illas deprehendas, quarum causa traditum est Virgilium, cum aliquando Ennium in manu haberet, rogatum quidnam faceret, respondisse, se aurum colligere de stercore Ennii. Stercus autem vocabat faecem illam versuum, quam, traiecta a metallis ad grammaticorum figuras vocabuli significatione, Graeci « σκωρίαν » dicebant. Neque autem iniuria ita respondit. Nonnulli enim Ennii versus minime revera probantur, vel quod nimia molestissimaque litterarum adnominatione peccant, ut ille, qui in specimen vitii circumfertur:

O Tite, tute, Tati, tibi tanta, tyranne tulisti

cuiusque artificium profecto nemo est qui non videat; vel quod insolenter verborum divisione illa abutuntur, quae Graece « τμῆσις » vocatur, ut in exemplo « *saxo cere comminuit brum* » quod saepe etiam memoratur.

XXIX. Nihilominus Ennius maximis laudibus cumulatus est etiam ab illis scriptoribus, qui multis annis post eum fuerunt. Cicero eum summum poetam epicum dicere non dubitavit, eiusque versum:

Moribus antiquis res stat Romana virisque

Cic. II. de Leg. 35.

vel brevitate vel veritate tamquam ex oraculo quodam effatum esse iudicavit. Item in carmine suo Lucretius Ennium primum «*amoeno detulisse ex Helicone perenni fronde coronam per gentis Italas hominum quae clara clueret*» affirmat. Eos tamen ceterosque, qui poetam laudaverunt, Quintilianus admiratione praestat. «*Ennium*» inquit «*sicut sacros vetustate lucos, adoremus, in quibus grandia et antiqua robora iam non tantam habent speciem, quantam religionem*». Quintilianum poeta ipse vicit, qui ut seipsum laudaret, per palingenesiam, quam vocant Pythagorici, Homeri animam in se transmigrasse firmissime credidit.

Lucr. I. de Rer. Nat. 117.

Quint. X. Inst. 1.

CAECILIUS STATIUS

XXX. In comicis poetis, qui Latinis litteris iam adolescentibus fuere, Statius Caecilius recensendus est, qui natione certe Gallus ex Insubribus fuit, Mediolani, ut videtur, ortus. Romam et ipse anno quingentesimo tricesimo tertio post Urbem conditam venit, in bello illo Gallico captus, quod eius anni consules, M. Claudius Marcellus Cn. Cornelius Scipio, qui a tonso capillo Calvus appellatus est, duobus proeliis confecerant. Alter enim, Virdomaro rege, qui auxilia tulerat, ad Clastidium interfecto, lectisque spoliis opimis, exercitus ad internecionem cecidit; alter vero Insubrium copias ad Mediolanum, quod arx erat regni et caput, delevit. A Caecilio quodam, qui eum e captivis emerat, libertate donatus est, cuius

Gell. X. Noct. Att. 20; Hieron Chr. ad ann. 575.

beneficii gratia, ut mos erat servorum, Caecilium nomen ascivit. Deinceps conturbenalis Ennii poetae fuit, qui eum hospitio ad extremam aetatem accepit. Paucos post annos, quam amicus mortuus est, et ipse vita decessit, humatusque in Ianiculo colle.

XXXI. Fabularum comicarum scriptor non obscurus medium inter Plautum et Terentium non aetate tantum atque temporum ordine, sed genere ipso locum occupat. Etenim cum penitus a Plauti imitatione esset profectus, ab eadem sensim sine sensu discedens, ad eam fabularum condendarum artem accessit, quae Terentii propria est. Romanis primo haud multum placuit: postquam vero Plautus mortuus est, cum fabulas suas histrioni cuidam eximio, Turpioni Ambivio nomine, cuius Cicero meminit, in scaenis agendas commisisset, tantum sibi multitudinis favorem conciliavit tantamque laudem, ut Terentianae fabulae, aedilium iussu in theatris agi prohiberentur, nisi eas antea Statius dignas diiudicavisset, quae in publicum prodirent.

Ter. Hecyr. prol. 14.

Cic. de Senect. 14.

Fabularum Statii nomina ad quadraginta circumferuntur, ex grammaticorum notationibus deprompta, in quibus « *Androgynos* » « *Hymnis* » « *Synephebi* » adnumerantur, quas nominibus Graecis inscripsit; tum etiam « *Exul* » « *Portitor* » « *Pugil* » quae Latina sunt. In quibus fabulis conficiendis, ut earum contextus unam omnino actionem contineret responderentque extrema primis, media utrisque, omnia omnibus, a contaminatione, qua ceteri valde delectabantur, se abstinuit; cuius rei causa eum Varro eo usque laudavit, ut in argumentis poscere palmam affirmaret.

Fabularum nomina.

XXXII. Nonnulla fabularum fragmenta in grammaticorum libris leguntur, Gellii praesertim, qui versus nonnullos ea mente refert, ut, instituta inter Latinum poetam et Menandrum iudicatione comparativa, dicendi genere et arte hunc valde superiorem illo esse concludat. In fragmento, quod certe ad Synephebos spectat, facetissimo illo dissimulationis genere,

Gell. II. Noct. Att. 23; IV., 10, 13.

quo Socrates utebatur, Cupidinem, Veneris filium, carpit, qui, qua liberalitate hominibus beneficia atque voluptates largitur, eadem maleficiis ista et doloribus pensare gaudeat. In alio vero de agricola haec pulcherrime notat:

Serit arbores quae alteri saeculo prosint

cuius sententia eadem est ac in illo lenissimo Virgilii versu:

Insere, Daphni, piros: carpent tua poma nepotes

qui in nona ecloga legitur. Ex Menandro multa in Latinum convertit, in quibus praecepta de bene beateque vivendi ratione traduntur, ut illud:

Ζῶμεν γὰρ οὐχ ὡς θέλομεν, ἀλλ' ὡς δυνάμεθα

quod ita ad verbum eleganterque reddidit:

Vivas ut possis, quando nequis ut velis

atque etiam aliud sapientiae atque doloris plenum:

Μικρόν τι τοῦ βίου καὶ στενὸν ζῶμεν χρόνον

ex quo ipse minus bene detracta interpretatione, quae inest in Menandri versu:

Exigua pars est vitae, quam nos vivimus.

Πλοκίου argumentum

Ex omnibus fabulis plurimum illam Gellius fecisse videtur, quae «Πλόκιον» id est parva coma, vel potius armilla, inscribebatur; nam Graecum vocabulum unum alterumque indicat. In versibus, qui ab eo alligantur, fabulae contextus

non modo, sed compositio et forma integra fere deprehenditur. Hebes quidam senex eiusque uxor ad deformitatem insignis agentes inducuntur. Haec ingentis dotis praesidio, quam a parentibus acceperat, suspicionibus ac sollicitudinibus amantis anxia, illum satius necessario excruciat atque sollicitat, quod nimiam mirae pulchritudinis famulae benevolentiam praestare credat, itaque eum agitat itaque verbis perstringit, ut puellam domo dimittere cogat. Iuxta domum eorum interea cum parentibus suis praestantissimae formae puella fortuito domicilium collocat, cuius amore senis filius statim ardet. Iam nuptiae apparantur, cum ex inopinato fit manifesto eam in eo esse, ut parto laboret. Ex armilla, quam puella gerit, colligitur illum ipsum quem amat, esse qui ipsi in sacris nocturnis vim intulerit, ex quo nuptiae matrimonii dignitati statim consentaneae, parentibus utriusque secundis conficiuntur.

Laudant hunc poetam plures, in iis Cicero, qui ei primas in comicis poetis fortasse dedisset nisi, cum ceteri aequales Latine loquendi laude praestarent, male eum locutum novisset.

Cic. de Opt. gen. 1; Brut 74.

P. TERENTIUS AFER

XXXIII. Quo anno P. Terentius certe natus sit, vel qua in urbe nondum satis cognitum habemus. Est enim de utraque re inter scriptores controversia. Svetonius, quem nos, certioribus documentis fallentibus, testem sequimur, Carthagine ex parentibus ab interiore Africa oriundis ortum esse tradit; fuisse autem Terentii Lucani senatoris servum, qui eum puerulum a patre surreptum venalemque Romae factum emerit: quamquam non desunt qui eum Romanum et ingenuum fuisse credant Afrumque nomen non a patria sed a colore habuisse. Paulus Orosius vero, qui floruit exeunte quarto saeculo postquam Christus natus est, captum eum existimat. « *Scipio* »

Svet. vit. Ter.

inquit « *iam cognomento Africanus, triumphans Urbem ingressus est, quem Terentius, qui postea comicus fuit, ex nobilissimis Carthaginiensibus captivis pileatus, quod indultae libertatis insigne fuit, triumphantem post currum secutus est* ». Cui opinioni nihil est cur assentiamur cum, confecto secundo bello Punico necdum inito tertio, natus sit et mortuus Terentius. Ob ingenium igitur et formam a Terentio Luçano, viro nobilissimo ac bene cordato, non institutus modo liberaliter est, sed et mature manumissus. Optimis litteris patroni cura eruditus, in clarissimorum hominum amicitiam pervenit, in deliciisque a Scipione Africano illo, qui Minor dictus est, et a Laelio, sapientissimo viro, habitus; ex quorum consuetudine atque familiaritate morum illam dignitatem loquendique Latine facultatem didicit, quibus profecto cum natione barbarus esset, urbanissimus civis evasit. Hanc ob causam opinio illa et error fuit, quem detractores eius in populum serebant, ut non ipse, sed patroni fabularum auctores crederentur. Quod cum verum esse non negavisset poeta, propter comitatem suam et gratiam, quam in amicos habebat, fama rei percrebuit. Equidem eum censeo eorum consilio tantum in componendis fabulis usum, ab iisque saepe sciscitatum quid de iis sentirent. Sex fabulas, quae exstant, docuerat iam, cum vel iniuriarum vitandarum causa, vel ut poetarum Graecorum artem penitus nosceret, anno quingentesimo nonagesimo quarto post Urbem conditam Athenas se contulit, posteroque anno, cum Stymphalum devertisset, sex viginti vix annos natus fato concessit. Nonnulli eum naufragio, dum in Italiam navigat, periisse referunt, alii autem morbo, in quem inciderat, alii denique incredibili dolore cruciatum, quod fabulas quasdam, quas in Graecia ex Menandro verterat, quasque ante se ad amicos miserat, mari cum navi absumptas esse novisset.

Cic. VII. ad Att. 3.

XXXIV. Sex fabulas Terentius reliquit, quarum, servato temporum ordine, quo in scaenas prodierunt « *Andria* » prima

Andria

est. Megalensibus, Romanis ludis, primo in scaenas venit, qui in Cybeles deae matris honorem anno quingentesimo duodenonagesimo ab Urbe condita magnificentissime apparati sunt. Haec est fabulae res. Pamphilo, iuveni Atheniensi, qui puellam ex Andro oriundam Glycerium nomine amat, vehementer pater non aliam ob causam obstat quominus uxorem ducat, quam quod, cum multos ante annos ea ex naufragio ab ignotis hominibus peregre collecta fuerit, nomen eius verum et genus penitus ignorentur. Res igitur in magnis difficultatibus est, cum Andrius iuvenis quidam ex improviso Athenas venit, cuius testimonio Glycerium Chremetis filiam eam omnibus esse liquet eandemque, quam multis annis ante naufragio amissam crediderant. Re ita comperta, nuptiae apparantur. Secunda fabula, quae « Ἑαυτὸν τιμωρούμενος » inscribitur, hoc est ipse se puniens, in qua senex Menedemus semet ipsum duriter accipit excruciatque quod propter saevitiam suam Cliniam filium in castra stipendia facturum proficisci compulerit tandemque, dummodo filius domum suam redeat, ei uxoris ducendae potestatem facit. Lenissima haec fabula est, tranquilla neque perturbationibus aestuans, ideoque in fabulis illis, quae *statariae* dictae sunt a veteribus grammaticis recensebatur. Fabula tertia, quae « *Eunuchus* » inscribitur, novum exhibet rerum contextum. Adulescens enim in hac, qui primas partes ad conclusionem tenet, puellae cuiusdam causa, quam amat, eunuchum se esse simulat. In eius domum igitur, ut servus acceptus, talem puellae custodiendae operam dat, ut ei obdormienti vim primum iniciat deinde eam sibi matrimonio coniungat. Octo milia sestertium hanc fabulam ab aedilibus, qui ludos exhibebant, emptam esse traditum est, eamque theatris ad plausum facilioribus quam ceteras usam.

Fabula stataria « Ἑαυτὸν τιμωρούμενος »

Eunuchus

XXXV. Ad genus aliud fabularum, quae a discursantibus personis et tumultuantibus turbulenter aguntur, quaeque ab iisdem grammaticis *motoriae* appellatae sunt « *Phormio* » mihi in primis pertinere videtur. In hac enim fabula, quae quarta

Phormio fabula motoria

est, parasitus quidam nomine Phormio, non tantum, ut iuvenis cuiusdam cum puella amoribus faveat, omnem adhibet machinam, sed fraudibus etiam utitur, malis consiliis, dolis, insidiis, quibus ab eius parentibus pecuniam extorqueat. Quinta fabula « *Hecyra* » illa est, quae, cum primo edi coepta est, propter invidiam obtrectatorum ad exitum peragi non potuit. Cum autem in L. Pauli Aemilii funeribus celebrandis iterum ederetur — haec autem funera fuerunt anno quingentesimo nonagesimo quarto — qui spectandi causa aderant, scaenis relictis, in alium locum, signo aliquo dato, procurrerunt funambulorum ludos spectatum, qui dedita opera eodem tempore fiebant. Id idem fere Megalensibus ludis repetitum est, nam inita fabula, cum gladiatores inter se more suo contendere coepissent, multitudo, quae eo convenerat, theatrum deseruit. Ad finem tum fabula perduci potuit, cum tertio in Romanis ludis edita spectantium intentionem occupavit. Fabula haec Hecyram nomen habet, quia quidquid in ipsa fit per socrus Myrrhinam et Sostratam agitur. Fabula sexta, quae potior ceteris est, quaeque in aureolis litterarum omnium habetur, ex duobus fratribus, qui primas sibi partes suscipiunt « *Adelphoe* » inscribitur. Eorum alter altera ratione a puero instituitur: Aeschinus aetate maior, ingenue ac liberaliter ab avunculo, qui eum a patre adoptavit, ad omnem civitatis disciplinam in urbe conformatur; Ctesipho contra duriori severiorique vivendi agendique rationi subicitur, quam unam pater, qui ruri cum filio modice parceque versatur, ad honeste vivendum conducere credit. Ex dissimili disparique utriusque institutione, in altero comitas maxima est, maxima in altero duritas. At, aetate progrediente, in amores et voluptates capiendas, ad quas natura ipsa trahuntur, fit pariter uterque proclivior, ita tamen ut, quem pater bene moratum habuerat, is sibi magis indulgeat, ille vero, qui leniore disciplina usus erat, moderatiorem se prudentioremque in deliciis voluptatibusque fruendis exhibeat.

Hecyra

Adelphoe

Comparativa fabularum iudicatio

XXXVI. In inveniendis rebus ad fabulas contexendas idoneis, Plautum secutus est, qui a Graecis ut proxime diximus, multa deprompsit. Fabularum nexus iidem fere in utroque sunt, eaedem personae; dissimillimi tamen hominum mores, indoles atque natura. Plautus eadem sentit, quae vulgus obscurum, cui scribit; Terentius contra doctrina excultus, in eruditissimorum hominum usu ac consuetudine absolutus, iis sensibus est, ut ad studium probitatis, virtutis, fidei potius feratur. In hominum moribus describendis ridendisque ille petulans est, immodicus, procax plerumque, interdum obscenus; hic elegans semper et dulcis, urbanior in primisque facetus. Quoslibet ille sine discrimine petit lacessitque atque laedit; hic improbos tantum et vitia. Viri mulieresque, qui agentes in fabulis Terentianis inducuntur, spectatis plerumque moribus sunt, integri, temperati, ad humanitatem pietatemque molliores, quam ad vitia et malefacta procliviores. Uxores ingenuae, pudicae, modestae, quae in Plautinis fabulis vel saepius desiderantur, vel penitus absunt, haud raro apud Terentium nobis occurrunt. Meretriculae illae ipsae, quas in scaenas inducit, ne a comicorum more deflexisse dicatur, minus sordidis moribus suis gaudent, quam iniquam condicionis suae fortunam ferunt; nam eo animo sunt, ut pudorem et castimoniam minime amisisse videantur. Lasciviis utique amoribus indulgent homines, neque tamen patres pravis exemplis apertisque liberos offendunt, neque item filii foede parentibus irrident. Atque etiam vehementiores mentis atque appetitus motus cohibent, ne aut nimium rationi non obtemperantes videantur, aut inconsulto iniurias aliis iniciant. Infima illa servorum, mancipiorum, parasitorum, nebulonum faex, quae Plauti scaenas frequentat, abest a nostro; servi enim ipsi et clientes urbaniores sunt, similiores benevolentioresque dominis, quorum commodis perdiligenter adsunt et inserviunt. Hinc fit ut in describenda ea hominum parte, qua cives boni patriciique continebantur, et ad verum quam proxime potest

accedat et Plautum, ut ita dicam, expleat et perficiat, idemque etiam turpem vitiorum illius imaginem pulchrioribus coloribus emendet.

XXXVII. Orationis quoque genere inter sese maxime distant. Plautus vulgari et cotidiano illo multitudinis sermone utitur, qui solus ei notus erat, qui salibus valde, facetiis, obscenitatibus, iocis, maledictis, exsecrationibus abundat, verbisque illis abutitur, quae aliud aperte sonant, aliud tecte significant, aliud intelligere sinunt. Terentius urbaniorem illum sermonem lepore et venustate plenum, argutiis, facetiis, verbis concinne dictis conditum, adventiciis importatisque a Graecia vocabulis sparsum adhibet semper, quem in hominum eruditorum illorum ore deprehenderat, quorum familiaritate assidue utebatur. Hac de causa ut Plautus dicendi facilitate et vi, quae comicorum poetarum propria est, atque verborum copia Terentium facile praestat, ita sermonis munditie, decore, venustate, arte, quae eruditorum sunt, non modo cum eo non contendit, sed ab eo superatur omnino.

Contaminatione Terentius quoque usus est in conficiendis praesertim illis tribus fabulis Andria, Eunuchus, Adelphoe, cuius rei cum a malevolis ob invidiam quam diximus, acerbius accusaretur, id aliorum exemplo Naevii, Plauti, Ennii se fecisse defendit. Cum a Menandro multa deprompsisset, atque etiam interdum meliora fecisset, Menander Latinus a Cicerone, a Cesare autem, cui vi comica quasi carere visus est, dimidiatus Menander est appellatus.

Ter. Andr. prol. v. 17 et segg. Svet. Vit. Ter. 5.

MINORES FABULARUM SCRIPTORES

XXXVIII. In palliatis quoque fabulis docendis, multi inter Terentii aequales supparesve operam posuerunt, qui tamen eo longe inferiores fuere. In his recensendus est *Trabea* ille, cuius Cicero quibusdam in locis meminit, et in Tuscu-

lanis nonnullos versus et pulchros refert. Eum apud Charisium Varro quoque laudat, quod in concitandis animi sensibus, quos Graeci «πάθη» nominant, multum valeret. Tum etiam *Lucinius Imbrex* — qui idem videtur ac Licinius Tegula, quem ex Livio carmen, sicut patrum memoria Andronicum, ter novenis virginibus canendum per Urbem composuisse novimus —; huic igitur Gellius in comicorum poetarum tabula quartum locum assignat eiusque versus refert ex fabula, quae «*Neaera*» inscribebatur. Tum postea *L. Atilius*, cuius mentio ter apud Ciceronem occurrit. Eum poetam durissimum appellat eiusque notat illud, quod cessit in proverbium: «*Suam cuique sponsam, mihi meam; suum cuique amorem, mihi meum*». Eundem tamen Volcacius in tabulis Terentio praeponit. Tum *Platius* et *Aquilius* qui a Gellio memorantur; tum *Luscius Lanuvinus*, qui in theatro acriter Terentio adversari ausus est; tum *Sex. Turpilius*, quem Cicero cum Terentio ita confert, ut cum eo aliquomodo aequare videatur. Nec immerito quidem, nam quantum ex Turpilii fabularum fragmentis, quae supersunt, nobis colligi licet, quae morum probitas in Terentio laudabatur, eadem in eius fabulis reperiebatur eadem in utroque sententiarum pulchrarum frequentia inerat, eadem concinnitas atque elegantia sermonis.

Cic. IX ad Fam. 21; II. de Fin. 4; IV Tusc. 31.

Liv. XXXI ab Urb. cond. 12.

Gell. XIII. Noct. Att. 23.

Cic. XIV ad Att. 20; I. de Fin. 2; IV. Tusc. 11.

Ter. Eun. prol. 8 et segg.

Cic. IV Tusc. 34.

XXXIX. Fabula palliata, quam Andronicus importaverat, cum personas Graeco more palliis indutas perpetuo in scaenis exhiberet — erat autem pallium Graecis peculiare, ut Romanis toga — eam earundem usque rerum, quae in iis agebantur, satietatem fecit, ut Romanis pedetemptim placere destiterit. Ipsa itaque defessa et labente, cum multitudinis favor in togatam concessisset, quae mores civium italico aceto perfunderet, brevi tempore accidit ut ab hac una Romanorum theatrum occuparetur. Huiusmodi fabularum generis quattuor species erant, quae propter dissimilitudinem personarum quas inducebant, *togatae*, *tabernariae*, *atellanae*, *planipediae* vocatae sunt. Primae erant illae in quibus magistratuum, qui

Fabularum genera

tunica vel purpurea praetexta induti erant, mores pravi et vitia carpebantur; secundae vero in quibus cives privati, mercatores, caupones, qui merces suas in tabernis vendere consueverant, agentes et colloquentes inducebantur; tertiae in quibus municipes et coloni iocis et salibus inter sese vellicantes prodibant; quartae denique in quibus personae ob res humillimas, quas agerent, neque cothurnis utebantur, neque soccis. Primus, ne ab inita temporum servandorum ratione discedam, multitudinis voluntati *Titinius* indulsit, qui fabulis tabernariis eodem tempore, ut videtur, operam dedit, quo Terentius in palliatis tantum docendis versabatur. Titinii fabularum nomina quindecim tradita sunt, nec non quaedam fragmenta, ex quibus res ipsas, quae in iis agebantur, conicere facile possumus. In fabulis vero illis, quae « *Setina* » « *Veliterna* » « *Ulubrana* » « *Ferentinatis* » inscribebantur, municipes ex Latinis, ex Oscis, ex Umbris ad patrium civitatis cuiusque morem agentes et colloquentes inducebantur; in aliis, ut in « *Caeco* » vitia, rudi ac parum exquisito multitudinis sensui indulgens; in aliis denique, ut in « *Tibicina* » mulieres, quae virilem artem exercebant, poeta in scaenas agebat ridendas.

XL. Novam rationem, quam in fabulis conscribendis Titinius invenerat, *T. Quintius Atta* et *Lucius Afranius* secuti sunt, quorum alterum undecim fabulas composuisse traditum est, in quibus erant « *Aedilicia* » « *Aquae calidae* » « *Conciliatrix* » « *Matertera* » « *Socrus* » « *Megalensia* » quae Augusti etiam aetate a patribus, qui eas spectarent, laudari non desitae sunt; alterum vero, cum genus hoc ad perfectionem suam promovisset, Menandrum togatum esse ab aequalibus appellatum. Huius fabularum nomina ad quadraginta circumferuntur, inter quae sunt « *Abducta* » « *Brundusinae* » « *Bucco adoptatus* » « *Consobrini* » « *Divortium* » « *Emancipatus* » « *Prodigus* » ceteraque similia. Primas in theatro post Plautum et Terentium, veteribus scriptoribus testantibus, eos tulisse certissimum est. In moribus hominum describendis,

Hor. II. Ep. 1. 79.

naturam et ingenium ipsorum inquisivisse ex Ciceronis verbis conicimus, qui de variis animorum perturbationibus agens. sontes morderi delictorum conscientia bene esse censet « *ex quo* » ait « *illud a vita ductum ab Afranio: Dum modo doleat aliquid, doleat quidlubet* ». Atque etiam altero loco poetam perargutum et disertum appellat. Quam in sententiam et Quintilianus convenit qui: « *Togatis* » inquit « *Afranius excellit* » quamquam rigidior addit: « *utinam non inquinasset argumenta puerorum foedis amoribus, mores suos fassus!* »

Cic. IV. Tusc. 20; Brut. 45.

Quint. X. Inst. I. 100.

XLI. Turbulentissimis Sullanis temporibus, cum civitatis mores avaritia, largitionibus, otio, luxu magis magisque ad lasciviam labi atque praecipites ire coepissent, vetus genus etiam fabularum Atellanarum, quod integra stante maiorum disciplina, et pudicum fuerat atque castum honestumque, incontinens factum est neque a turpi libidine immune. Artem tamen quandam ad perfectionem a poetis duobus *Novio* **et** *Pomponio* **habuit, qui earum ex integro scribendarum morem induxerunt. Hic aetate paulo inferior** *Bononiensis* **fuit; illius nihil aliud praeter nomen novimus. Utriusque igitur industria Atellanae post fabulas tragicas, exodii instar, edebantur, ut quidquid lacrimarum atque tristitiae coegissent qui heroum rebus, casibus, immanitatibus adfuerant risu iocisque detergerent atque levarent. Ambiguis uti verbis, quae a similibus ad obscena significanda trahuntur, in Atellanis primus Pomponius instituit.** Fabularum personae pro diversis temporum moribus in alias atque alias duplicatae sunt atque in species iteratae. Maccus igitur ita in cauponem modo versus est, modo in militem, modo etiam in virginem, ut idem semper esset atque alter. Invicem Pappus modo agricolae personam gessit, modo praeteritus munerum publicorum petitor evasit. Is in fragmento ita de populari inconstantia proloquitur:

Atellanae deformantur

Populis voluntas haec est et vulgo data,
Refragant primo, suffragabunt post, scio.

Dossennus quoque et Bucco in duos geminati sunt, quorum alteri alteris simillimi erant. Hinc rerum omnium ridendarum licentia antiquitus nata percrebuit. Non agricolae et bubulci, quod rudioribus essent moribus, non Galli tantum, Campani, Osci, ceterae Italorum gentes, quod ab Urbis cultu atque humanitate abessent, non citharistae tantum, poetae, philosophi maledico dente carpi coepti sunt, sed patres ipsi, augures, pontifices, vestales, sacra profanaque omnia in scaenas vel foede ridenda vel arrogantius contemnenda comicorum poetarum opera prodiderunt.

M. PACUVIUS ET L. ACCIUS

XLII. Genus illud poematis gravissimi, quo regum principumve, aut eorum, qui in aulis regum versantur, aerumnae, moerores, calamitates depinguntur, ad perfectionem quasi et absolutionem eam, quae in litteris Latinis esse potuit, M. Pacuvius et L. Accius promoverunt, poetarum tragicorum maximi. Brundisii Pacuvius, Ennii sorore anno quingentesimo tricesimo quarto post conditam Urbem ortus, non admodum grandis natu, sed puer paene adulescens cum avunculo suo Romam venit, ibique ad studia omnia inflammatus huius exemplo in litteras artesque colendas tanta diligentia incubuit, ut in his unis viveret, his delectaretur, his perfrueretur. Plinius auctor est pingendi artem post Q. Fabium, qui Pictor appellatus est, eum exercuisse eamque clariorem fecisse gloria scaenae. Nomen tamen suum fabulis tragicis, quas ad extremam aetatem componere non destitit, in posteritatem commendavit. Quo erat liberali ingenio apertoque indoleque et candida et modesta multis clarissimisque eius aetatis hominibus gratus acceptusque fuit, Laelio vero carissimus, qui eum apud Ciceronem hospitem atque amicum appellat. Cum autem multum aetate provectus esset, propter valetudinem

Plin. XXXV. Nat. Hist. 7.

Cic. de Amic. 7.

Tarentum, prope urbem patriam, revertit. Fama fert ad eum ibi commorantem, Accium poetam, tunc haud parvo iuniorem, proficiscentem in Asiam venisse, ut eum salutaret pulchre; cumque ab eo petivisset senex, ut benigne versus suos ex Atreo legeret, idque Accius fecisset, sonora quidem esse, quae scripsisset et grandia Pacuvium respondisse; sed videri tamen ea sibi duriora esse paulum et acerbiora. Cui Accius « *Ita est* » iniquit « *uti dicis, neque id me sane paenitet: meliora enim fore spero, quae deinceps scribam* ». Nonaginta fere annos natus obiit, cum epigramma composuisset, quod sibi mortuo inscribi iusserat in sepulcro:

Gell. XIII. Noct. Att. 2.

Adulescens, tametsi properas, te hoc saxum rogat
Uti ad se aspicias, deinde quod scriptum est legas.
Hic sunt poetae Pacuvii Marci sita
Ossa. Hoc volebam nescius ne esses. Vale.

quod epigramma Gellius verecundissimum et purissimum dignumque eius elegantissima gravitate esse dicit.

Gell. I. Noct. Att. 24.

XLIII. In fabulis componendis plane suus esse voluit, quamquam egregias et divinas prope tragoedias poetarum Graecorum studiose perlegerat. Ex rebus, quae in illis continebantur, quattuor tantum a Graecis eum deprompsisse nobis inferri licet; ceteras ad decem ipse invenisse videtur. Praestantior cum rerum immanitate atque atrocitate tum quoque sententiis gravissimis, perturbationibus animorum, verbis concinnis « *Antiopa* » habebatur, de qua est Ciceronis iudicium: « *Quis* » ait « *tam inimicus paene nomini Romano est, qui Antiopam Pacuvii spernat aut contemnat?* » Huius en argumentum quod ex eius fragmentis narrationibusque aliorum scriptorum eruimus. Iuppiter ergo in satyrum versus Antiopam, Lyci uxorem, Thebanorum regis, comprimit, quam ob causam vir eam repudiat in eiusque locum Dircem uxorem ducit. Haec in vincula illam conicit. Verum, instante

Antiopa

Cic. I. de Fin. 2.

partus tempore, Antiopa ruptis vinculis in Cithaeronem montem se recipit, ubi geminos filios parit, Amphionem et Zethum, qui a pastoribus inventi educantur. Ille poesim, cantum, musicam colit; hic pecudibus gaudet, feris, silvis. Comperta tandem origine sua, acerrimi maternae iniuriae ultores existunt; Lycum patrem necant, Dircemque indomito tauro alligatam perdunt. Exstat huius rei in Neapolitanis aedibus, in quibus quidquid vetustatis manet religiosissime colitur et asservatur, ingens marmoreum signum pluribus figuris constans, quod Dirces supplicium ad veri similitudinem mirabiliter effingit et exprimit.

XLIV. In tristissimis illis aerumnis, calamitatibus, casibus fortunisque, quibus deos heroesque a primis hominum saeculis laborasse traditum erat, versabantur ceterae quoque Pacuvii fabulae tragicae quae « *Armorum iudicium* » « *Atalanta* » « *Chryses* » « *Dulorestes* » « *Hermiona* » « *Iliona* » « *Medus* » « *Niptra* » « *Pentheus* » « *Periboea* » « *Protesilaus* » « *Teucer* » inscribebantur. Erat et in his poeta magniloquens et grandis, sapientibus sententiis clarissimus, gravibus verbis ornatus in quibusdam earum locis Sophoclem aemulans, vel etiam, Ciceronis sententia, superans quasi. Iudicium enim de Niptris Pacuvii ferens Arpinas, institutaque comparatione hunc inter et Sophoclem « *Pacuvius* » inquit « *hoc melius quam Sophocles — apud illum enim flebiliter Ulixes lamentatur in volnere —; tamen huic leviter gementi illi ipsi, qui ferunt saucium, personae gravitatem intuentes non dubitant dicere* » atque cetera. Videlicet Cicero maiorem dignitatem in Pacuviano Ulixe deprehendit quam in Sophocleo, siquidem ille ex ferendi doloris consuetudine tolerantiorem se exhibet atque animi constantioris. In fabulis Pacuvii illa quoque memoria digna est, quae « *Paulus* » inscribebatur quaeque praetextata fuisse videtur.

Fabulae tragicae

Cic. II. Tusc. 21.

Ad dictionem quod attinet, cum litterae ad id tempus rudes essent, Pacuvius tamen vitio suo male locutus ab eo-

dem Cicerone dicitur. Hic enim cum locutionem emendatam in C. Laelio et P. Scipione laudet « *aetatis illius* » addit *ista fuit laus, tamquam innocentiae, sic Latine loquendi: nec omnium tamen; nam illorum aequales Caecilium et Pacuvium male locutos videmus. Sed omnes tum fere, qui nec extra urbem hanc vixerant neque eos aliqua barbaries domestica infuscaverat, recte loquebantur* ».

Cic. Brut. 74.

XLV. Pacuvio longe iunior, ut paulo supra diximus, L. Accius fuit, qui Pisauri quinquaginta annis post illum *parentibus libertinis* natus est. Cum litterarum discendarum causa Romam venisset, in doctissimorum hominum circulis versatus Scipionis Africani illius, qui Minor dictus est, et D. Bruti familiaritatem sibi comparavit, cumque senex esset multos admodum annos natus Ciceronem adulescentem novit. Cuius rei Ciceronem ipsum testem produco, qui ex eo audire solitum esse affirmat Brutum fuisse disertum et Latinis Graecisque litteris, ut temporibus illis, eruditum. Altius de se sensisse poeta ex hoc conici potest quod, cum brevi pusillaque statura esset, nihilominus sibi in Camoenarum aede statuam maxima forma ponendam curavit. Item, cum saepe in poetarum collegio sedisset, venissetque postea Caesar Strabo, tragoediarum scriptor idemque genere praestantissimus, numquam superbe eum surrexisse traditum est, ne id illius honorandi causa a se factum videretur « *quia ibi voluminum, non imaginum certamina exercebantur* ». In Romanorum scaenis quinquaginta amplius annos cum regnavisset, senio confectus obiit septuagesimum sextum annum agens.

Hieron, in Chr. ad ann. 584.

Cic. Brut. 28.

Plin. XXXIV. Nat. Hist. 10.

Val. Max. III. Mem. 17.

XLVI. Non idem semper litterarum genus coluit; nam praeter tragicas fabulas, de quibus mox dicturi sumus, vetustiores poetas imitatus, epicum poema composuit de rebus antiquis cum ad deorum cultum, tum ad civitatem spectantibus, quod « *Annales* » inscribebatur. Tria alia poematia confecit, primum « *Praxidica* » de re agricola; secundum « *Pragmatica* » de grammaticorum quaestionibus; tertium

Annales et poematia

« *Didascalica* » in quo de omnibus litterarum generibus, tum maxime de arte scaenica multa dicebat. In componendis tamen fabulis tragicis longe maior fuit et uberior. Earum tituli ad quadraginta fere septem manent, ex quibus eum feracissimo ingenio usum esse colligimus. In hos titulos inserendi « *Achilles* » « *Aegisthus* » « *Atreus* » « *Clytaemnestra* » « *Medea* » aliique, qui eum sane pertractasse omnes fere Graecorum fabulas ostendunt; tum etiam « *Brutus* » atque « *Aeneadae* » seu « *Decius* » qui rem Romanam indicant. Scite ac subtiliter ex Graecis fabulas eas in Romanorum scaenas importandas elegit, quae personarum dignitate rerumque granditate ad animos dolore afficiendos in primis essent idoneae. Eandem ob causam Brutum illum in scaenis agentem induxit, qui ut tyrannum eiceret egregium animum stultitia celaverat, qui oratione habita ad proceres et plebem seditionem concitaverat, qui denique cum Arunte singulari certamine pugnans occiderat. Atque etiam D. Murem, quem nigra veste indutum devoventemque se in discrimine pugnae diis manibus pro reipublicae salute in scaenas agebat, ob eandem causam in altera fabula repraesentandum assumpserat.

Fabulae tragicae

XLVII. Ex fabularum versibus, qui exstant ad septingentos fere, Accium videmus carminum fundendorum artem penitus novisse, quo facile evenit ut ab aequalibus multis ornaretur laudibus. Neque immerito quidem; nam opimo quodam ipse orationis genere, ut Graeci, et dulci interdum, et molli utitur sententiasque graves verbis suis, plenis, sonantibus, apteque iunctis illustrat. Huius poetae a Quintiliano cum Pacuvio comparatio instituitur. « *Tragoediae scriptores veterum* » ait « *Accius atque Pacuvius grandissimi gravitate sententiarum, verborum pondere, auctoritate personarum. Ceterum nitor et summa in excolendis operibus manus magis videri potest temporibus quam ipsis defuisse; virium tamen Accio plus tribuitur; Pacuvium videri doctiorem, qui esse docti adfectant, volunt* ». A Cicerone vero ex

Quint. X Inst. 1. 97.

omni poetarum tragicorum numero, qui Romae floruerunt, Ennius, Pacuvius, Accius, terni quasi ita eliguntur, ut Aeschylus, Sophocles, Euripides a Graecis; iisque cum parem paene laudem in dissimili scribendi genere facile tribuat, Accium tamen et gravem summumque atque ingeniosum appellat. Indulsisse videri potest Cicero nimio studio rerum Romanorum, cum ternos ternis aequavisset, nemo tamen est, qui non videat, quantum dignitatis, granditatis, perfectionis scaenis tragicis attulerint Romani, quae culmen profecto attigissent, si eadem contentione et industria poetae, qui postea fuerunt, in fabulis tragicis elaboravissent. At tragicum genus aetate, quae subsecuta est, paulatim defloruit. Neque enim *C. Titus* eques, neque *I. Caesar Strabo*, qui anno sexcentesimo quinquagesimo nono post Urbem conditam aedilis fuit et in Marianis discidiis interfectus est, aut maiorem aut parem dignitatem scaenis dederunt, quam antea assecutae erant; etenim hic argutiis, quibus in orationibus dicendis utebatur, tragoedias quoque haud opportune exornavit; ille vero ad lenitatem quandam sine nervis eas inflexit.

Cic. III. de Orat. 7; pro Planc. 24 pro Sext. 26.

C. LUCILIUS.

XLVIII. Eadem aetate, qua L. Accius in scaenis regnavit, nobilissimus poeta alius, qui aemulus illi atque adversarius exstitit, in diverso carminum genere floruit. Etenim C. Lucilius, de quo sermo nunc mihi habendus est, paulo natu minor quam ille fuit, in carminum vero condendorum arte par omnino, vel etiam superior, longe tamen apud posteritatem maior laude nominis ac gloria. Suessae Auruncorum equestri genere ortus est, unde eum Iuvenalis Auruncae alumnum appellat, quia Suessa Auruncae colonia fuit. Adulescens militiae operam dedit in equitibus, belloque Numantino pugnavit, quod P. Africanus egregie confecit. Quo

Iuv. I. Sat. 20; Vell. II. Hist. Rom. 9.

autem anno natus sit, nondum satis certis argumentis nobis constat. Divus Ieronymus auctor est eum anno sexcentesimo sexto post conditam Urbem esse natum ; at illum in errorem incidisse credimus. Facta enim dinumeratione, si verum annum, quem ipse statuit, tenere volumus, Lucilium sequitur stipendia meruisse, cum non amplius quattuordecim annos natus esset; bellum nam Numantinum, cui eques interfuit, anno sexcentesimo vigesimo Romanorum victoria compositum est. Etiam de anno, quo post militiam in Urbem venerit, satis ambigitur. Certum tamen est eum, propter urbanitatem summam et doctrinam, quibus saepe a Cicerone laudatur, Scipione Laelioque familiarissime esse usum atque ceteris etiam civibus satis acceptum fuisse, licet in eos bonis de causis invehi solitus esset. Cum enim re familiari uteretur amplissima molestisque victus comparandi curis vacaret a muneribusque publicis alienissimus esset, munus illud suum fecit, ut «*uni aequus virtuti atque eius amicis*» quidquid pravi malique esset in moribus, non civem quemque singillatim adgressus, sed omnes generatim carpens, tristissima infamia notaret. Neapoli mortuus est anno post Urbem conditam sexcentesimo quinquagesimo uno.

Cic. III. de Orat. 6; I. de Fin. 3; XII. ad Fam. 16.

XLIX. In conficiendis satirarum libris, quorum XXX adnumerabantur, cum Ennium sibi imitandum proposuisset, ingenio suo et naturae tantum indulsit, ut, versibus hexametris saepius adhibitis atque domestico et vulgari quasi sermone, quo in colloquendo cotidie utebatur, proprium aliquid atque singulare in litterisque novum invenisse videretur. Hanc ob causam Plinius eum *stili nasum* primum condidisse affirmat. Satirarum fragmenta tanta tamque uberrima exstant a veteribus scriptoribus relata, ex quibus non lineamenta tantum, sed integra fere earum forma et contextus erui possint.

Plin. prooem. Nat. Hist. 6.

In primo earum libro quem, Porphyrione teste «*Deorum concilium*» inscriptum fuisse constat, dii deaeque in concilium a poeta convocabantur, ut in corruptos homines poenas

Lact. IV. Div. Inst. 3.

sancirent. Colloquentes tamen inter se atque disputantes in convicia, in altercationes, in rixas, hominum instar, dilabebantur, ut ridicule magis quam vere ad bonam frugem eos revocare velle videretur. In Lentulum Lupum tandem, qui senatorii ordinis princeps erat, perinde ac si in eo essent fontes et capita scelerum omnium, quibus patria disciplina vitiaretur atque depravaretur, remotis dubitationibus, decernebant iubebantque ut unus pro civibus capite suo poenas flagitiorum expenderet. Hic, Cicerone teste, Lentulus ille esse videtur, qui consul cum C. Marcio Figulo quingentesimo nonagesimo septimo anno post conditam Urbem fuit, diversus ab illo, quem scholiastes Horatii P. Antisium Lupum appellant; nam hic consul fuit anno sexcentesimo sexagesimo altero, cum Lucilius mortuus erat. In libro autem secundo, recensitis fere civium ordinibus, vel eorum mores generatim carpebat, vel singulos, qui seu dignitate aliqua seu honore seu muneribus publicis alios praestarent, si causam praeberent, molestissime exagitabat. Ne poetarum quidem maximorum vitiis indulsit, etiamsi, ut Ennius, iam mortui, aut sui aequales, ut Accius essent. Cives etiam illos in hoc libro adgressus est, qui propter studium Graecorum imitandorum Graeculi appellabantur, in iisque singillatim Albucium quendam, quem his versibus ridet :

Cic. I. de Nat. Deor 23.

Graecum te, Albuci, quam Romanum atque Sabinum,
Municipem Ponti Titi et Anni centurionum,
Praeclarorum hominum ac primorum signiferumque,
Maluisti dici. Graece ergo, praetor Athenis,
Id quod maluisti, te, cum ad me accedis, saluto :
« Χαῖρε » *inquam* « *Tite !* »; *lictores, turma omnis chorus ceu*
« Χαῖρε, *Tite !* » — *Hinc hostis mi Albucius atque inimicus.*

L. In tertio libro iter suum ad Capuam, quo contenderat, deinde ad Messanam, lepidissimo illo orationis genere nar-

Horat. I. Serm. 5.

rabat, quod postea Horatius in notissimo sermone imitatus est. In ceteris denique, ne multa enumerando longius a proposito digrediar, modo homines illos notabat, qui divitiis cumulandis reponendisque unice student, modo qui epulis eas et visceratiombus, ludorum conviviorumque apparatu immodice profundunt, mulieres modo ignominia afficiebat, quae in libidines, procacitatem, generis cuiusque turpitudines, ut Veneris appetitum expleant, quem Graeci « ἀφροδιασμόν » vocant, indecore turpiterque trahuntur. Hoc non coniectura tantum suspicamur, sed ex fragmentis, quae supersunt, colligimus, atque etiam ex duobus aliis saturarum titulis inferimus, qui a veteribus eruditis nobis traditi sunt. Alter « *Fornix* » est, alter « *Collyra* » : hic, si rei nomen respondet, argumentum indicat. Collyra enim per facilem vocabuli traiectionem idem fortasse apud Lucilium sonabat ac apud Tertullianum, qui hoc nomine mulierum levitatis ridendae causa ornamenta rotundae figurae significat. Atque etiam ille; nam apud Horatium et Iuvenalem fornices cameratae cellae dicuntur, in quibus pueri meritorii et meretrices prostabant. De multis aliis rebus agebat in satiris, nam cum in otio suo hanc sibi sumpsisset provinciam, ut hominum mores ridendo castigaret, vitam omnem peragravit, ut flumini similis lato multisque imbribus copiosissimo, cuius humore lutulento arva saginentur, civibus suis egregia de recte vivendo praecepta impertiretur. Hinc eius dicendi genus grave et argutum; hinc concinnae acutaeque sententiae de vita sumptae, quibus aut quid esse oporteat in vita, aut quid sit, sapienter ostendit; hinc clausulae breves in versibus positae, ut haec:

Porphyrin Hor. Car I. 22.10; Arnob. II. Adv. Gent. 2

Hor. I. Serm. 2. 30; Iuven. 3. Sat. 156 et. 11., 171.

Hunc laborem sumas, laudem qui tibi aut fructum ferat

hinc modo ira modo dolore ardet et cruciatur, hinc tumido animo virtutis desiderio frendit, hinc etiam interdum « γέλωτα σαρδώνιον » hoc modo ridet:

Vivite lurcones, comedones, vivite ventres!

LI. Maxima versuum varietate in satiris usus est; septenarii trochaici, invicem, senarii iambici, impares modi in fragmentis inveniuntur, frequentiores tamen hexametri, qui post eum in communem poetarum satiricorum usum venerunt. Etiam in hoc Horatius, qui eius studia aemulari usque contendit, eum auctorem et magistrum secutus est, eumque maximis laudibus cumulat, quamquam in iudicio de toto satirarum genere ferendo, cum eum *pigrum scribendi ferre laborem* inveniat, acerbitatem quandam in eius versibus notat nimiamque reprehendit verborum ubertatem. De hoc Horatii iudicio haec Quintilianus: « *Satira quidem tota nostra est, in qua primus insignem laudem adeptus est Lucilius, qui quosdam ita deditos sibi adhuc habet amatores, ut eum non eiusdem modo operis auctoribus, sed omnibus poetis praeferre non dubitent. Ego quantum ab illis, tantum ab Horatio dissentio, qui Lucilium fluere lutulentum, et esse aliquid quod tollere possis, putat. Nam et eruditio in eo mira, et libertas, atque inde acerbitas, et abunde salis* ». Solebat Adrianus imperator omnibus aliis poetis Lucilium praeferre, qui tamen nimio mihi elatius de poeta vel mirabilius sensisse videtur. Nemo tamen in dubium revocare poterit quin, ut ex Quintiliani sententia aperte liquet, Italorum aceto illi, quo cives vel occentationibus, quas in primo libro memoravimus, vel mimis et pantomimis inter se vehementius carpebant, leporem quendam et salem multum multamque immiscuerit sapientiam seque talem exhibuerit poetam, ex cuius schola bene inventae mordendorum hominum disciplinae alumni vel interpretes Horatius, Persius, Iuvenalis, ceteri minores proficiscerentur.

Quint. X Inst. I.

POETAE MINORES

LII. In eadem litterarum adulescentia, quam nunc indagamus, poetae minores nonnulli floruerunt, quorum alii in

aliis carminum generibus versati sunt. Eorum memoriam, carminibus penitus intercisis, ex grammaticorum libris eruimus, apud quos vel nomina memorantur, vel etiam versus aliquot referuntur. Genus epicum igitur, praeter Andronicum, Naevium, Ennium, alios, quorum suo loco meminimus, *Hostius*, *A. Furius*, *Cn. Matius* coluerunt. Primus avus, ut videtur, Cynthiae illius, quam Propertius pluribus elegis celebravit, Romanus fuit, quamquam eius genus ab urbe Hostia originem duxisse nominis indicio suspicamur. Poema epicum in duos libros exactum confecit, quod « *Annales belli Histrici* » inscribebatur. Haud inter criticos convenit, utrum de bello primo in eo ageretur, quod Ennius Annalium libro XVI celebrarat, an de secundo, in quo C. Sempronius Tuditanus consul de Histrianis gentibus triumphaverat. Secundum vero Furium, qui ab urbe patria Antias appellatus est, quem Cicero familiarem Q. Lutatio Catulo fuisse testatur, poema de rebus Romanorum XI saltem libris constans composuisse cognitum habemus, nam Macrobius undecimum memorat. Tres poematis versus manent, qui verbis et compositione usque eo cum tribus Virgilii conveniunt, ut dimidiatos ab illo hic surripuisse, vel aurium ope retractasse memoriter videatur ille:

Poetae epici minores

Macr. VI. Sat. 3. 6 et 5. 8.

Cic. Brut. 35; Macr. VI. Sat. 1. 31 et 3. 5 et 4. 10

Interea Oceani linquens Aurora cubile

ait, ex quo leniorem mollioremque hic exprimit versum:

Tithoni croceum linquens Aurora cubile

atque etiam magniloquente granditate quadam primus:

Quod genus hoc hominum Saturnio sancte create?

et rotundiore profecto ore quam secundus in suo:

Quod genus hoc hominum, quaeve hunc tam barbara morem?

demum verbis exquisitius ad sonum consonantibus Furius:

Rumoresque serunt varios, et multa requirunt

cui versus hic minus apte apud Virgilium respondet:

Rumoresque serit varios, ac talia fatur

Gellius verba *lutescere, noctescere, virescere. purpurare, opulescere*, quibus Antias usus erat, contra Caesellium Vindicem strenue defendit, qui novis vocabulorum fictionibus linguam ab illo dedecoratam esse autumabat. Tertius, Cn. Matius, Iliadem ad verbum Latine vertit, praetereaque mimiambos nonnullos, Herodem imitatus, composuit.

Poetae didascalici qui dicuntur

LIII. His accedunt *Ninnius Crassus*, de quo nihil aliud novimus praeter quam quod Iliadem atque etiam Cyprias ex Graecis transtulit; *Q. Valerius Soranus, Volcacius Sedigitus, Porcius Licinus* qui, cum in poematiis eruditissimis, de litteris, de carminum fundendorum arte pertractavissent, in numero poetarum eorum habendi sunt, qui ad praecepta tradenda carminibus utebantur. Cicero Valerium togatorum omnium litteratissimum appellat neque, si verum dicimus, immerito; nam et Cleanthis philosophi stoici hymnum in Iovem, gravissimis abditisque sententiis refertum, verbum e verbo reddidit; de versuum numeris et mensura, deque verbis, unde caderent, quibus litteris scribenda essent, quid sonarent denique, poema confecit. Volcacius autem Liciniusque poemata de vitis et moribus poetarum alter altera tamen ratione composuere. Hic enim poetarum omnium memoriam complexus est, ille comicis rem definivit. Licinii sunt versus:

Poenico bello secundo, Musa pinnato gradu
Intulit se bellicosam in Romuli gentem feram

qui cum Horatianis de eadem re ab eruditis circumferuntur.

LIV. Exiguum aliud carminis genus ad id tempus a Romanis inusitatum, quod paucis versibus sententiam aliquam argute concludit, quodque Graece «ἐπίγραμμα» appellatur, in communem fere poetarum usum venit. Eo enim ad res leves significandas utebantur, vel ad gratias agendas iis, a quibus aliquid beneficiorum accepissent, vel ad carpendos homines malos, vel ad significandos puellis amores. In his poetis recensendi sunt: tum *Titus Quintus Atta*, qui fabulas togatas quoque docuit; tum *Porcius Licinius*, quem inter poetas comicos supra memoravi; tum etiam *Q. Lutatius Catulus*, qui non solum propter res eas, quas cum Mario gesserat in Cimbros, fama percrevit, sed poetae quoque laude nominari voluit. Eius epigrammata duo exstant, alterum in ephebum quendam, alterum in Q. Roscium Gallum mimum eximia venustate insignem, quod Cicero refert:

Primi epigrammatum scriptores

Constiteram exorientem Auroram forte salutans
Cum subito a laeva Roscius exoritur;
Pace mihi liceat, caelestes, dicere vestra
Mortalis visust pulchrior esse deo.

LV. Huc etiam addi possunt versus nonnulli saturnii, marmore inscripti, quibus consules res domi militiaeque gestas in posteritatem propagandas committebant; a poetis hi incognitis nobis plerumque componebantur. Huiusmodi noti versus saturnii sunt, quos L. Accius, poeta tragicus, Bruti iussu, ad antiquorum poetarum morem factitavit, ut in vestibulo aedis Martis inciderentur; atque etiam qui in tabula triumphali M. Acilii Glabrionis legebantur, in quibus ille:

Tituli in marmore inscripti

Cic. pro Arch. 11; Plin. XXXVI Nat. Hist. 36 5. 26

Fundìt, fugàt, prostèrnit màximàs legiònes

brevis quidem et pressus hic, neque sine nervis et viribus, quem cum legerem Caesaris illud *veni, vidi, vici* in memoriam mihi redibat. Ex versibus saturniis quoque, qui erant

in tabula supra valvas templi Larium permarinum, quod L. Aemilius Lepidus dicaverat, Livius titulum, quem ipse ad verbum referre affirmat retractasse videtur. Huc denique spectant epitaphia, quorum duo in Scipionum laudem, apud Ciceronem exstant, nec non alia multa in lapidibus inscripta.

Cic. II. de Leg. 22; V. Tusc. 17.

VETUSTIORES RERUM NARRATORES

LVI. Historia, quae ab initio rerum Romanarum nihil aliud fuerat nisi annalium confectio, ad Graecorum consuetudinem tunc conscribi coepta est, cum confecto bello Punico secundo, aliquid immortali memoria dignum fecisse Romani rati sunt. Etenim historia, ut Cicero eam definivit, temporum testis est, magistra vitae, vita memoriae, nuntia vetustatis, quae in posteritatem omnem res gestas propagat. Cum tamen sermo solutus nullis neque certis neque definitis legibus etiam tum esset astrictus, qui in usum rerum narrandarum se contulerunt Graecum sermonem adhibuerunt — ex consuetudine enim cum Graecis noverant omnes — quo Herodotus, historiae conditor atque pater, res gestas Graecorum omnes ab originibus perpetua narratione prosecutus, patrium quasi poema quoddam sine versibus confecisse visus erat. Sed hi veterem scribendi consuetudinem secuti, sine arte, sine ornamentis monumenta temporum, hominum, locorum, gestarum rerum tantum, non quidem historias, reliquerunt.

Cic. II. de Orat. 9. 36.

LVII. In vetustioribus rerum narratoribus, qui Graeco sermone usi sunt, *Q. Fabius Pictor* recensendus est, qui ex picturis, quibus Salutis aedes vel ab ipso vel prius a patre exornata fuerat, nomen invenit. Inter antiquiores fere omnes convenit, neminem ante illum Romae floruisse, qui oratione soluta historias narraverit. Livius eum scriptorum antiquissimum non uno loco dicit, quod quidem etiam Dionysius et Plutarchus testantur. Bello Gallico et Punico secundo cum

Dionys. I. Ῥωμ. Ἀρχ. 5 Plut. Rom. 22.

interfuisset, post Cannensem cladem Delphos missus est ab oraculo sciscitaturus, quibus precibus suppliciisque dei possent placari, qualemque tantis cladibus finem dei essent facturi; quae responsa, cum inde retulisset ex carmineque Graeco interpretatus esset, ad patres conscriptos in senatu recitavisse traditum est.

Liv. XXII. ab. Urb. cond. 57.

Cum res gestas populi Romani inde ab condita Urbe ad suam memoriam conscripsisset: « Τὰ δὲ ἀρχαῖα » ait Dionysius « τὰ μετὰ τὴν κτίσιν τῆς πόλεως γενόμενα κεφαλαιωδῶς ἐπέδραμεν »; praecipuus tamen a Livio auctor affertur de proelio, quod ad Trasumenum cum Hannibale pugnatum est. Historiam Graece composuisse satis elucet ex hoc Ciceronis loco: « *quod nimirum in Fabii Pictoris Graecis annalibus eiusmodi est* »; eam autem ab ipso scriptore vel ab alio Latine redditam esse Gellius atque Nonius testantur. Commenticias fabulas de Urbis origine ad similitudinem veri narravit, quod ex Varronis loco apud Quintilianum patet: « *Varro* » ait hic « *in eo libro, quo initia urbis Romae enarrat, lupum feminam dicit, Ennium Pictoremque Fabium secutus* ». Nihilominus eius auctoritatem permagni Livius et Plutarchus fecerunt; minoris Polybius, qui eum saepe mendacii accusat vel damnat.

Gell. IV. Noct. Att. 4. 3; Non. de Propr. 2. p. 170. M.

LVIII. Eius aequalis *L. Cincius Alimentus* fuit, vir consularis; nam praetor anno quingentesimo quadragesimo tertio post Urbem conditam creatus est missusque in Siciliam, ut eam provinciam obtineret; quam quidem, prorogato in annum imperio, bello Punico secundo flagrante, a Carthaginiensibus defendit. E Sicilia reversus inter belli vicissitudines ab Hannibale captus est; cuius beneficio liberatus, a rebus publicis se removit et in Annales conficiendos totum in otio contulit. Hannibalis iter in Italiam ita narrasse suspicamur, ut ex illius ore, cum captus est, audierat; nam Livius eum testem exhibet in libro XXI alibique diligentem monumentorum auctorem appellat. Aetate minor fuit *C. Acilius*, vir ordinis senatorii, qui philosophos tres illos Carneadem, Diogenem,

Liv. XXVI. ab. Urb. cond. 23; XXVII., 7.

Liv. XXI. ab Urb. cond. 38; VII., 3.

Critolaum, in conspectu senatus, ut interpres adhibitus, constituit. Hunc etiam historiam Romanam ab Urbis incunabulis ad suam usque aetatem litteris Graecis mandasse ex Ciceronis loco colligimus, in quo hic eius auctoritatem Polybio opponit; nec non ex duobus Livii, in quorum altero *Claudium* quendam Livius etiam nominat, qui annales *Acilianos* ex Graeco in Latinum sermonem converterit.

Cic. III. de Off. 32; Liv. XXV.ab.Urb. cond. 39.

LIX. In rerum narratorum numero ponendus est *P. Cornelius Scipio Africanus*, Africani Maioris filius, qui Minorem adoptavit. Cicero nobis auctor est eum historiam quandam Graecam dulcissime scripsisse. Tum quoque *A. Postumius Albinus* qui, cum in Achaiam a senatu una cum decem aliis missus esset, tanta prudentia eam administravit, ut honoris causa, ne videlicet suavissimi hominis memoria moreretur, Graeci ei statuam celeberrimo loco poni voluerint. *Cn. Aufidius* etiam ponendus, de quo haec apud Ciceronem: « *Pueris nobis, Cn. Aufidius praetorius et in senatu sententiam dicebat, nec amicis deliberantibus deerat, et Graecam scribebat historiam et videbat in litteris* »; *P. Rutilius Rufus* denique anni sexcentesimi undequinquagesimi consul, nec non *L. Licinius Lucullus*, qui bellum Marsicum, cui interfuerat, Graece narravit. Ex notitiis, quas ab antiquis rerum narratoribus deprompsisse recentiores fatentur, satis patet pervulgatas fabulas illas, quae de Urbis origine false tradebantur, non modo tamquam veras et certas ab illis assumptas, sed etiam multo copiosius ad incredibilitatem exaggeratas fuisse; a Livio nunc ceterisque rerum Romanarum scriptoribus has fabulas nulla fide dignas relatas invenimus.

Cic. Brut. 19. 77.

Cic. V. Tusc. 38.

M. PORCIUS CATO

LX. A communi consuetudine, quam omnes ad id tempus in referendis rebus secuti erant, primus M. Porcius Cato discessit, qui cum aetatem suam in patriis moribus ac disci-

plina servandis posuisset vixissetque diutius, in senectute defensor quoque ac fautor Latini sermonis contra Graeculos exstitit. In municipio Tusculo, quod in Latinis est, anno quingentesimo vicesimo primo post Romam conditam, Q. Fabio patre ortus, qui Tarentum recepit, in heredio sua ipsius manu colendo primam vitae partem consumpsit, praeter tempus quod muneribus militiae dedit. Nam bello Punico secundo stipendia merens interfuit; deinde pugnis ad Metaurum atque cum Scipione ad Zamam. Rus, in quod se post militiam actam receperat, L. Valerii hortatu reliquit, Romamque cum se contulisset, vir iam patre, avo, maioribus suis dignissimus, in fori curriculo se tamquam athletam exercuit. Magistratus deinceps omnes per gradus obtinuit; quaesturam, P. Cornelio Africano consule, tum praeturam in Sardinia, quam occupavit, tum imperium exercituum, qui in Hispania erant, et in bello contra Antiochum; quibus in muneribus fungendis tantam sibi prudentiae constantiaeque laudem comparavit, ut inter civitatis principes habitus sit deque principatu cum Scipionibus contenderit. Cum valde senex esset, tanta severitate censuram gessit, ut Censorius a posteritate nominaretur. Muneribus reipublicae functus, cum iterum se in studiorum umbraculis abdidisset, in senectute linguam Graecam didicit. Nec tamen in senatu esse desiit, ut iisdem usque verbis ad patrum aures illud *ceterum censeo Carthaginem esse delendam* identidem decantaret, idemque molestior quam antea in corruptos civium mores inveheretur. Hanc ob causam eius nomen ad gravem, constantem, rigidum, integris moribus quemque hominem significandum apud Romanos « θετικόν » acceptum est, ut apud Graecos Socratis nomen in exempli consuetudinem ad id idem indicandum usurpabatur.

Nep. Cat.

Catonis laudes apud Cic. de Senect.; III. de Orat. 33; Liv. XXXIV. ab. Urb. cond. 18; XXXIX., 40 et 42; Plin. VII. Nat. Hist. 27. 28 alibi; Val. Max. mult. in loc; apud al.

Immortale nomen et famam, quae in muneribus publicis administrandis comparaverat, litterarum quoque laude cumulare exoptans, nihil inconstantiae notam veritus, cum iam aetas in senium inclinaret, litteras Graecas, quas oppugna-

Cic. de Senect. 8.

verat, sic avide arripuit itaque didicit, diuturnam ac si sitim explere arderet, ut ex illis statim solutae orationis Latinae exemplar deduceret. Vir videlicet prudentissimus illud quod ad Marcum filium scripserat: «*bonum esse Graecas litteras inspicere, non perdiscere*» in suam utilitatem quoque, usu atque exercitatione expertus, convertere voluit.

LXI. Conscripsit igitur non Graece, ad communem tunc temporis scriptorum consuetudinem, sed patrio sermone, septem historiarum libros, de quorum nomine apud eruditos homines iam ab antiquitate est controversia. Nonnulli enim putant libros universos a Catone ipso non satis pleno nomine «*Origines*» inscriptos fuisse; alii contra censent libros a quarto ad septimum, quos moriens sine titulis necdum perfectos reliquerat, nomen idem per auctionem vocabuli a primis illis invenisse. Operis compositionem atque rerum in singulos libros distributionem ex Cornelii loco colligimus, qui Catonis vitam narravit. In primo res omnes, quas Romani sub regia potestate gesserant *capitulatim* prosequebatur, in secundo tertioque, unde quaeque civitas Italica orta esset, exponebat et explicabat; in quarto bellum Punicum primum continebatur, in quinto secundum. Reliqua bella ad praeturam Servii Galbae, qui diruit Lusitanos, in postremis libris duobus referebat. De ratione, qua in rebus narrandis usus sit, inter eruditos homines fit altera quaestio, cui causam idoneam praebet vocabulum illud *capitulatim*, quod apud Cornelium legitur. Nam censent alii id idem sonare quod *summatim* vel «κεφαλαιωδῶς» apud Graecos significat; ex quo, quod orationis solutae genus strictum nudumque in veteribus annalibus vel huiuscemodi scripturis invenerat, eo Catonem usum contendunt. Alii Cornelianum *capitulatim* illud rati altera significatione usurpari posse, praeter communem ad id tempus confectionem Annalium — in his enim res gestae ex ordine, annis consulum dinumeratis, sine ullis verborum ornatibus recensebantur — Origines in capita pro diversitate

Origines

Nep. Cat. 3.

rerum fuisse redactas putant. Cui opinioni quo potius assentiar Ciceronem auctorem probatissimum et testem induco, qui in Bruto: « *Iam vero Origines* » inquit « *quem florem aut quod lumen eloquentiae non habent?* » atque addit Catonem in illas orationem rettulisse, quam suadens legem in Galbam ipsemet ille dixerat in senatu.

Cic. Brut. 17 et 23.

LXII. Multa in Originibus continebantur, tum quae de Urbis incunabulis, de bellis a regibus gestis, de moribus ac legibus, de signis et prodigiis apud populum Romanum tradebantur, tum etiam quae de ceteris Italicis gentibus per notitias acceptas vel certis documentis constabant. In fragmentis quibusdam, ex libris aliorum collectis, notationes leguntur, quae ad mores exterarum nationum spectant, ut quae de Liguribus notat, qui « *inliterati mendacesque sunt, et vera minus meminere* »; de Gallia, quae « *duas res industriosissime persequitur, rem militarem et argute loqui* »; ut multae descriptiones locorum, urbium, fluminum, et notitiae carminum antiquissimorum. Quae cum tantam et variam materiam exhiberent Romanis Cato Herodotus alter visus est, quippe qui integram antiquitatis imaginem in Originibus suis expressisset. Nimius in bellis referendis fuit, nec tamen bellorum duces nominavit, neque eos singulos collaudavit, ut, praetermissis singulorum nominibus, civitatis universae in primis virtutem et nomen celebraret. Magni Ciceronem Origines fecisse ex iis colligimus, quae in Bruto dicit; nam Catoni amatores deesse putat — sicut multis iam ante saeculis et Philisto Syracusio et ipsi Thucydidi defuerunt — quia posteriorum quasi exaggerata altius oratio illius luminibus obstruxisset.

LXIII. Eloquentiae quoque impense operam dedit, ut sibi reipublicae tuendae civilia arma compararet, in eaque Romanorum primus perfectus omnibusque laudibus cumulatus orator evasit. Cum enim integra incorruptaque in eo antiqua morum probitas mansisset, cui multa alia accedebant, in primisque singularis et fere divina mentis acies, quam accepe-

rat a natura, tum totius iuris cognitio, quam diuturno legum studio sibi comparaverat, tum rerum humanarum divinarumque prudentia, ex vitae usu deducta, iis profecto rebus abundabat, quae, ut quis bene loquendi arte valeat, potissimum expetuntur. Teste itaque cuncta antiquitate argutus fuit in disserendo Cato, gravis in deliberando, in invehendo acer, in hominum animis ad sententiam suam trahendis quam maxime potens. In omnium manibus Ciceronis etiam aetate illius orationes ad centum fere quinquaginta versabantur, aliae de republica bene administranda; aliae de legibus suadendis dissuadendisque; aliae de corruptis moribus poena afficiendis; aliae vel pro se, vel pro aliis, vel in alios habitae; aliae denique de iure dicundo de officiisque tuendis, quas omnes temporis iniuria evanuisse etiam nunc doctos homines dolet. Admiratione dignae in primis habebantur tum illa, quam in oppugnatione Numantiae, ut equites ad pugnam cohortaretur, iuvenis admodum dixit; tum innumerabiles illae, quas in censura pronuntiavit, quaeque propter orationis genus acre et vehemens «*acerbae*» appellatae sunt; tum etiam qua, paucis diebus vel mensibus antequam mortuus est, Lucium Galbam a Lusitanis accusatum, reum de repetundis in populi Romani iudicio constituit.

Orationes de republica regenda deque moribus

Gell. XVI. Noct. Att. 1; XIII., 17.

Cic. Brut. 23. 89.

LXIV. De orationibus acute Cicero sententiam fert, qui eas cum Lysiacis componit et aequat, miraturque quod, cum aequales amarent Lysiam, Catonem contra penitus ignorarent. De huius autem dictione haec habet: « *Antiquior est huius sermo et quaedam horridiora verba. Ita enim tum loquebantur. Id muta, quod tum ille non potuit, et adde numeros ut aptior sit oratio, ipsa verba compone et quasi coagmenta, quod ne Graeci quidem veteres factitaverunt: iam neminem antepones Catoni* ». Pressius quidem Gellius, partibus quibusdam orationum inspectis atque illustratis, in iudicio quod multa in se comprehendit, scite concludit: « *Ea omnia distinctius numerosiusque fortasse an dici potuerint, fortius*

Cic. Brut. 17. 68; Gell. VII. Noct. Att. 3.

atque vividius potuisse dici non videntur ». Praeter orationes et Origines, libros ad Marcum filium scripsisse certissimum est, atque etiam ad eundem carmen quoddam de moribus misisse. In illis, qui « *Praecepta ad filium* » inscribebantur, quidquid temporibus illis sciri discive potuit, ita investigavit atque conscripsit, ut omnium artium et disciplinarum descriptionem in ordinem quendam redigeret. De omnibus rebus satis scite agebat; nam in aliis libris de iure civili, in aliis de scientia legum, in aliis de medendi arte, in aliis de rhetorum quaestionibus, in aliis etiam de iis rebus, quae ad militiam spectant, praecepta tradebat. In reliquiis breves et acutae sententiae quaedam supersunt, quae Graeci « ἀποφθέγματα » dicunt; en unam: « *Vir bonus dicendi peritus* » in qua, quid orator sit, summatim definitur; en alteram: « *Rem tene, verba sequentur* ». in qua res et verba unum idemque esse monet.

Praecepta ad filium

LXV. Libri tres « *De re rustica* » integri intactique manent, nisi quis eos ab indocto quodam retractatos esse suspicetur, quia quae de agricolatione in iis traduntur, non eo ordine plenoque composita sunt, quem nunc in syntagmatis exquirimus. Rem tamen agricolam omnem pertractant. Porro quae a se, cum adulescens in paternis agris pecudibusque versabatur, usu atque cum agricolis consuetudine invenerat, de agrorum colendorum ratione, de pecudum morbis, de operibus in singula anni tempora distribuendis, de mancipiorum condicione, de colonis, de deorum ritibus ac cultu, de rebus omnibus, quae hominum vitam ruri versantium beatam faciunt, aliquo modo didicerat, ea strictis quasi praeceptorum verbis, sacerdotis instar, qui divina homines docet, in communem utilitatem mandat atque commendat. Genus orationis, quo utitur in libris de re rustica, adeo pressum est, adeo familiare atque, sive ab orationum sive ab historiarum fragmentis, diversum et fere discordans, ut non sine causa ducar ad suspicandum eos a Catone fuisse conscriptos, antequam Graecam linguam didicisset. Catoni a nonnullis vitio tribui-

Libri de re rustica

tur quod poetarum iucunditate in rebus rusticis pertractandis careat, quae in Virgilianis carminibus spirat. Equidem id minime minor, siquidem Cato, vir Romanus in primis, prudentia una ducebatur, ex qua ad nihil aliud, quod non aliqua utilitate contineretur, animum suum intendere poterat. Nihilominus et ipse in aliqua operis parte mirifice agricolarum laudes celebrat: « *Vinum bonum* » inquit « *quom [veteres] laudabant, ita laudabant, bonum agricolam bonum colonum. Amplissime laudari existimabatur, qui ita laudabatur; mercatorem autem strenuum studiosumque rei quaerendae existimo, verum ut supra dixi, periculosum et calamitosum. At ex agricolis et viri fortissimi et milites strenuissimi gignuntur* ».

Praecipuam vero Catonis laudem — etenim iuvat hoc loco iudicium meum de universa eius litterarum agitatione, quod omnia complectatur, proferre — in eo maxime positam esse puto quod, cum scriptores rerum, qui ante eum fuerant, sermone Graeco usi essent, propterea quod Graeca in omnibus gentibus legerentur, Latinum Cato adhibere voluit, ut e cotidiano loquendi usu in litteras hic dilataretur. Neque minorem ex hoc gloriae fructum percepit; nam, Originibus per gentes Italicas regionum omnium propagatis, unum eundemque Latinum totam in Italiam pervulgavit.

PRIMI RERUM SCRIPTORES

LXVI. Cum hoc Catone aequales supparesve rerum scriptores nonnulli exstiterunt, qui ad illius exemplum in conscribendis historiis Latino sermone usi sunt. In his primum locum tenet *L. Calpurnius Piso*, qui propter frugalitatem *Frugi* appellatus est. Qui cum tribunus plebis anno sexcentesimo quinto post Urbem conditam creatus esset, primus legem de pecuniis repetundis tulit, posteaque censor factus, aliarum etiam legum, quibus rempublicam recte administran-

Cic. Brut. 27, 106.

dam tueretur, aut auctor aut dissuasor fuit. Res omnes Romanorum, ab Urbis exordiis usque ad memoriam suam fere perpetua narratione prosecutus, septem saltem libros confecit, quos alii « *Annales* » nuncupant, alii «*Commentarios* » alii vero « *Historias* ». Si nobis singulis nominibus standum sit, inferri liceat illum tria opera composuisse, quorum duo Cicero ignoravisset; nam hic in recensendis illius operibus nihil aliud praeter orationes et annales nominat. Istorum exstant particulae ad quinque fere et quadraginta, in quarum aliis narratiunculae satis ineptae, vel facta memorabilia, vel facete dicta continentur; in aliis vero notitiae, quae cognitione non indignae videntur. Livius, Gellius, Plinius, Macrobius, testem de rebus, quas referunt, saepissime Pisonem alligant, ex quo eius auctoritatem satis magni apud illos fuisse colligitur; nihilominus Cicero Annales exiliter scriptos dicit.

Liv. I. ab Urb. cond. 55; II. 48; IX. 44; V. 9. 25. 29; loc. aliis plur.

LXVII. Cum eodem autem Catone vel post eum fuerunt *L. Cassius Hemina*, *Q. Fabius Servilianus*, *C. Fannius*, *L. Caelius Antipater*, *Sempronius Asellio*, alii minores. Hemina primus ab ultima antiquitate narrationi initium fecisse videtur, in eaque rettulisse fabulas, quae de heroibus illis, qui ante conditam Urbem fuerunt, fabulose tradebantur; eamque ad bellum Punicum secundum produxisse. Servilianus, qui anno sexcentesimo undecimo consul fuit, posteaque etiam pontifex, annales confecit, quorum mentio est apud Servium scholiastam, atque etiam libros de rebus ad pontificum collegium spectantibus, quos « *De iure pontificio* » inscriptos constat. C. Fannius, qui Panaetium audiverat, historiam conscripsit, de qua est Ciceronis sententia: « *Eius omnis in dicendo facultas ex historia ipsius non ineleganter scripta perspici potest, quae neque nimis est infans neque perfecte diserta* ». Fannii aetate coniunctus L. Caelius Antipater, qui historiam a bello Punico primo ad memoriam suam septem, qui « *Annales* » inscribebantur, libris mandavit. Hunc memorat multis locis Cicero, praesertim in Bruto, ubi luculentum ut temporibus

Serv. ad Virg. I. 3; Macr. I. Sat. 16. 25.

Cic. Brut. 26.

illis fuisse scribit; atque etiam in primo libro de legibus, in quo haec leguntur: « *Habuit vires agrestes ille quidem atque horridas, sine nitore ac palaestra; sed tamen admonere reliquos potuit, ut accuratius scriberent* ». Huius auctoritate ad fidem sibi faciendam Livius nec non Plinius saepe in suis libris innituntur.

Cic. II. Orat. 12 et 13; III., 38; II. de Nat. Deor. 3; I. de Leg. 2. Liv. XXI. ab Urb. cond. 38; XXII., 31; XXIII., 6; passim alibi; Plin. II. Nat. Hist. 67. 4; III. 25. 5; XXXI. 18. 1.

LXVIII. Omnes tamen diligentia et industria, quam in investigandis rebus adhibuit, potius quam orationis genere longe praestitit Sempronius Asellio, qui bellum Numantinum, cui tribunus militum cum Scipione interfuerat, narratione rerum undique expleta prosecutus est. Res non extrinsecus tantum indagavit, sed intus penitus perspexit, perspectasque ordine explicavit. Non enim fabulas, quae, ut novitate sua mentes percellunt, ita animos inaniter ad imitationem trahunt, sibi conscribere proposuit; sed clarissimorum hominum res gestas ita narrare, ut et delectationem et praeceptorum copiam, quae e vitae usu ducuntur, in aliquam legentium utilitatem praestaret. In fragmentis, quae exstant, historiam negat dinumeratione tantum annorum contineri, vel notationibus iis, quae indicent, quo consule bellum initum sit et quo confectum; quid in bello actum sit et quis triumphans introierit et de quo triumphum egerit victor; his enim, in rebus narrandis, accedant oportet leges latae et consilia, quibus ea omnia gesta sint, quibusve rerum causae et nexus inspiciantur. Haec omnia a Polybio manavisse videntur; eadem enim in huius fragmento inveniuntur, quod Angelus Mai abhinc centum annos reperit. Quot libris historias suas continuerit, non certo constat; at amplius viginti fuisse certum est, cum Charisius ex vicesimo primo libro quaedam referat.

A. Mai Roma 1827, II. pag. 379.

His omnibus longe laude scribendi inferiores fuisse censeo *C. Sempronium Tuditanum, Cn. Gellium, Vennonium, Clodium;* nam semel aut iterum eos apud scriptores nominatos invenio, praeter Gellium, ex cuius annalibus quaedam propria et singularia nonnulli grammatici rettulerunt in exem-

plum; nihilominus Tuditanus a Cicerone his verbis laudatur: « *Tuditanus cum omni vita atque victu excultus atque expolitus, tum eius elegans est habitum etiam orationis genus* »; sed eius meminit, cum oratores non rerum scriptores recenset.

Cic. Brut. 25.

COMMENTARIORUM AUCTORES

LXIX. Ex Catonis exemplo, qui in Originibus res, quibus interfuit, litteris commendavit atque etiam orationes suas rettulit, nunnulli vitam suam narrare instituerunt in libris, quos *M. Aemilius Scaurus* primus « *commentarios* » appellavit. Hic nobilissima familia ortus, quae, propter paupertatem in quam inciderat, tamquam ignobilis facta erat — nam pater eius carbonarium negotium exercebat — industrio animo navoque rerum domesticarum penuriam levavit, cursumque honorum, antiqua morum probitate, constantia, prudentia Romano viro dignissima confecit. Anno sexcentesimo trigesimo nono, consul primum, leges de sumptibus et de libertinorum suffragiis tulit, triumphavitque de Gallis. Eodem anno princeps senatus factus est, missusque tribus post annis legatus in Africam, posteroque anno cum Iugurtha Numidisque pacem composuit. Censor deinde renunciatus Aemiliam viam alteram stravit, annoque sexcentesimo quadragesimo septimo iterum consul creatus est. Cum vero respublica ab Apuleio Saturnino tribuno agitaretur, Cicerone teste, qui eius gravitatem, prudentiam, consilium quam saepissime laudat, seditiosis omnibus restitit. In populi indicium tamen ob invidiam quam sibi pepererat, saepe venit, insimulatusque corruptionis a Sallustio, qui haec de eo scribit: « *Homo nobilis, impiger, factiosus, avidus potentiae, honoris, divitiarum; ceterum vitia sua callide occultans. Is postquam vidit regis Iugurthae largitionem famosam impudentemque, veritus, quod in tali re solet, ne polluta licentia invidiam accenderet, ani-*

Aur. Vict. Vir. ill. 72.

Cic. 1. de Off. 22, 30; 1. ad Fam. 9; alibi praes. Brut. 29.

Sall. Iug. 15.

mum a consueta libidine continuit ». In tot tantisque muneribus publicis totam aetatem versatus, ut agere digna memoratu, ex Taciti sententia, pronum ei magisque in aperto fuit, ita vitam suam narrare ad prodendam virtutis memoriam sine gratia aut ambitione, bonae tantum conscientiae praetio adductus, fiduciam potius morum, quam adrogantiam arbitratus est. Tres igitur de vita sua libros conscripsit « *lectu sane utiles* » — ut Ciceronis verbis utar — « *quos nemo legit; ut Cyri vitam et disciplinam legunt, praeclaram illam quidem sed neque tam nostris rebus aptam nec tamen Scauri laudibus anteponendam* ».

Tac. Agr. I.

Cic. Brut. 29. 112.

LXX. Cum Scauro *P. Rutilius* fuit, ut integritate morum simillimi, ita inter se adversarii atque in populi gratia captanda hostes fere. Magistatus nonnullos obtinuit, postquam ex Numantiae oppugnatione revertit, in qua cum Scipione pugnaverat. Bello enim Iugurthino Q. Caecilii Metelli legatus fuit, anno autem sexcentesimo quadragesimo nono consul primum, tum denique proconsul in Asia. Post proconsulatum de repetundis accusatus exiliique poena multatus, Mytilenas primum, deinde Smyrnam se contulit, ibique suspicamur in otio libros de vita sua scripsisse, ut ipse se ab insimulatoribus rerum gestarum testimonio defenderet. Valde Ciceronem dolet eum fuisse exilio multatum neminemque illius causam defendisse, ne illum ipsum quidem; nam cum humilitati defensionis vel exilium vel mortem sibi anteponendam statuisset essetque exemplum innocentiae, cumque illo nemo neque integrior esset in civitate neque sanctior, non modo supplex iudicibus esse noluit, sed ne ornatius quidem aut liberius causam dixit suam, quam simplex ratio ipsa veritatis ferebat. « *Nunc talis vir* » ait Cicero « *amissus est, dum causa ita dicitur, ut si in illa commenticia Platonis civitate res ageretur* ». De orationis genere, quo in vita sua describenda usus est, id idem fortasse dici potest, quod de orationibus eius idem Cicero iudicium ferens affirmat: « *Sunt eius orationes*

Cic. I. de Orat. 53.

ieiunae: doctus vir et Graecis litteris eruditus, Panaetii auditor prope perfectus in stoicis, quorum peracutum et artis plenum orationis genus scis tamen esse exile nec satis populari assensioni accommodatum. Itaque illa, quae propria est huius disciplinae, philosophorum de se ipsorum opinio, firma in hoc viro et stabilis inventa est ».

Cic. Brut. 30. 114.

LXXI. In turbulentissimam aetatem illam, quae a Gracchanis seditionibus ad proscriptiones Marii pertinet, *Q. Lutatius Catulus* incidit, vir singularis in primis, qui maximopere tum ob humanitatem et integritatem, tum etiam ob eloquentiam a Cicerone laudatur. Cum Mario quintum consule et ipse consul renuntiatus est, cum ter prius magistratum illum frustra petivisset. Livius auctor est eius ope in Vercellarum planitie Cimbros a Mario penitus profligatos fuisse, de quibus tamen, bello confecto, triumphum, populo favente, Marius solus egit. Postquam consulatu decessit, ut causam suam defenderet « *De Consulatu et de rebus gestis suis* » commentarios confecit; cuius rei gratia in id Marii odium venit, ut cum hic rerum omnium potitus est, illum in proscriptorum numerum rettulerit. Quod cum ipse novisset, ut morti ipsi iam adventanti obviam procederet, recenti calce inlito multoque igni percalefacto cubiculo se inclusum peremit. De genere orationis, quo in commentariis usus est, ex Ciceronis verbis diiudicari potest. Etenim hic orationis eius comitatem laudat atque etiam Latini sermonis integritatem, quae perspici cum ex orationibus eius potest, tum facillime ex eo libro, quem de consulatu et de rebus gestis suis molli Xenophonteo genere sermonis conscriptum ad A. Furium poetam misit.

Cic. pro Mur. 35.

Cic. V. Tusc. 19; Val. Max. V. Mem. 8. 4.

Cic. Brut. 36. 132.

LXXII. De *Cornelio Sulla*, qui ad Velleii mentem « *neque ad finem victoriae satis laudari, neque post victoriam abunde vituperari potest* » nihil hoc loco nobis dicendum est, cum res ab eo gestae, ad historiam reipublicae potius pertineant. Commentariorum nunc scriptorem inquirimus; nam eum, Svetonio Gellioque testibus, « *Rerum gestarum libros* »

Svet. Gramm. 12; Gell. I. 16; XX, 6. 3.

scribere instituisse constat, quos cum mortuus est, ad vigesimum alterum tantum produxerat. Hunc Cornelius Epicadus, Sullae libertus, in sacerdotio augurali calator, imperfectum explevit. Suspicamur illum veri quadam industria atque studio, quantum in fatiosissimo homine esse poterat, res suas enarrasse, siquidem Plutarchus, in illius et Marii vitis scribendis, Sullam ipsum auctorem secutus est, ex eoque dictator opinionem rettulit, ad quam profecto in cuiusdam divini numinis tutela se esse affirmabat. Nihil aut non multum omnino istorum commentariorum omnium manet, eos tamen propter laudes, quibus a veteribus cumulantur, ad perfectionem, quam Caesaris opera habuerunt, accessisse censemus.

ORATORUM TABULA

LXXIII. In oratoribus, qui post Appium Claudium Caecum in Urbe fuerunt, aetate antecedunt *Q. Fabius Maximus* ille, qui tria nomina invenit: *Verrucosum* primum, a verruca quam in labris habebat; secundum *Oviculam*, ab incredibili morum clementia; *Cunctatorem* tertium, quod, cum in bello Punico secundo dictator creatus esset, nimio satius in re gerenda cunctari visus est; et *Q. Caecilius Metellus*, qui legatus a castris Romam nuntium de victoria parta in pugna contra Hasdrubalem pertulit posteroque anno factus est consul. Illius a Catone apud Ciceronem laudatio commendatur, quam in filium mortuum habuit: « *Multa in eo viro praeclara cognovi, sed nihil certe admirabilius quam quo modo ille mortem filii tulit, clari viri et consularis. Est in manibus laudatio quam cum legimus quem philosophum non contemnimus?* » De altero vero nihil aliud tradit, praeter quam quod orator habitus sit, cum Plinius orationem memoret, quam in supremis laudibus patris sui celebrandis dixit.

Cic. de Senect. 4.

Cic. Brut. 14; Plin. VII. Nat. Hist. 45.

Eloquentem vero fuisse et ita habitum esse *Cornelium*

Cic. Brut. 15. 58.

Cethegum Cicero censet, cuius eloquentiae auctorem et idoneum quidem Q. Ennium citat in libro nono Annalium:

Additur orator Cornelius suaviloquenti
Ore Cethegus Marcus Tuditano conlega
Marci filius . . . .
. . . . is dictus popularibus ollis.
Qui tum vivebant homines atque aevum agitabant,
Flos delibatus populi . . . .
. . . . Suadaeque medulla.

LXXIV. Hunc *Cato* secutus est, qui acutus, brevis ab Arpinate dicitur; de quo tamen hoc loco hactenus, nam plura paulo supra de eo, ut oratore quoque, diximus. In Catonis aequalibus maioribus natu, praeter Q. Fabium Maximum et Q. Caecilium Metellum, de quibus proxime locuti sumus, oratores alii recensendi sunt, ut *C. Flaminius* et *C. Varro*, ut *P. Lentulus* et *P. Crassus* et *Sex. Aelius*, ut *P. Cornelius Scipio*, qui *Africanus Maior* appellatus est. Huius orationem Livius refert, quam die anniversario, quo bene ac feliciter cum Hannibale in Africa pugnaverat, ad populum dixit, ut se a suspicionibus captae pecuniae defenderet. Qua oratione Quirites invitavit, ut in Capitolium ad Iovem optimum maximum Iunonemque et Minervam salutandos irent secum, orarentque, ut multos ipsius similes principes haberent.

Cic. Brut. 19.

Liv. XXXVIII. ab Urb. cond. 51.

Ceteri Catonis aequales, laude reapse minores, elegantiorem splendidioremque atque ad sophistarum consuetudinem subtiliorem eloquentiam adhibuerunt. Etenim cum in scholis iam rhetores illos et philosophos audivissent, qui catervatim Romam ex Graecia venerant, miratique essent verborum copiam, orationis lumina, ornatus, subtiles abditasque sententias, quibus in dicendo maxime valebant, a presso et nudo tritoque dicendi genere Romanorum desciverunt, ut eadem ratione ac illi, mentes animosque audientium adminiculis

et praestigiis perstringerent, quam ingenua argumentandi vi compellerent iidemque vividioribus coloribus pingerent et quasi fucarent orationes. In huiuscemodi oratorum genere fuerunt multi: *C. Sulpicius Gallus, T. Gracchus, P. Scipio Nasica*, qui *Corculum* appellatus est, *L. Lentulus, Q. Nobilior*, qui Ennium civitate donavit, *T. Annius Luscus, L. Paulus Aemilius*, Africani pater, de quibus quam plurima sciteque dicta apud Ciceronem inveniuntur. Cic. Brut. 20.

LXXV. Vivo etiam Catone, multi minores natu uno fere tempore oratores floruerunt. In his *A. Albinus, Ser. Fulvius, Ser. Fabius Pictor, Q. Caecilius Metellus* qui, cum Macedoniam recepisset redegissetque in suam potestatem Pseudophilippum, primo *Macedonicus* dictus est, et etiam *Celtibericus* postea, quia Celtiberos subegerat. Hic inter oratores habitus est propter orationem illam, quam, accusante Africano, pro L. Cotta dixit, et nonnullas alias, quarum una contra Ti. Gracchum, ut Cicero testatur, in C. Fannii Annalibus exposita erat. Elogium huius Metelli habet Velleius: « *Vix ullius gentis, aetatis, ordinis hominem inveneris, cuius felicitatem fortunae Metelli compares. Nam praeter excellentes triumphos honoresque amplissimos, et principale in republica fastigium extentumque vitae spatium et acres innocentesque pro republica cum inimicis contentiones, quattuor filios sustulit, omnes adultae aetatis vidit, omnes reliquit superstites et honoratissimos. Mortui eius lectum pro rostris sustulerunt quattuor filii, unus consularis et censorius, alter consularis, tertius consul, quartus candidatus consulatus, quem honorem adeptus est. Hoc est nimirum magis feliciter de vita migrare quam mori* » In oratoribus quoque *L. Cotta*, qui *Veterator* habitus est, longeque praestantes *C. Laelius* et *P. Africanus Minor*, omnes vero facile superans *S. Galba*. Comparationem inter Laelium et Africanum Cicero instituit, ex qua ita concludit: « *Quamquam ea est fama, ut plurimum tribuatur ambobus, dicendi tamen laus est in Laelio illustrior* »; Vell. I Hist. Rom. 11.

additque paulo inferius: « *Ingenii eloquentiae sapientiae denique etsi utrique primas, priores tamen libenter deferunt Laelio* ». His omnibus sine controversia *Ser. Galba* praestitit, de quo Cicero: « *Is princeps ex Latinis illa oratorum propria tractavit, ut egrederetur a proposito ornandi causa, ut delectaret animos, ut permoveret, ut ageret rem, ut miserationibus, ut communibus locis uteretur. Sed nescio quomodo huius, quem constat eloquentia praestitisse, exiliores orationes sint et rodolentes magis antiquitatem, quam aut Laelii aut Scipionis aut etiam ipsius Catonis, itaque exaruerunt, vix ut apparent* ».

Cic. Brut. 21. 82.

Mediocrium in numero oratorum post senectutem Catonis extremam fuerunt *L.* et *Sp. Mummii* fratres, *L.* et *C. Aurelii Orestae*, iidem et fratres, *P. Popilius*, eiusque filius *Gaius*, denique *G. Tuditanus*, aliique plures, quos memorat Cicero.

Cic. Brut. 25.

LXXVI. Aetate, quae subsecuta est, *Ti.* atque *C. Gracchi* fratres apud populares multum dicendo valuerunt. Qui cum adulescentes in gremio et sermone Corneliae matris educati essent, institutique a Diophane, rhetore Mytilenaeo, eam sibi dicendi copiam et facultatem comparaverunt, qua tamquam armis bonis instructi, a C. Blossio Cumano stoico, ut memoriae traditum est, acriter incitati, latis legibus primo de agris aeque in populum dividendis, de adipiscendis aequandisque iuribus ordinum postea, multitudinem universam in patricios optimatesque populariter summovere et concitare potuerint. At cum levem, duce privato Scipione, favoris popularis auram experti essent, propter immaturam mortem, quam uterque violenter obiit, tanta laude tantoque honore vitam brevem exornavere, ut diuturna senectute esset multo praestantior. Eorum uterque, alter altero modo, orator summus habitus est. Tiberius minus animo aestuans, quam frater, in dicendo concitabatur minus, mollioreque sermone et miserationibus utebatur. Caius vero, natu minor, in agendo erat contentior, vehementior in concitandis animi motibus,

Ti. et C. Gracchi

qui odio, ira nascuntur, et ut in diversas orationis partes citior diffluebat, ita in suggesto se huc illuc convertens se totum movebat, demissaque interdum ex humeris toga, eo elatissimo vocis sonu orationes pronuntiabat et quasi concinebat, ut a servo quodam, vel si repente modum esset praetergressus, vel si in eo esset, ut praetergrederetur, canenti fistula moneri et ad moderationem revocari voluerit. Neminem Cicero pleniorem illo uberioremque ad dicendum fuisse oratorem putat, immaturoque eius interitu, qui ob pietatem fuit, quam fratri praestare voluit, damnum rem Romanam litterasque fecisse gravissimum censet.

Cic. Brut. 33. 125.

LXXVII. Oratores, qui Gracchorum memoria exstiterunt, cum se civilibus contentionibus commiscuissent, in partes discesserunt. Cum Gracchis *Appius Claudius Pulcher*, Tiberii socer, stetit in primis; tum *P. Mucius Scaevola* augur, qui iuris peritissimus fuit; tum *P. Licinius Crassus*. Nobilitatis fautores contra fuerunt *Q. Caecilius Metellus*, quem proxime nominavi, *L. Calpurnius Piso*, *Q. Aelius Tubero*, *C. Fannius Strabo*, *Livius Drusus*. At vero *C. Papirius Carbo*, quamvis ex eadem M. Aemilii Lepidi schola, qui *Porcina* dictus est, cum Graccho profectus esset eademque primo ac ille de republica sensisset, temporibus indulgens, in neutram partem primum se pendere simulavit, dein consul nobilitati favit, postremo Opimium, qui C. Gracchum necaverat, in iudicio aperte defendit. Pro crimine amicitiae iuris deserti, maximam sua ipse manu poenam persolvit. Nam maiestatis accusatus, propter perpetuam in populari ratione levitatem, morte voluntaria se a severitate iudicum liberavit.

Oratores Graecorum memoriae

Cic. Brut. passim.

LXXVIII. In aetatem, quae inter Gracchos et Ciceronem intercessit, oratores plurimi inciderunt. Tum enim aequales vel suppares *Q. Varius*, *Cn. Pomponius*, *P. Antistius*, qui minores habiti sunt, cum iisque alii innumerabiles fere floruerunt; tum *C. Iulius Caesar Strabo* et *L. Aelius Stilo* multum dicendo potuerunt; tum quoque *C. Aurelius Cotta*,

Oratores qui inter Gracchos et Ciceronem fuerunt

P. Sulpicius Rufus, Q. Mucius Scaevola Pontifex, L. Licinius Crassus, M. Antonius, quos Cicero in libris, qui de Oratore inscribuntur, inter sese de omni dicendi arte disputantes inducit. Nulla enim aetas anterior aut posterior, aestuantibus in libertate maxima et quasi licentia partium contentionibus et discidiis, adhibita, tamquam obrussa, rhetorum Graecorum loquendi arte atque ratione, neque ampliorem oratoribus locum dedit, neque ac si extrema moliretur, eorum uberiorem copiam protulit. C. Iulius Strabo igitur — nam missos faciam quos ante hunc nominavi, ut Ciceroni eos laudandos remittam — festivitate et facetiis superioribus aequalibusque suis omnibus praestitit, minime ille quidem vehemens orator, sed nemo umquam urbanitate, nemo lepore, nemo suavitate conditior, itaque eloquentiae deditus, ut anno, quo aedilis curulis fuit, Cicerone teste, quotidie fere accuratas conciones haberet. Alter Aelius, etsi orator esse nollet, scribebat tamen orationes, quas alii dicerent; quibus scribendis et ipse Brutus interfuit, cum esset apud eum adulescens, eumque audire perstudiose soleret. In Cotta autem dicendi genus quoddam erat siccum, sincerum, sanum; in Sulpicio grande et, ut ita dicam, tragicum; elegans in Scaevola, urbanum et in severitate ipsa comitate conditum.

Cic. Brut. 49, passim alibi

Cic. Brut. 89. 304; 56. 205; de aliis sparsim

LXXIX. Oratores omnes tamen omni eloquentiae genere *L. Licinius Crassus* et *M. Antonius* praestiterunt. Hic, triumviri avus, anno sexcentesimo undecimo post Urbem conditam ortus, ad summos honores per gradus ascendit. Cum enim quaestura, praetura perfunctus esset, propraetorque in Ciliciam missus de piratis, quos devicerat, triumphum egisset, consul primum, censor deinde renunciatus est. Bello civili actor interfuit, in quo, Marii Cinnaeque iussu, quintum quinquagesimum aetatis annum agens est interfectus. Item Licinius Crassus, eius aequalis, natu tamen minor, vir in republica praestantissimus fuit. Adulescens enim admodum coloniam duxit Narbonem Martium; dein quaestor, tribunus,

Crassus et Antonius oratores summi

aedilis, praetor, consul creatus est, denique anno sexcentesimo sexagesimo altero censor; post quem annum ante tempus vita functus est.

Orationum, quas Antonius habuit, nihil aliud praeter memoriam exstat, nam eas dicere solitus fuit, neque scripsit. In consulatu duas causas egit, quarum unam contra Sex. Titium tribunum plebis dixit, seditiosum civem et turbulentum; alteram pro M. Aquilio, qua in causa perorauda a pectore huius tunicam diloricavit, ut honestas cicatrices senis imperatoris iudicibus ostenderet. Post censuram G. Norbanum, tum se ipsum lege Varia, tum denique M. Marium Graditianum defendit. Cum nullas orationes litteris mandavisset, reliquisse eum librum de ratione dicendi Cicero et Quintilianus testantur; de quo libro: «*Hoc solum*» iste inquit «*opus eius, atque id ipsum imperfectum, manet*» At contra orationum fragmenta Crassi hinc inde eruta nonnulla supersunt, praesertim ex illis, quas in Papirium Carbonem habuit, in Marcium Philippum consulem, in Memmium, de colonia Narbonensi, pro Licinia Virgine Vestali, pro Pisone, quae cum laude multis ab auctoribus referuntur.

Praecipuae utriusque orationes quarum memoria manet

Cic. II. de Orat. 11 et 28; Liv. Epit. 70. Quint. II. Inst. 15. 7.

Cic. Orat. 5; Quint. III. Inst. 1. 19.

LXXX. Utrumque oratorem Cicero, Antonium Crassumque, laudibus maximis cumulat. Ille ita promptus ad dicendum erat, ut quae secum ipse domi commentatus esset, ea imparatus et ex tempore dicere videretur. Omnia in agendo ei veniebant in mentem eaque suo quaeque loco in maxime opportunis orationis partibus collocabantur. Sermonem non elegantissimum illum quidem adhibebat, neque tamen admodum inquinatum; cuius vis, et in eligendis verbis posita erat, et in collocandis et comprensione devinciendis, ut nihil non ad rationem et tamquam ad artem dirigeret, nihil non aptissimum ad sententias ornandas et conformandas proferret. In actione autem singularis erat; gestus enim cum sententiis maxime congruentes adhibebat, vocemque et ad omnes animi sensus significandos variam flexibilemque et, quamvis natura

Ciceronis de Antonio Crassoque sententiae

Cic. Brut. 37.

subrauca esset, permanentem ad finem. In Crasso summa auctoritas erat, cuius facetiarum et urbanitatis oratorius lepos cum gravitate coniungebatur. Item ut ipse Latine accurata loquendi quidem, sed non exquisita nimis nec odiosa diligentia utebatur, ita in disserendo mirum in modum omnia exponebat atque explicabat. Quid vero ipsi de oratoris arte senserint, ex libris de oratore, in quibus eos Cicero de omni eloquentiae genere scite accurateque disputantes inducit, videre possumus. Graecos oratores negant se esse secutos, rhetorum praecepta aspernantur; hoc unum se semper contendisse, ut in se dicendi genus maiorum genuinum et sincerum instaurarent, affirmant. Nihilominus et eos in oratorum Graecorum lectione assidue esse versatos nonnullis quibusdam indiciis suspicamur.

Antonii Crassique acerbissimum funus

LXXXI. Acerbissimus oratoris utriusque finis fuit, nam Antonius Marianis sicariis iugulatus est; Crassus vero in maximo honorum cursu, ceu flos succisus, exaruit. Eorum recordatione et memoria Cicero ad tristem doloris sensum et fletus quasi movetur; ac si, dum de illis scribit et loquitur, imminens sui ipsius fatum divinatum sibi praesagiat. Licinius Crassus igitur, ingenium illud propter humanitatem et virtutem immortalitate dignum, cum maxima vehementissimaque contentione animi atque virium in se senatuque ab iniuriis L. Marcii Philippi defendendis dixisset, diuturno dicendi labore defatigatus in media oratione corruit, nam ei latus condoluit, sudoreque multo corpus manavit; ex quo cum febri domum rediit dieque septimo obiit lateris dolore consumptus. Illo die, quo postremam causam ita egit « *tamquam cycnea fuit divini hominis vox et oratio, quam* » Ciceronis verba refero — « *quasi expectantes post eius interitum veniebamus in curiam, ut vestigium illud ipsum, in quo ille postremum institisset, contueremur. Fuit [eius funus] luctuosum suis, acerbum patriae, grave bonis omnibus; sed ii tamen reipublicae casus secuti sunt, ut mihi non erepta L. Crasso*

Cic. III. de Orat. 3.

a dis immortalibus vita, sed donata mors esse videatur». Luctuosior tamen M. Antonii obitus fuit. Etenim cum princeps civitatis eloquentiaeque esset iam, civili bello Sullam inter et Marium ardente, a P. Autronio nefario tribuno militibusque quos ipsos eloquentia sua moratus erat, iussu Marii Cinnaeque confossus est. Caput eius, a quo erant multorum civium capita servata, corpore detruncatum sanguineque perfusum, *« in ipsis rostris positum est, in quibus ille rempublicam consul defenderat quaeque censor imperatoriis manubiis ornarat».*

Vell. II. His Rom. 22.

LXXXII. Aliis quoque oratoribus eiusdem memoriae tempora infestissima fuerunt. Paucis enim mensibus post Antonii caedem, C. Aurelius Cotta, reus lege Varia factus, aut sponte sua, priusquam sententia ferretur, in exilium abiit, aut e civitate eiectus est. Eodem anno P. Sulpicius Rufus necatus est; eodemque Q. Lutatius Catulus sibi mortem consciscere iussus. Quinque autem annis post, cum curia ab Marii asseclis circumdata esset, editaque strages patrum, qui in illa erant, tres oratores clarissimi Q. Mucius Scaevola, C. Papirius Carbo, illius eloquentissimi filius, P. Antistius nefandissimo scelere iugulati; tum anno, qui subsecutus est, Sullae fortuna in melius vertente, C. Censorinus interemptus, pauloque post Cn. Pomponius et P. Murena, qui exercitum Sullae secuti erant, cum Marianis, qui supererant, bellum conficientes in pugna perierunt. Quibus oratoribus intercisis vel civili bello absumptis, ingentissima iudiciorum, legum, iuris, humanitatis vastitate facta, rostra et curia, in quibus illi habitare consueverant, statim brevi tempore obmutuerunt.

Cic. III. de Orat. 3.

EXPLANATORES LEGUM IURIS CONSULTI SAPIENTES VIRI

LXXXIII. Scientia legum et iuris in bene constituta civitate, sive iis qui in rempublicam moderandam se conferunt quam maxime necessaria, sive privatis quoque civibus honestissima, ex iudiciorum consuetudine nata est, in quibus

oratores, iure controverso, et ad respondendum et ad cavendum legum auctoritate aliter atque aliter utebantur. Legum igitur interpretandarum munus, ac si divino quodam iure manaret, augurum et pontificum collegia sibi proprium assumpserunt. *P. Aelius Paetus*, iurisconsultorum qui primus habetur, augur fuit, inauguratusque in locum M. Marcelli anno quingentesimo quadragesimo quinto post conditam Urbem. Cum eo et frater eius *Sextus* in doctrina iuris condenda ad formamque et corpus redigenda versatus est. Nam hic, cum genera quaedam agendi deesse comperisset eaque composuisset, librum evulgavit tribus partibus constantem, in quarum primam leges XII Tabularum, in secundam earum interpretationem, in tertiam actiones redegit, quas ipse conscripserat. Propter hanc rerum partitionem liber « *Tripertita* » appellatus est, vel etiam a scriptoris nomine « *Ius Aelianum* » in quo, ut Pomponius testatur, cunabula iuris inerant. Frater Aelius uterque saepe a veteribus laudatur. Ille a Pomponio praesertim, ob maximam scientiam, quam in profitendo habuit, hic et ab eodem maximeque a Cicerone, qui cum multis in locis de eo commemoret, in libro de Oratoribus eum propter iuris civilis scientiam *egregie cordatum hominem* a summo poeta Ennio appellatum esse refert.

Liv. XXVII. ab Urb. cond. 36.

Pomp. I. Dig. 2. 2. 38.

Cic. I. de Orat. 45. 198.

LXXXIV. Aeliorum aequalis *P. Cornelius Scipio Nasica* fuit, quem pontificem et facetissimum hominem fuisse nos Cicero docet, et ob prudentiam a senatu domo in via Sacra donatum esse, quo facilius a civibus de legum iurisque quaestionibus consuleretur. Tum quoque *L. Atilius* floruit qui, cum prudentissimus in iure civili putaretur, *Sapiens* appellatus est aliter ac Cato, qui multarum rerum usum haberet. Leges XII Tabularum et Atilium interpretatum esse ex eodem Cicerone novimus, qui tamen illum quaedam non satis intellexisse censet. Atque etiam *Q. Fabius Labeo*, qui pontifex fuit, quique non iuris modo, sed et antiquitatis peritia plurimun valuit. Tum *Catones* duo fuerunt, quorum

Cic. II. de Orat. 68. 276. Pom. I. Dig. 2. 2. 37.

Cic. II. de Leg. 23.

Liv. XL., ab Urb. cond. 42; Cic. Brut. 21. 81.

alter *Censor*, de quo paulo supra locuti sumus, appellatus est, alter *Licinianus*, huius filius qui patre vivo obiit. Hic patrem ipsum iuris scientia superavit regulamque Catonianam reliquit, quae ad testamenta spectasse videtur. Tum denique *M. Fulvius Nobilior*, qui Ambraciam cepit, et bonis litteris atque artibus, non minus quam legum iurisque notitia, inclaruit.

Ulp. XXI. Dig. I. 10. 1.

Varr. VI. de Ling. Lat. 33.

LXXXV. Post Catones fuerunt *M. Manilius*, *Iunii Bruti* duo, *Mucius Scaevola*, quorum primum tantam sui ipsius copiam civibus omnibus fecisse memoriae proditum est, ut ex eo, vel transverso in foro deambulante, vel in solio sedente domi, non consilia de iure civili, quod maxime callebat, sed de filia collocanda, de fundo emendo, de agro colendo, de omni denique aut officio aut negotio, sciscitarentur. Hic igitur tres de iure civili libros composuit, in quibus « *venalium vendendorum leges* » continebantur. Deinde Bruti, quorum alter tres, ut apud Ciceronem invenio, vel septem, ut Pomponius in Digestis testatur, de iure civili libros reliquit; alter qui, ab amicitia cum Gracchis *Gracchanus* dictus est, plura de potestatum iure scripsit. Tertius, qui pontifex creatus est, pontificem bonum neminem esse aiebat, nisi qui ius civile cognovisset, in quo pluris quam ceteros eum valuisse censemus, siquidem decem libros de illo reliquit. A tribus iurisperitis his, de quibus nunc sermo est, Pomponius, in hac re auctor probatissimus, ius civile omne conditum esse credit.

Cic. III. de Orat. 33. 133; I., 58. 246.

Cic. II. de Orat. 55. 223; Pomp. I. Dig. 2. 2. 39.

Cic. II. de Leg. 19. 47.

Cic. III. de Leg. 20. 49.

LXXXVI. In iuris consultorum numero etiam *P. Licinius Crassus Dives* recensendus est, quem ditissimum et nobilissimum fuisse eundemque eloquentissimum et iuris peritissimum atque etiam pontificem maximum Gellius refert. Tum etiam *C. Marcius Figulus*, cuius mansuetudinem iurisque scientiam Valerius Maximus nobis commendat; tum quoque *P. Rutilius Rufus*, stoicus acerbe severus qui, Cicerone teste, multa opera multaque industria fuit, quae propterea gratior erat, quod idem magnum munus de iure respondendi

Gell. I. Noct. Att. 13. 10.

Val. Max. IX. Mem. 3. 2.

Cic. Brut. 30 113.

sustinebat; et *C. Livius Drusus*, cuius domum a consultoribus compleri solitam accepimus, nam qui sua non viderent, eum caecitate iam laborantem, adhibebant ducem. Tum denique *Mucii Scaevolae* eiusdem nominis alii duo floruerunt — nam scientia iuris in Scaevolis, postquam P. Mucius, de quo proxime locuti sumus, in gentem suam intulit, laus quaedam tamquam familiae fuit — quorum alter, qui augur nuncupatus est, ut aetate, ita maior fama fuit; alter vero, qui pontificis nomine distinguitur, iuris peritorum eius memoriae omnium praestantissimus existimatur.

Cic. V. Tusc. 38. 112.

Q. Mucius Scaevola augur ille igitur est, quem Cicero et in libris de Republica et in illis, quos de Oratoribus scripsit, cum clarissimis aequalium disputantem inducit; ad quem ipse a toga virili sumpta ita a patre deductus fuit, ut quoad posset et liceret, a senis latere numquam discederet; cuius domus quotidie summorum hominum splendore tamquam civitatis oraculum frequentabatur. Hic, ex Ciceronis sententia, minime quidem orator fuit, sed philosophus stoicus in Graecorum doctrinis versatus, et iuris in primis peritus atque in senectute etiam facetus ioculatorque. *Q. Mucius Scaevola* alter, qui *Pontificis* nomen habuit, in clarissimorum Romanorum numero cum Appio Claudio, cum Catone est. Non enim varietate doctrinarum tantum, iuris scientia, argumentorum exemplorumque copia, qua in disserendo utebatur, quibus laudibus a Cicerone duobus locis *iurisperitorum eloquentissimus eloquentium iurisperitissimus* dicitur; non duodeviginti libris, quos de toto iure reliquit, non illo, qui liber singularis « ὅδων » inscribebatur; non clarissimorum discipulorum frequentia, qui ex ipsius schola provenerunt, commendatur, sed magis vitae innocentia et sanctitate: hac meruit, ut per senatus consultum magistratibus in provinciam Asiam ituris, quam ipse administraverat, in exemplum proponeretur, sed multo magis animo firmissimo, quo audacis insanissimique C. Fimbriae in se iris concitatis, primum

Cic. de Amic. 1. 1; I. de Orat. 45. 200.

Cic. IV. ad Att. 16. 3.

Cic. Brut. 39, 145; I. de Orat. 39. 180.

Val. Max. VII. Mem. 15. 6.

Liv. Epit. 86.

in C. Marii funere vulneratus est, deinde in vestibulo aedis Vestae a Marii satellitibus vulnere iam sanatus occisus.

LXXXVII. Propter similitudinem et convenientiam maximam, qua iuris scientia cum studio sapientiae quadam quasi naturae cognatione coniungitur, viri ipsi fere omnes, quos in iuribus legibusque et indagandis et definiendis versatos esse diximus, ut philosophiam totam coluerunt, ita in illam eius partem magis pervestigandam incubuerunt, in qua de hominum moribus agitur. Ut enim mores hominum legibus continentur, moderantur, corriguntur, ita leges ex consuetudine vitae tamquam ex fontibus suis nascuntur. Hac de causa antiquissimum in Romanis studium sapientiae Cicero credit, quamvis ante Laelii aetatem et Scipionis nullum reperiat, quem appellare nominatim possit. Etenim civitatis principes, qui stoicum Diogenem et Carneadem academicum disputantes audiverant, ad studia tantum doctrinae illorum excitati, amplissimam bene vivendi disciplinam vita magis, quam litteris, prosecuti sunt. Ex stoicorum umbraculis *C. Blossius* Cumanus provenit, qui sapientiam, quam professus erat, nullis libris consignavit, sed morte sibi stoice illata confirmavit; post hunc *Q. Aelius Tubero*, vita severus et congruens cum disciplina, quam colebat, et *Q. Mucius Scaevola*, qui in philosophia clarior fuit, quam in arte dicendi. Omnium postremus, qui ante Ciceronis aetatem floruerunt, *L. Aelius Praeconinus Stilo*, qui cum epicurei totam Italiam occupavissent, stoicus esse voluit. Illis igitur civitatis principibus silentibus primum, deinde etiam sapientibus his, quos supra recensui, *C. Amafinius* ex epicureorum scholis exstitit dicens: « *cuius libris editis commota moltitudo contulit se ad eam potissimum disciplinam, sive quod erat cognitu perfacilis sive quod invitabantur illecebris blandis voluptatis, sive etiam quia nihil erat prolatum melius, illud, quod erat, tenebant* ». Post Amafinium multi, eiusdem aemuli rationis, multa scripserunt; at haec cum libris corruerunt; ex iuris consultis

Cic. IV. Tusc. 3. 5.

Cic. de Amicit 11. 37; Brut. 31. 17; 26. 102; I. de Orat. 11. 45.

Cic. Brut. 56. 206.

Cic. IV. Tusc. 3. 6.

his apud Ciceronem veteresque alios scriptores *Rabirium* tantum et *Catium* nominatos invenio.

LITTERATI RHETORES RERUM NATURALIUM SCRIPTORES

LXXXVIII. Post Catonis aetatem, quem ex Originibus constat quantum inter aequales cognitione Italicarum quoque antiquitatum praestiterit, generibus iam litterarum fere omnibus ad maturitatem progredientibus, viri docti nonnulli eruditique, non minus Graecorum exemplo impulsi eorum, qui Romae publice doctrinas suas profitebantur, quam sua sponte librorum legendorum consuetudine invitati, studiosius frequentiusque quam antea in exercitationes illas se contulerunt, quibus tota litterarum pertractatio continetur. Alii igitur poetis explicandis operam dederunt, ut eorum genera notarent, fabulas in iis indagarent, has a rebus veris distinguerent; alii vetustissima rerum gestarum monumenta, leges antiquitus scriptas, tabulas a pontificibus confectas, ceteraque huiusmodi arripuerunt, inter sese contulerunt, notationibus animadversionibusque illustrarunt; alii ex orationibus Romanorum vel ex Graecorum libris rhetoricis normas et regulas eruerunt, in quibus dicendi artem sitam esse crediderunt; alii ad veteres scripturas emendandas vel ad interpretandas verborum obsoletorum significationes se converterunt; alii denique in statuendis formulis et rationibus recte scribendi versati sunt, quas Graece « ὀρθογραφίαν » dicimus. Studium rerum istarum prope infinitarum, quibus poetarum tractationes continentur, *Crates*, grammaticus Pergamenus, qui ex patria *Mallotes* appellatus est, in Urbem intulit. Hic, cum ab Attalo rege bellum Punicum primum inter et secundum Romam missus esset, cumque, lapsus in cloacae foramen crus sibi fregisset, per omne legationis simul et valetudinis tempus, plurimas acroases fecit; assidue de poetica disseruit,

Romanis exemplum ad imitandum dedit. Varrone teste sex libros « περὶ ἀνωμαλίας » reliquit, quibus contra Aristarchi doctrinam « ἀναλογίαν » explodere instituit.

Suet. Gramm. 2.

LXXXIX. Grammaticorum Romanorum *Sp. Carvilius Ruga* primus fuit, qui a Spurio Carvilio Ruga libertate donatus, litterarium ludum aperuisse ac mercede patriciorum liberos litteras docuisse traditur. De hoc Valerius Maximus haec habet: « *Repudium inter uxorem et virum a condita Urbe usque ad vicesimum et quingentesimum annum nullum intercessit. Primus autem Sp. Carvilius uxorem sterilitatis causa dimisit. Qui quamquam tolerabili ratione motus videbatur, reprehensione tamen non caruit: quia nec cupiditatem quidem liberorum coniugali fidei praeponi debuisse arbitrabantur* ». Hic litterarum numerum auxit; etenim ceteris « G » adiecit; at «*Z*» quod multis annis ante eum Appius Claudius submoverat, in ordinem illarum non insinuavit. Cum hoc aetate coniunctus fuit *L. Aelius Preconinus Stilo*, grammaticorum princeps et magister Varronis, de quo mox in tertio libro locuturi; quem virum egregium et equitem Romanum cum primis honestum, eundemque et Graecis Latinisque litteris eruditissimum antiquitatisque litteratae peritum appellat Cicero. Huius diligentia grammatica omni ex parte aucta est, multiplici enim variaque doctrina commentarios compo suit antiquissima monumenta interpretat eruditos homines, qui ἀναλογισταί graece dicuntur, est secutus.

Val. Max. II. Mem. 1. 4.

Plut. Quest. Rom. 14 54.

Cic. Brut. 56; I. Acad 2.

« *Commentarium de proloquiis* » scripsit etiam, in quo ipse, quae secum de rebus variis per transennam cotidie commentatus erat, brevibus veluti sententiis consignata, sui magis admonendi quam aliorum docendi gratia collegit. Saliorum quoque carmina et leges XII Tabularum interpretatus est, Varrone ac Cicerone testantibus. De Plautinis vero fabulis, in quibus etiam explanandis elaboravit, hac de causa praesertim disputasse videtur, ut quae eius verae essent, quae translaticiae, ex dicendi generis indicio sententiam ferret.

Gell. XVI. Noct. Att. 8. 2.

Varr. VII. de Ling. Lat. 2.; Cic. II. de Leg. 23.

Cetera Aelii scripta, quae a grammaticis multis nominantur — plurima fuisse censemus — fragmentis nullis manentibus, praeter iudicium de Plauto: « *Musas Plautino sermone locuturas fuisse, si Latine loqui vellent* » quod nominis auctoritate in Sarsinatis laudem circumferri solet, temporum iniuria omnia interciderut.

XC. Eodem tempore *Archelaus* et *Vettius Philocomus* floruerunt, satirarum Lucilii explanatores, eorumque aequales vel suppares *Plotius Gallus*, qui primus Romanos artem rhetoricam docuit et librum « *De gestu oratorum* » scripsit: *Servius Nicanor*, *Q. Cosconius*, *Octavius Lampadio*, qui Naevii versus de bello Punico in libros distribuit, in iisque praestantissimi *Aurelius Opilius et N. Antonius Gnipho.* Hic discipulorum fama nobilior quam sua — in auditoribus enim, qui domum suam frequentabant, Ciceronem habuit — cum perdiligenter cotidie praecepta de omni eloquendi arte traderet, decimo quoque die orationibus declamandis auditores suos exercere solitus erat. Libros vero novem, quos de his rebus composuit, praeclara eruditione doctrinaque varia refertos, novem Musis proprios addixit. Ex ludorum frequentia innumerabiles alii grammatistae, litteratores, poetarum explanatores, scholiastae, critici eruditique homines provenerunt, qui consuetudine legendi non suas tantum aures tritas habuerunt, sed et discipulorum multis quaestiunculis disputationibusque impleverunt.

Suet. Gramm. 2, 5; Rhet. 2.

Quint. I. Instit. 6. 23.; Macr. II. Sat. 12. 8; Suet. Gramm. 7.

XCI. Ad hanc aetatem spectare videtur « *Rhetorica ad Herennium* » quoque, quae sine certo auctore etiam nunc a multis circumferri solet. Eam tamen nonnulli Fortunatianum, Priscianum, grammaticos alios, in primisque divum Hieronymum secuti, Ciceroni suam diutius ascripserunt. At nihil est cur, quod isti sibi certum assumant, et nos concedamus, praesertim cum ordine et rerum dispositione destituta sit, quae in Arpinatis syntagmatis cernitur. Sententias alias futtiles commenticiasque de rhetoricae auctore — nam

Hieron. Apol. adv. Ruf. 1. 16.

alii Aelio Stiloni, alii Gniphoni addicunt — silentio mihi praetergredi liceat; attamen ne a neutris nullis argumentis stetisse videar, vel inepte causam iudicibus aliis reliquisse, cum recentioribus multis eam Cornificio illi tribuam, qui cum Cicerone de consulatu contendit quique iudex severissimus atque integerrimus fuit. Hoc mihi Quintilianus tacite suadet, qui in nono libro Institutionum tot et tales sententiarum et verborum figuras, quae dicuntur, Cornificio attribuit, quot et quales reapse in rhetorica ad Herennium reperiuntur. In hac autem tota eloquentia pertractatur. In primo enim libro et secundo de ista rhetoricae parte, quae pertinet ad inventionem, in tertio de sententiarum compositione atque distributione, in postremo de actione, quae in gestibus atque corporis motibus posita est, in vocis sonu, in ceteris huiusmodi, fuse peragitur; tum etiam de memoria, in qua inventa ab oratoribus et cogitata tamquam in thesauro abscondita custodiuntur. Ex Graecorum fontibus, ex Aristotelis Hermagoraeque libris satis libere et iure quasi suo rem auctor deprompsit, quam tamen tot tantisque Romanorum exemplis illustratam et comprobatam voluit, ut non desint, qui Ciceronianis libris rhetoricis eam praeponere audeant.

Cic. I. ad Att. 1: II. in Verr. 10.

XCII. Agricolarum vero ars, quam Romanorum patres antiquitus a Saturno, videlicet a natura ipsa, didicerant, dein etiam a Catone, cognitis post Carthaginem captam Magonis libris, miros ad disciplinae dignitatem progressus fecit. Huius libros senatus tanto in honore habuit, ut, cum regulis Africae bibliothecas reddi iussisset, novo inauditoque consilio, quod singulare mansit, illos Latine vertendos curaret. Rusticae exercitationes, quae sementibus ac messibus, pratis ac pomariis, hortis, arborum potationibus ac vitium, religationibus animalium, aliis huiuscemodi rerum generibus continentur, quo modo quoque anni tempore fieri deberent, villicis imperabantur. Istarum rerum infinitatem non minus duodetriginta libris consignaverat. Negotium librorum vertendo-

Plin. XVIII. Nat. Hist. 5. 1; Cic. I. de Orat. 58.

rum patres sermone Punico peritis commiserunt, in quod *D. Silanus*, vir honestissimo loco natus primus, post eum vero *Cassius Dionisius Uticensis* incubuit. Hunc Magonem rusticationis parentem dicendum esse Columella affirmat. Varro autem nobis auctor est in libris de eadem re conficiendis, *C. Tremellium Scrofam* versatum esse, atque etiam duos *Sasernas*, patrem et filium; cum istis denique *Tarquinius Priscus* et *Mamilius Sura*, qui a Plinio laudantur.

Varr. I. de Re rust. 2. 22, 16. 5., 18. 2.

XCIII. Per id tempus *C. Sulpicius Gallus* fere in astrologiam se contulit, qua tantum praestitit, ut non modo astra singula nominaret eorumque motus dignosceret, sed et lunae quoque defectionem, quae nocte fuit ante pugnam ad Pydnam commissam, praenuntiaret. In geometricas vero formas describendas *Sex. Pomponium*, quem Cicero cum Sulpicio nominat, primum omnium se contulisse traditum est. His rerum naturalium scriptoribus duo alii addendi sunt *Trebonius Niger* et *Turranius Gracilis*, quorum uterque regionum terrestrium et maritimarum scientiae operam dedisse videtur. Notandum tamen hoc loco est disciplinas istas, quae in indagandis, quae sensibus subiciuntur, positae sunt, vel in obscuris abstrusisque causis inspiciendis eorum versantur, quae in natura fiunt, vel reconditis multiplicibusque artibus mathematicis continentur, quae et numeros componunt et geometricas formas describunt, vel siderum motus stellarumque dimetiuntur, diutius ad hanc aetatem apud Romanos iacuisse, quia earum consuetudine et studio, in quo nulla utilitatis species inesset, a rebus gerendis cives abduci contra officium esse credebatur. Frequentissima tamen poetarum explanandorum exercitatio in gravissimis hominibus illis, non intelligendi modo facultatem acuit, sed exemplorum copia celeritatem mentis excitavit, unde et genus dicendi ad perfectionem accessit, et auctis disciplinis studiisque, quae hominum propria sunt, scriptores et poetae maximi floruerunt, qui expletissima arte, fere ut Graeci, maturam litterarum aetatem ad immortalitatem illustrarunt.

Cic. Brut. 20. 78; I. de Off. 6. 19.

Plin. IX. Nat. Hist. 30. 48; 5. 11.

LIBER TERTIUS DE LITTERARUM LATINARUM MATURITATE QUAE CICERONIS MEMORIAM ET AUGUSTI COMPLECTENS AB ANNO URBIS DCLXVI USQUE AD XIV ANNUM POST CHRISTUM PRODUCITUR

DE IACTATIS REIPUBLICAE FORTUNIS DEQUE INITIIS IMPERII

Litterae ad temporum conditiones conformantur

I. Latinae litterae, quae brevi centum sexaginta annorum spatio adoleverant, ad perfectam et undique cumulatam generum omnium maturitatem Ciceronis et Augusti memoria quam celerrime venerunt. Quibus aetatibus ut conditiones Urbis nec eaedem ac superioribus saeculis fuerunt, nec tum sibi constantes manserunt, ita litterarum genera altera in altera aetate, minus ex scriptorum ingeniis diversa quam ex alternis rerum fluctuantium vicibus, inter sese distantia et quasi discrepantia floruerunt. Fontes enim et litterarum capita in singulorum quidem hominum animis posita sunt, qui cogitatione et commentatione artem consequuntur; at, teste antiquitate, teste recentiorum temporum et populorum omnium memoria, litterae ex civitatis universae statu, rebus, fortunis vim capiunt, cum illis percrebrescunt, cum illis immutari, deformari, frangi vel renovari solent.

Civitas universa vitiatur

II. Mores civitatis divitiarum illecebris, otii corruptela, immodica honorum ambitione, magis magisque in dies depravati, ad perniciem rerum omnium Ciceronis aetate corruerunt. Nam cum a maiorum integritate et disciplina cives defecissent, usque eo procliviores ad vitia facti sunt, ut cupiditatibus omnibus effrenatisque libidinibus unice studerent, nihil sancti, nihil pensi, nihil moderati amplius haberent. Amplissimos dignitatum gradus, tribunatum, consulatum, censuram, munera et officia publica quae, cum etiam bene constituta civitas esset, optimi viri spectatisque moribus tantum assequebantur, improbissimus quisque adeptus est. Relaxatis autem veteris disciplinae vinculis, etiam familiae,

in quibus et tota hominum vita et societas tamquam in fundamentis consistit, pedetemptim et per gradus dissolvi coeperunt. Discidia inter coniuges et divortia nata sunt, ex quibus parentum in liberos incuria, et liberorum vicissim in parentes; matrimonia neque diuturna, neque dignitate sed sceleris societate coniuncta, sterilitates, impudicitiae in exitium et ruinam civium omnium profluxerunt.

III. Religio quoque, quam a maioribus acceperant, quaeque deorum cultu pio continebatur, novis ab Asia importatis superstitionibus deformata est atque vitiata. Neglectis enim diis suis, Cybelem, Isidem, Serapidem in primis coluerunt, quorum in sacris celebrandis omnium turpitudinum, lasciviarum, libidinum facultatem, pro deorum natura et cultu, sibi fecerunt. Ne de republica quidem Ciceronis aequales id idem senserunt, quod patres. Multi enim honores, divitias, dominatum immodice cupidissimeque appetentes, leges iura instituta divina humanaque omnia perturbarunt atque miscuerunt; alii, renovatis inter optimates ac populares partium discidiis contentionibusque, sitim rerum novarum odiis, cladibus, sanguine expleverunt; alii, quos tumultuose vivendi rationis huius vehementer pertaesum est, contra antiquam Romanorum disciplinam et morem, a vita in litteratum otium, tamquam in arcem sapientium, se abdere potius duxerunt. Nimium pauci ex patrio instituto ad libertatis iustitiae humanitatis studia inflammati viri, pro his rebus pugnantes procubuerunt.

Superstitiones transmarinae importantur

IV. Vivo Cicerone, Italia, Hispania, Asia, Africa, Gallia bellis vel externis, vel civilibus, vel utriusque generis uno tempore flagravit. Quattuor et triginta annorum spatio, quod sexcentesimum septuagesimum sextum annum inter et septingentesimum decimum post conditam Urbem intercidit, bella atrocissima quattuor cum hostibus his feliciter confecta sunt. Primum contra Sertorium, hominem haud ignobilem et strenuum sane, in Hiberia gestum est; qui cum in pro-

Bella externa

vinciam illam a Cinna missus esset indeque post Sullae reditum in Italiam pulsus, a gentibus illis, quas prudentia, iustitia, pietate atque humanitate sibi conciliaverat ad provinciae gubernacula revocatus, rempublicam a Romanis seiunctam et iuris paene sui pro integra maiorum disciplina et usu conformatam condiderat. Exercitibus a senatu missis cum diutius restitisset, Pompeio duce, a Perpenna quodam per proditionem ex insidiis interfectus est. Bellum secundum cum piratis qui rapinis praedationibusque mare Inferum infestabant confectum est. Pompeius maritimos eorum cursus intercludere iussus, instructa classe, interceptisque latronum navibus hinc illinc sparsim et sine ordine concursantibus, maria omnia brevi tempore periculo liberata tenuit. Bello tertio, quod Spartacus, gladiatoribus primum sociis deinde Italicis ad centum viginti milia concitatis, in Italia ipsa commoverat, gravissimum periculum aliud depulsum est. Crassus in eos cum senatus iussu arma intulisset, ad internecionem multis pugnis profligatos cecidit. Reliquos, qui ex proeliis in Apenninum montem se recipere contendebant, ex Hispania rediens interceptos Pompeius in itinere delevit. Quartum bellum in Asia a Mithridate rege, extrema Romanis moliente, conflatum est, qui Bithynia occupata litteras per omnem Asiam misit: ubicumque inventi essent cives Romani, uno die omnes occiderentur. Lucullus in eum missus est, qui, cum pluribus proeliis profligavisset, Tigranocertam ad Armeniae regem eum profugere coegit. Cum vero, viribus reparatis, in eo esset, ut bellum redintegraret, imperium Pompeio decretum est, qui, pugna ad Euphratem, eum devicit. Mithridates rex ex fuga ad Pharnacem filium in Tauridem contendit, a quo desertus, cum audivisset Romanos adventare, ne in eorum potestatem veniret, hausto veneno, sibi vitam ademit.

Sertorianum · *Piraticum* · *Spartacicum seu servile* · *Mithridaticum*

V. Dum haec in nominis Romani hostes per terrarum orbem bene feliciterque geruntur, bellum civile alterum, illo quod fuerat ante maius, exarsit. Partes enim illae, in quas

Bella civilia et prima trium virorum potestas

civitas superiore aetate exeunte desciverat, quaeque Mario et Sullae civium proscribendorum occasionem praebuerant, maiores acrioresque ex cladibus factae, de civitatis imperio capessendo civilibus contentionibus, coniurationibus, armis exercitibusque, omnibus modis inter sese quam asperrime decertaverunt. Ex partibus his Catilinae coniuratio orta est, cuius ex metu rempublicam Cicero, coniuratis detectis, liberatam servavit. Inde etiam prima trium virorum, ex pactione Caesaris cum Pompeio Crassoque, nata potestas, quae tecte reipublicae libertatem pessumdedit, atque Caesari Galliae subigendae occasionem obtulit. Inde paulo post, ruptis pactionibus, simultates, arma, proelia inter triumviros ipsos nata sunt, et Caesaris pugna, quae cum Pompeianis in Hispania fuit, et ad Pharsalum cum ipso Pompeio; inde istius fuga ad Ptolemaeum regem in Aegyptum atque indignissima mors. Inde denique ad Thapsum, ad Mundam Pompeianorum strages, post quas Caesar, fractis multorum civium viribus, dominatum in civitate unus obtinuit. Attamen Caesar, etsi nihil imperio ne in adversarios quidem abuteretur, tantum odium tantamque in se eorum invidiam concitavit, qui ad rempublicam in libertatem restituendam animum intenderant, ut, cum in unius dominatum popularem maiorum civitatem convertisset, facta coniuratione, viginti et duobus vulneribus confossus in curia Pompeii procubuerit exanimis.

Triumvirum certamina de Urbis imperio

Caesaris mors

VI. Nihil Caesaris mors coniuratorum causae profuit. Nam, multitudine tumultuante, quam in testamento Caesar hortorum heredem constituerat, coniurati ad id, quod sibi proposuerant, potius esse rati sunt egredi Urbe, arma statim exercitusque parare. Ad Caesaris mortem vindicandam altera triumviralis potestas Octavianum inter Lepidumque et Antonium condita est, qui nihil spatii Bruto Cassioque ad arma cogenda reliquerunt. Ad Philippos rebus infectis ab Antonio et Octaviano cum Bruto et Cassio decertatum est, Cassius proelio cecidit, Brutus in fuga, ne patriam servitute oppres-

Coniuratorum finis

sam videret, violentas sibi intulit manus. Bellum civile tertium paulo post inter Antonium Octavianumque coortum est, commissaque ad Actium navali pugna hic superior discessit, ille Cleopatram in Aegyptum secutus, cum Alexandriae ab Octaviano obsessus esset, se ipse in rerum desperatione interfecit. Post Actiacam victoriam unum hoc Octavianus contendit ut, facta civilium dissentionum fine, omnem in unum se potestatem conferret. Imperatorium nomen ex parta victoria suo quasi iure sibi adiunxit; deinceps, populo favente, tribuniciam potestatem, dignitatem principis senatus, consulatum, proconsulatum; postea censuram atque pontificatum maximum, omnia denique paulatim et per gradus, quo facilius Romanos deciperet, munera, honores, dignitates sibi administranda aut gerenda vindicavit. Immutata hoc modo civitatis forma ac disciplina, popularibus ademptis, in terrarum orbem iustitia atque pace administrandum, quas multos iam annos gentes quasi expectantes cupiebant, curam omnem defixit.

Bellum civile inter Antonium et Octavianum

Octavianus rerum omnium in Urbe potitur

VII. Inter tot tantaque rerum discrimina, bella, odia, simultates, civium cum civibus pugnas, miros in omni genere ad absolutionem et perfectionem processus litterae fecerunt. Cicero enim, qui cum inconstantia ingenii et studiorum instabilitate, tum exagitatissima vita praesertim et morte crudelissima temporum suorum imaginem inter nova et vetera fluctuantium expressit, incredibili disciplinarum omnium cognitione, quae oratoris maximi propriae sunt, mentisque lumine prope divinae non aetatem suam tantum et Romanorum litteras illustravit, sed in posteritatem et memoriam populorum omnium et gentium nomen gloriamque, quam ab aequalibus assecutus erat, commendavit et propagavit. Virgilius autem, qui in beatissimum Augusti saeculum, deorum numine quodam incidit, ut magnitudinem magnificentiamque imperii Romani celebraret, aequalium aures armorum sono iam multos annos tritas, suavi atque varia tranquillaque carminum iucunditate delinivit, exhilaratosque ad pacis artes inflammavit cives.

Plena litterarum maturitas

Cicero et Virgilius suarum aetatum lumina

Scriptores praecipui Ciceronis memoriae

Cum Cicerone, litteris iam ad maturitatem progressis, praeter minores innumerabiles fere, praestantissimi tres uno tempore rerum scriptores exstiterunt, C. Iulius Caesar, Sallustius, Varro; multique alii, qui sermone soluto usi, in aliis litterarum generibus versati sunt. Nec poetae defuerunt; in his Lucretius atque Catullus maximi, ex quorum carminibus triste vitae taedium illud spirat, quod quibusdam Ciceronis quoque locis deprehenditur. At Augusti memoria magnus poetarum numerus floruit, quorum alii alia in genera se contulerunt. Tunc temporis enim satiricorum poetarum laude maxime viguit Horatius; in erudito autem Alexandrinorum poetarum genere et Tibullus et Propertius multum valuerunt, tum Ovidius, qui facilitate carminum, varietate, copia Romanorum litteras mirum in modum locupletavit. Cum his denique non aetate tantum sed similitudine quadam orationis coniunctus T. Livius antiquitatem et memoriam omnem celebrans exstitit. Hanc enim eo animi ardore recoluit iisque verborum luminibus exornavit, ut non fabulas modo, sed et res veras ipse ad magnitudinem Romani imperii poetice, simul, maximi poetae instar, atque historice in posteritatem tradendam ementitus esse videatur.

Augusti saeculi poetae

POETAE EPICI CICERONIS MEMORIAE

VIII. Ex duobus fontibus poetae, qui Ciceronis aetate in carminibus epicis condendis versati sunt, superiorum temporum consuetudinem secuti rem deprompserunt. Nonnulli enim commenticias Graecorum fabulas ab Alexandrinis poetis retractatas in carmina sua transtulerunt, alii contra Ennium Naeviumque imitati, res Romanorum, quibus valde multitudinem delectari videbant, celebrare maluerunt. In istorum numero *M. Furius Bibaculus* fuit, quem Cremonae anno sexcentesimo quinquagesimo uno post conditam Urbem

natum esse constat. Gallus natione, de Gallorum rebus poema composuit, quod « *Pragmatica belli Gallici* » inscribebatur, cuius puerilis exstat versus:

Hieron. Chr. ad ann. 651.

Iuppiter hibernas cana nive conspuit Alpes

quem propter novam et inanem verborum translationem Horatius quodam Satirarum loco ridet. Atqui non omnes eius versus ineptos fuisse conicere licet, si Macrobio standum, qui Virgilium ab eo versus accepisse affirmat. Verisimile est poetam in carmine suo conficiendo Caesarem auctorem esse secutum, qui de rebus a se in Gallia gestis commentarios libros conscripserat. Iambi quoque et epigrammata versu hendecasyllabo a poeta condita feruntur, quorum aliquot in Valerium Catonem, quem poeticam docentem audiverat, edita supersunt. Faceta quidem et iocosa carmina ista prima specie videntur; at intus miserationis sensum quendam et quasi dolorem redolent. Minus enim poeta magistrum ridet, quam animo frendit, cum in persolvendas grammaticorum quaestiones illum paratissimum videat eundemque tamen nomen ex tabulis eorum expedire, quibus pecuniam debeat, ineptum inveniat. Iamborum vero illorum acerbitate plenorum, quos in Caesarem et Augustum composuisse traditum est, nihil praeter memoriam manet.

Hor. II. Sat. 2. 40.

Quint. X. Inst. 1. 96: Tac. IV. Ann. 34.

In poetarum Graecorum fabulis narrandis *C. Iulius Caesar* etiam et *M. Tullius Cicero*, a Musis inter maximas reipublicae curas tentati, non parum elaborasse traduntur. Ille enim, cum adulescens litteris prius operam suam navavisset, quam rebus militaribus studium convertisset, de commenticiis Herculis historiis poematium confecit, quod « *Laudes Herculis* » inscribebatur; perinde ac si, res memorandas sibi faciendas esse divinans, illius laboribus, ut calcaribus uti vellet, quibus se ad herois virtutem aemulandam compelleret. Tragoediam « *Oedipum* » et « *Dicta colleectanea* » vixdum

Suet. Caes. 56

adulescens ex multis locis veterum auctorum excerpta composuisse videtur, atque etiam carmina nonnulla amatoria. Quae litterarum studia, neque cum in castris versaretur, neque cum aetate provectus ad reipublicae gubernacula sederet, intermisit omnino. Cum imperio igitur in Hispaniam profectus, de iis, quae in itinere conspexerat, inter classica et turbas poema composuit, quod « *Iter* » inscribebatur. A quibusdam Caesari etiam poema « *De astris* » Graece conscriptum tribuitur, quod ab alio auctore confectum suspicamur, eique ascriptum fuisse, quia temporum notandorum rationem ex astrorum motibus immutaverat. Ex carminibus his nihil praeter Menandri iudicium, quod in superiore libro rettulimus, ad nostram memoriam manet. Ceterum nugas iuveniles has in multitudinem evulgari Augustus vetuit.

Suet. Caes. 56; Macr. I. Satur. 16. 39.

IX. Uberior ut in ceteris litterarum generibus Cicero, qui totam aetatem in illis fere tantum consumpsit, ita in poeticis rebus, quam Caesar dicendus. Plura enim illius poematia, carmina, epigrammata, versus, vel ipsius vel a Graecis poetis versa, quam huius memorantur. In adulescentia Cicero poematia duo de rebus mirificis ex fabulis desumptis composuit, quorum primum « *Glaucus* » inscribebatur, secundum « *Alcyon* ». In illo tetrametris versibus piscatoris Anthedonii illius, Glauci nomine, fabulam referebat, ex qua, cum quondam pisces captos in litore explicavisset eosque, herba quadam contacta, in mare iterum prosilientes conspexisset, novitate rei permotus, herbam degustasse tradebatur, cuius ope ac vi inferiore corporis parte in piscem versus in aquam se submersisse marisque deus evasisse. Poema vero alterum de Alcyone infelicissima femina erat, Ceycis uxore, quam, cognita viri morte, qui naufragio perierat, dolore commotam se in mare proiecisse in avisque formam cum viro suo Iovis miseratione immutatam ferebant. Atque etiam adulescens Cicero in litterarum exercitationem nonnullos ex Homeri poematis locos vertit, posteaque, maiore sibi versuum condendorum

Plut. Cic. 2.; Script. Hist. Aug., ed. H. Peter. II. p. 29. Iul. Capitol. Gord. tres, 3. 2.

arte comparata auctaque rerum difficillimarum cognitione, duas Arati poematis partes Latine reddidit, alteram de sideribus, quae « Φαινόμενα » inscribebatur, alteram « Προγνωστικά » de tempestatum signis, quae in aere fiunt. Aetate vero provectus rerum memoriam, tum earum, quas ipse in consulatu fecerat, tum suorum aequalium, duobus aliis poematiis committere voluit, quorum alterum « *De consulatu meo* » alterum « *De temporibus meis* » inscripsit.

Cic. I. ad Att. 19. 10; 2. 3. 3; III. ad Quint. fr. 9. 6; alibi

X. Per idem fere tempus Caesaris audaciam miratus, de navigatione illius in Britanniam poematium quoque concinnavit; et etiam aliud, in quo versibus heroicis Marii municipis sui laudes celebravit. Circumferuntur etiam carminum aliorum tituli, ut « *Nilus* » ut « *Thalia maesta* » ut « *Uxorius* » in quo viros illos mormordit, qui uxori valde inserviunt; ut « *Limon* » denique, in quo elogia virorum illustrium complexus est. Huius superest de Terentio iudicium:

Cic. I. de Div. 47. 106; 1. de Leg. 1. 2.

Iul. Cap. loc. supra relat. Serv. ad Virg. I. Buc. 58.

Tu quoque, qui solus lecto sermone, Terenti,
Conversum expressumque Latina voce Menandrum
In medium nobis sedatis motibus effers,
Quiddam come loquens atque omnia dulce miscens.

De poetica autem Ciceronis facultate alii aliam sententiam ferunt. Non desunt enim scriptores, in iisque Plutarchus, qui satis laudis ei tribuant; alii contra, ut Seneca, ut Iuvenalis, censent in eo poetarum vim nullam fuisse. Cum his Martialis stat, existimator Arpinatis carminum acerrimus, qui iniquo animo illum *Apolline nullo* factitasse versus affirmant. Cuius opinioni non assentiendum; nam in fragmentis et in septuaginta versibus poematis de consulatu, qui manent, sententiae inveniuntur non ad poetarum modum tantum inventae, neque afflatu aliquo et concitatione penitus carentes, sed etiam iis verborum luminibus ornatae atque distinctae, ut bono poeta non indignae videantur. In longiore loco, qui ex poemate de consulatu superest, satis pulchre Ura-

Mart. II. Epig. 89.

niam in mulieris venustissimae formam conversam depingit eandemque nefasta signa in caelis ostendentem sibi interpretantemque inducit, quae, consulari anno exeunte, poetice evenisse confingit. Pervulgatus inter ceteros et factus iam tritum sermone proverbium versus est:

Cedant arma togae, concedat laurea laudi

quo civilem sapientiam pluris faciendam armis esse docet; nec non subobscurus alter, etsi tristitia plenus:

O fortunatam [natam] me consule Romam

in quo quasi inflammatio amoris in rempublicam, qua totam aetatem illum arsisse constat, et dulcissima iucunditatis significatio ex memoria rerum in eam a poeta bene actarum et gaudio nata, ita candide simpliciterque spirat, ut minus arroganter illa quam sincere et ad veri similitudinem dicta habeantur. Ceterum poetica Ciceronis facultas multis etiam in orationum exordiis, in perorationibus, praesertim in epilogis, nec non multis locis rhetoricorum librorum atque disputationum de sapientia, haud vulgaris ignobilisque atque summis poetis, ut in Scipionis somnio, quod est in libris de Republica, dignissima essa videtur.

XI. In numero poetarum, qui cum Cicerone fuerunt, illi in primis recensendi sunt, qui propter novam rerum inveniendarum exornandorumque carminum rationem, ex imitatione Alexandrinorum profecti, poetae novi appellati sunt. In his *P. Terentius Varro* fuit, qui cum in parvo Narbonensis provinciae vico, qui Ataci flumini adiacet, natus esset, Atacinum nomen habuit. Hic tamen, cum primum se in poeticam contulit, Ennium sibi auctorem sequendum proposuit. Ad huius exemplum igitur de bello, quod Caesar in Sequanos gesserat, poema confecit, quod « *Bellum Sequanicum* » inscribebatur, cuius Priscianus librum undecimum memorat. In satiricis carminibus quoque elaborasse ex Horatio colligimus,

Hieron. Chr. ad ann. 672.

Horat. I. Sat. 10. 46.

frustra tamen, ex huius sententia. Trigesimum quintum annum agens Graecas litteras cum didicisset, Apollonii Rhodii poema, quod de Argonautis confecerat, Latine versum inscripsit « *Argonautas* ». Huius versus duo hexametri manent:

Prop. III. Eleg. 34. 85.

Desierant latrare canes urbesque silebant:

Omnia noctis erant placida composta quiete

qui quidem perbelle reddunt Apollonii versus:

Οὐ δὲ κυνῶν ὑλακὴ ἔτ' ἀνὰ πτόλιν οὐ θρόος ἦεν
ἠχήεις · σιγὴ δὲ μελαινομένην ἔχεν ὄρφνην.

Apoll. III. 749.

XII. Ad genus carminum, quod didascalicum dicitur, spectabant poematia duo, quae post Argonautas partim a Graecis versa partim ab auctore composita fuisse censemus; primum de oceani inclinatione, de motibus aeris, de terrarum descriptione, quod tribus ex partibus ex Europa, Asia, Africa constans « *Chorographia* » inscribebatur, quodque Cn. Pompeio in Hispaniam cum imperio profecturo addixit; secundum « *Ephemeris* » de iis rebus, quae in aethere fiunt. In illo Alexandrum Ephesium, in hoc vero Aratum interpretatus esse videtur, qui de iisdem rebus eiusdem nominis carmina concinnaverant. In quibusdam Ephemeridis poematis versibus poetice animalium motus depingit, quibus ante tempestates caeli marisque animalia ipsa exagitantur, perinde ac si illas praesentiant et membrorum motibus portendant:

Non. de Propr. 2. 22.

Tum liceat pelagi volucres tardaeque paludis
Cernere inexpleto studio certare lavandi,
Et velut insolitum pinnis infundere rorem;
Aut arguta lacus circumvolitavit hirundo;
Et bos suspiciens caelum, mirabile visu,
Naribus aerium patulis decerpsit odorem;
Nec tenuis formica cavis non evehit ova,

quos versus alios ad verbum fere, vel paucis tantum immutatis Virgilius in Georgica transtulit. Permagni poetae Augusti

Virg. I. Gerg. 375 - 387.

aequales Atacinum fecerunt, nec non Seneca, qui illius versus *optimos* iudicavit. A quibus tamen Quintilianus aliquantum dissentit; nam hic: « *Atacinus Varro* » inquit « *in iis per quae nomen est assecutus interpres operis alieni, non spernendus quidem, verum ad augendam facultatem dicendi parum locuples* ». Atacini carmina, sive propter laudes, quibus a veteribus commendata sunt, sive propterea quod eorum auctor, ut aetate, ita etiam genere Virgilium proxime praecessit, multum nunc quoque a doctis hominibus desiderantur.

Senect. VII. Contr. 2. 28; Quint. X. Inst. 1. 87.

XIII. In genere autem poematum illorum, quae « μυθικά » appellantur, quaeque a tragicorum poetarum fabulis manasse novimus, multos annos *C. Helvium Cinnam* elaborasse traditum est. In Gallis Cisalpinis non antiquorum tantum scriptorum testimonio sed nominis etiam indicio — nam gens Helvia in titulis marmore insculptis Gallorum saepe recurrit — poetam natum esse certo comperimus; attamen qua urbe ortus sit, nondum inter eruditos viros satis liquet. Cum Catullo, cuius consuetudine familiariter usus est, Memmium in Bithyniam praetorem proficiscentem secutus est, indeque reversum, Romae domicilium collocasse censemus. Postero die, quam Caesar occisus est, multitudo in coniuratos concitata per errorem eum, quem Cornelium Cinnam crediderat, necavit eiusque caput hasta infixum per urbem in ludibrium circumtulit.

Suet. Caes. 85.

Catullus nobis auctor est illum in poemate conficiendo, quod « *Zmyrnam* » inscripsit, novem annos continuos impendisse. Ex huius exemplo tritam regulam illam « *nonum prematur in annum* » poetis ab Horatio graviter faceteque dictam esse nonnulli arbitrantur. Poematis fabula erat de Myrrha, Cinyrae Cypriorum regis filia, quae Veneris ira, incesto patris amore capta, imprudentis eius amplexu potita est. Facinore cognito, a patre ad necem quaesita, in Arabiam confugit, ibique in aborem conversa ex cortice scisso pulcherrimum illum Adonim peperit. Adeo obscurum poema

Horat. ad Pison. 388.

fuit, ut grammatici, qui in id explanandum insudaverunt, teste Filargirio, magnam gloriam consecuti sint. Duo eius exstant fragmenta, quorum primum duobus hexametris versibus constat:

Filarg. ad Virg. IX. Eclog. 35.

Te matutinus flentem conspexit Eous

Et flentem paullo vidit post Hesperus idem

secundum uno tantum versu circumscribitur:

At scelus incesto Zmyrnae crescebat in alvo

qui versus tamen obscuritate minime peccant, immo et ad sententiam apertissimi sunt, neque sine artificio factitati.

XIV. In eodem numero poetarum, qui res ex antiquissimis deorum fabulis deprompserunt, *C. Licinius Calvus* quoque fuit, oratoris clarissimi filius. Hic enim poematium «*De Ione*» venustissimae formae puella, composuit, cuius argumentum ex antiquis fabulis colligimus. Iuppiter igitur ut fama ferebat, Ionem vehementissime amavit, quam nube obducta fugientem moratus est, in qua abditam eam compressit. At Iuno cum insuetas tenebras conspexisset, viri fraudem suspicata, caliginem discussit. Hic puellam, quam sibi dono dari dea postulavit in Argi custodiam tradendam ne agnosceretur, in vaccam vertit. Iovis auxilio tamen in Aegyptum Io perfugit, ibique in pristinam formam cum rediisset, regi Osiridi nupsit. Aegyptiis ita cara fuit, ut post mortem dea habita sit. Maior tamen in carminibus lyricis fuisse videtur, quapropter de eo plura nobis dicenda in alium locum remittimus. Atque etiam *Catullus* et *M. Terentius Varro Reatinus*, ab Atacino probe distinguendus, in poetis epicis recensendi sunt, de quibus quoque alio loco pauca dicturi sumus, cum de illis ex professo nobis agendum erit. Cum his demum poetae alii fuerunt, qui cum ex doctrinis inventisque Graecorum carmina ad praecepta sapientiae hominibus tradenda

Pseud. Serv. ad Virg. IV. Eclog. 47.

confecerint, Graeco nomine didascalici appellandi sunt. In istis est *M Terentius Varro Reatinus*, vir in primis eruditus quem mox nominavi; *Egnatius* nullo alio nomine notus, qui « *De rerum natura* » poema composuit, *Cn. Sallustius* denique, cuius Cicero in epistula ad Quintum fratrem poema nominat « *Empedoclea* » inscriptum.

Quint. I. Inst. 4. 4. Macr. VI. Satur. 5. 12. Cic. II. ad Quint. fr. 11.

T. LUCRETIUS CARUS

XV. In maximas rerum asperitates temporumque discrimina, quibus cum honoribus et rerum gestarum gloria civitas tota floreret, turbulentissimorum hominum ambitione commota vehementissime est, T. Lucretius Carus incidit, poetarum non eorum tantum, qui cum eo vitam egerunt, carminum fama post mortem clarissimus, sed omnium in Latinis litteris ornatissimorum doctissimus. Quem, cum e civilibus fluctibus se in praeclara sapientiae studia recepisset, sperans ibi locum quietis et tranquillitatis sibi plenissimum fore, in medio vitae decursu ii casus privati secuti sunt eique talis laborum et anxietatum moles, ex illa ipsa vivendi ratione, quam ad beatitudinem perfruendam maxime opportunam esse duxerat, provenit ut, vel sui compos requiescendi initium cupiens, elatoque animo vitae irridens venenum obduxerit, quae in eum taeterrima fuerat, vel propter insaniam sibi mortem consciverit. Apud Hieronymum auctorem praecipuum, qui nonnullas unus de Lucretio notitias nobis tradit — nam oblivio apud ceteros scriptores eodem adversissimo fato, quo poeta vivens usus est, memoriam obruit — anno sexcentesimo quinquagesimo nono eum ortum esse legimus eundemque quadraginta quattuor annos natum, hoc est, subductis rationibus, anno septingentesimo tertio post conditam Urbem, propria se manu interfecisse. Est tamen de hac re scholastica inter temporum indagatores contro-

Hieron. Chr. ad ann. 659.

versia. Etenim nonnulli ex antiquo codice notam grammatici eruunt, quam Hieronymo opponunt: « *T. Lucretius poeta nascitur sub consulibus anni XXVII ante Virgilium* », ex qua, facta annorum dinumeratione, ortum poetam esse duobus annis ante inferunt, quam ille statuit. Non desunt denique qui Donatum tertiae opinionis testem in medium inducant haec in Virgilii vita obiter scribentem: « *Initia aetatis Cremonae [Virgilius] egit usque ad virilem togam, quam XV anno natali suo accepit, iisdem illis consulibus iterum duobus quibus erat natus, evenitque ut eo ipso die Lucretius poeta decederet* ». Ex cuius auctoritate natalem poetae diem nec non obitum duobus alteris annis ante remittendos esse putant. Quas opiniones, ut uno in conspectu inspici possint, eodem ordine, quo mox recensui, in hanc tabulam exigere iuvat:

Cod. Lat. Monac. n. 14429.

Don. Vit. Virg.

Hieron. nat. ann.		DCLIX	ann. obit.	DCCIII
Schol.	»	DCLVII	»	DCCI
Donat.	»	DCLV	»	DCXCIX

Donatus mihi in hac annorum quaestione potius sequendus esse videtur; nam Ciceronis exstat ad Quintum fratrem epistula anno septigentesimo post Urbem conditam scripta, in qua iudicium de Lucretii poemate profert, perinde ac si poeta iam mortuus sit.

Cic. II. ad Quint. fr. 9.

XVI. Quaedam etiam de Lucretii casibus eodem Hieronymi loco leguntur. « *Postea* » scribit « *amatorio poculo in furorem versus cum aliquot libros per intervalla insaniae conscripsisset, quos postea Cicero emendavit, propria se manu interfecit* ». Etiam notitias istas nonnulli ab homine Christianae religionis perstudioso in poetam iniuriose inventas esse censent, propterea quod impietatis crimine reum factum nullos deos esse docuisset. Equidem contra hos ineptam hanc causam et praestantissimo viro indignam puto, qui auctorem se nobis diligentissimum et veracissimum exhibeat. Quae

enim, ex Svetonio desumpta refert, ea a Statio quoque repetuntur: « *et docti furor arduus Lucretii* »: ceterum neque a similitudine veri absunt, neque a cogitationibus poetae aliena videntur. Philtra enim, propter multitudinis superstitionem, ad amores in animos hominum inducendos saepe a mulieribus adhibebantur. Id Ovidius testatur:

Stat. II. Silv. 7. 76.

Ovid. II. Ars. am. 105.

Nec data profuerint pallentia philtra puellis:
Philtra nocent animis, vimque furoris habent

atque etiam Iuvenalis in satira:

Iuv. VI. Sat. 609.

Hic magicos affert cantus, hic Thessala vendit
Philtra, quibus valeat mentem vexare mariti.

A Lucilia quadam poculum amatorium propinatum esse Lucretio ex epistula Valerii cuiusdam inepti scriptoris colligimus, quam Scaliger refert: « *Livia virum suum interfecit, quem nimis odit: Lucilia suum, quod nimis amavit. Illa sponte miscuit aconitum: haec decepta furorem propinavit pro amoris poculo* ».

XVII. Sunt autem in poemate loci nonnulli, in quibus reapse poeta sibi mortem et violentam quidem desiderare videtur, quam argumentandi genere illo, quod complexio appellatur, optabiliorem et in dolore necessariam his versibus esse concludit:

Lib. III. vers. 931. et segg.

Quid tibi tanto operest, mortalis, quod nimis aegris
Luctibus indulges? quid mortem congemis ac fles?
Nam si grata fuit tibi vita ante acta priorque,
Et non omnia pertusum congesta quasi in vas
Commoda perfluxere atque ingrata interiere:
Cur non ut plenus vitae conviva recedis,
Aequo animo carpis securam, stulte, quietem?
Sin ea quae fructus cumque es periere profusa,
Vitaque in offensast, cur amplius addere quaeris,
Rursum quod pereat male et ingratum occidat omne
Non potius vitae finem facis atque laboris?

Alibi etiam alia sunt pulcherrime dicta ad mortis timorem ab hominibus avertendum, ut illa quibus immiti animo atri Tartari fabulas refellit, vel tutum a dolore perfugium gratissimumque in suavi extinctionis somno solacium homines invenire posse demonstrat. Quaestiones alias et multas perpetuasque, quae de aliis Lucretii rebus saepissime fiunt, omitto ne longius ab huius libelli proposito digrediar.

XVIII. In tristi otio, in quod se Lucretius recepit, Graecorum sapientium inventa meditatus doctissimum poema « *De rerum natura* » composuit, sex libris constans, quod, cum eius studia mors immature ipso aetatis flore quaesita pervertisset, neque ad expletam partium convenientiam exactum, neque ad artem omnino limatum reliquit. Poema de obscuris rebus est, quas Epicurus contemplatione naturae primus invenit. In primo enim libro et secundo physica omnia pertractat, quae sensibus quidem hominum subiciuntur, sed ita a natura involuta sunt, ut eorum primordia nullo pacto percipi queant. Nullam rem e nihilo gigni posse, nullam in nihilum verti, quae in rerum natura sunt, ea in perpetuum permanere docet. Corpora particulis minimis, quae atomi appellantur, ex eius sententia constant, quae oculis sensibusque non subiciuntur. Ex illis, omnia quae in natura sunt, sidera, quae coelum distinguunt, terra universa, metalla, quae ex huius visceribus effodiuntur, aurum, ferrum, argentum, cetera conglobantur; ex illis arbores, flores, herbae proveniunt. Falsas deinde Heraclidis Empedoclisque et Anaxagorae de rerum causis sententias ostendit; quarum ille rerum universitatem igne tantum consistere docuerat; secundus quattuor elementis aeque in unum commixtis, aere videlicet, igne, aqua, terra constare; tertius denique omnia partibus congruentibus inter sese simillimis omnino componi contenderat. In postrema huius libri parte Lucretius de immensitate longitudinum mirabiliter disserit, in qua vis innumerabilium volitat atomorum. In libro secundo atomos aeternis motibus

Liber primus

Liber secundus

agitari cierique docet, itaque per spatia vacua sursum deorsum, ultro citroque vagare, ut, nullo sempiterni itineris fine statuto, modo in unum, modo in alterum corpus coeant et coalescant, modo scissae diruptaeque et vicissim consociatae iterum atque iterum vel in singulas disgregentur, quae ante compositionem erant, vel inter sese ad infinitam rerum omnium varietatem formandam conveniant et componantur. Ut autem varios atomorum motus citatissimos, sempiternos in diversasque partes decussatos esse credit, ita formas etiam illarum et figuras dissimiles esse cogitat, resque omnes, quae ex coagmentationibus nascuntur, nulla stabilitate praeditas, sed perenni mobilitati subiectas, ideo formari ut pereant, ita augeri, ut minuantur, ita consistere, ut mox in novas varientur. Neque colore aut sono distingui, sed formis tantum discriminari primordia rerum docet, ex quorum dissociatione vicissim res ab aliis diversae perpetuo citatissimoque motu procreentur.

Liber tertius

XIX. His physicorum inventis, quae ad inanimorum constitutionem spectant, poetice explicatis, mentis aciem animumque Lucretius in abstrusiores quaestiones defigit, quae de natura animi deque sentiendi intelligendique facultate a philosophis solent fieri. In tertio igitur poematis libro animum ab anima probe distinguendum esse contendit. Alteram enim ex epicureorum doctrinis vim quandam latentem et in toto corpore diffusam esse docet, qua vivimus, crescimus, senescimus; qua etiam illa, quae extra nos sunt, percipimus et sentimus; alterum contra, seu mentem rationis consiliique participem, in corde tantum residere, cuius ope, quid quaeque res sit, intelligimus et in nobis cogitatione depingimus. At animam, quam cum ceteris animalibus communem habemus, ita cum animo hominum proprio et singulari cohaerere et coniungi affirmat, ut unam eandemque naturam constituant, quamquam duobus ea nominibus vulgari verborum usu significantur. Visceribus utrumque inhaerere perspicuum

esse ostendit; nam corpus ad motum impellunt, e somno excitant, pallore et rubore suffundunt, ex quo, cum tangere et tangi, nisi corpus, nulla res potest, illa corpora esse concludit; eorumque neutrum divinitus nobis iniectum esse, neutrum a corpore diversum, neutrum aliud omnino ac corpus; ideo cum utrumque mortis corruptioni subiectum sit, animo elapso, nullum in corpore, nullum item in anima perdurare posse sensum docet:

. . haud nobis quicquam, qui non erimus tum,
Accidere omnino poterit sensumque movere,
Non si terra mari miscebitur et mare caelo. *ver. 838-840.*

Atque etiam paulo post communem ut opinionem refellat eorum, qui mortem iniquo animo ferunt, quod bonis omnibus et consanguineorum amore priventur, ita illos cum morituris quasi colloquentes inducit:

Iam iam non domus accipiet te laeta neu uxor
Optima, nec dulces occurrent oscula nati
Praeripere et tacita pectus dulcedine tangent.
Non poteris factis florentibus esse, tuisque
Praesidium. Misero misere, aiunt, omnia ademit
Una dies infesta tibi tot praemia vitae. *ver. 892-997.*

quos ut confutet, argumentum quam maxime idoneum affert

Illud in his rebus non addunt: nec tibi earum
Iam desiderium rerum super insidet ullum.
Quod bene si videant animo dictisque sequantur,
Dissoluant animi magno se angore metuque. *ver. 898-901.*

Quae omnia ea mente docet, ut in quarto libro, quod poematis caput est, homines timore temporum post hanc aetatem futurorum liberet. Naturam enim animi toto libro corpoream et mortalem esse ostendit. Quod quidem ut co- *Liber quartus*

piosissime probet, argumentationem non minus triginta argumentis constantem adhibet; quibus explicatis, in solacium hominum ne hilum quidem ad nos pertinere mortem infert.

XX. Quo rem suam plenius probet ad naturam imaginum illarum indagandam transit, quae idola dicuntur. Non ea praeter materiam mentis actu quodam e rebus erui credit, sed earum alia ita *summo de corpore rerum* manare, alia in *caelo, qui dicitur aer*, gigni, ut nihil aliud reapse sint, quam rerum ipsarum partes atomis constitutae, quae oculis aut menti hominum sua sponte obversentur. Ex istarum incursione homines non solum *ultra speculum* res ipsas vident, sed in intimo animi sinu eas cogitant et intelligunt. Eadem ratione etiam simulacra, quae appellantur, et umbrae mortuorum atomis constant, quorum utraque inanes et vacuae formae sunt, ad corporis effigiem ex atomis fictae; quae, ut e rebus nascuntur, ita una cum illis pereunt et evanescunt. Inde somnia, in quibus simulacra videmus, non divinitus in hominum mentes inici docet, quasi deorum nuntios, ex quibus res, quae futurae sint, divinari queant; neque mortuorum umbras, quae huc atque illuc per auras volitare et inferorum regna post mortem petere moltitudinis superstitione creduntur, quidpiam a corporibus ipsis diversum esse profitetur. Sensus etiam animi, qui dicuntur, et amorem in corpore tantum insidere eosdemque tamquam ministros et famulos voluptatis ex blandis sensuum illecebris nasci demonstrat.

XXI. Cum ergo quidquid est, corpore constet et atomis, mundum a deo e nihilo eductum et in ordinem, quem videmus, redactum exaedificatumque esse negat; eundemque repentina in posterum atomorum dissolutione indigne periturum esse in libro quinto vaticinatur:

Liber quintus

> *Una dies dabit exitio, multosque per annos*
> *Sustentata ruet moles et machina mundi.*

Lib. V. ver. 95-96.

Ex atomorum cuncursione non terram tantum et mare et

sidera nata, sed homines etiam credit, qui malis miseriisque undique oppressi, cum moerore et luctu vitam longe morte graviorem exigunt. Ea enim eos natura condicione creavit, ut rebus iis, quae ad vivendum necessariae sunt, vel penitus careant, vel nullo pacto nisi maximo labore comparare sibi possint. Homines tantum, ut cibum atque victum inveniant, glebas vomere vertere sarculisque ferreis scindere coguntur:

Et tamen interdum magno quaesita labore
Cum iam per terras frondent atque omnia florent,
Aut nimiis torret fervoribus aetherius sol
Aut subiti perimunt imbri gelidaeque pruinae,
Flabraque ventorum violento turbine vexant.

Lib. V. ver. 213-217.

Cur tandem, exclamat, tot tantaque mala? cur in tot calamitatibus homines versantur tantisque miseriis circumcluduntur? cur immatura saepe mors, contagia et morbos agens, ingentes eorum strages edit? His ut naturae damnis resistant, sui ipsorum pietate aliorumque misericordia homines commoti, inter se societatem coniunxerunt; inde, ad tristes animi sensus significandos sermo natus est, inde familiae, inde civitates et foedera, inde religiones et vana pietas in deos, quos malorum sibi timore effinxerunt; inde piacula, sacrificia, supplicationes, quae ad mala avertenda idonea esse creduntur; inde, frustra haes omnia experti, ex diuturnitate consuetudinis et doloris in desperationem prolapsi, arma homines capiunt, quibus alii alios, quasi malorum communium auctores, impie necant et perdunt. In ultimo libro, tamquam in epilogo quodam rei tristissimae, praecipua gravissimaque mala, quae genus hominum vexant, recenset, ut fulgura et tonitrua, quae homines tangunt, ut motus, quibus terra ex improviso concutitur, ut effrenatam ventorum vim, quae maria agitat et miscet, arborum robora evellit, urbes evertit, ut flammas, quae montium in verticibus ardent, liquentia saxa, quae inde erumpunt, quaeque illinc late defluentia

Liber sextu

terras, urbes, cultos agros incendiis vastant et populantur. Poema in obscuram morborum pestiferorum descriptionem desinit, quibus gravissime conflictantibus pernicioseque vexantibus, brevi tempore ad exitium civium omnium extremum fere Athenae redactae sunt.

Mira et expleta rerum abstrusarum pertractatio

XXII. Grave plenumque Lucretii poema est, reconditisque epicureorum inventis, quae ad rerum omnium naturam pertinent, non minus refertum quam gravibus nobilissimisque sententiis ornatum, quas ipse ex intimo animo exhaurit. Sapientium illorum effata non adumbrat modo, tamquam in tabula quadam sine coloribus, in qua lineamenta figurarum solum cernantur, neque cursim aut leviter attingit, sed ea disserendi copia, ubertate, subtilitate pertractat, ut nullo pacto aut illustrior aut plenior explicatio desideretur. Nihil, quod ad rem suam conducit, aut silentio praeterit, aut paucioribus absolvit verbis; omnia vi et incitatione orationis, quasi oratoris, docet probataque explanat. Neque ab indagandis obscurissimarum rerum causis aut egestas patrii sermonis, quam se sane novisse profitetur, eum distinet, aut rerum ipsarum dignitas prohibet. Ipsa argumenti subtilitas ita ingenium acuit, ut non verba ad sensus exprimendos opportuna tantum inveniat, sed sententias modo luminibus exornet et distinguat, modo, umbris quasi offusas, in tenebris occultet, modo vividioribus coloribus et luce collustret. Sunt enim in Lucretii poemate, velut in vermiculato emblemate, clara iuxta obscura posita, opaca nitidis, horrida laetis immixta. Ne quid autem perennis rerum abditarum expositio aut fastidii aut satietatis faciat, mirum in modum a proposito declinans, multifariam nexum variat et renovat. A philosophorum enim doctrinis in res minores devertit, easque in poematis contextu, velut embolia quaedam mirifica, inserit et includit, ut legentium mentes ratiocinationibus subtilibus defessas poetico melle erigat, et in itinere propter nimium solis ardorem sitientes lymphis ex puro fonte manantibus recreet atque reficiat.

Embolia mirifica et deverticula.

XXIII. Innumerabilia fere deverticula sunt, quibus, iter ab ordine rerum abstrusarum deflectens, contextum variat atque exornat. Exordium in primis, quo Venerem almam, cui adventanti *suavis daedala tellus summittit flores, rident aequora ponti, placatumque nitet diffuso lumine caelum,* suavissimis verbis precatur: Martem aliquando, in sinu suo tandem recumbantem devinctumque vulnere amoris, luctibus aestuantem placet, ut, quoniam *belli moenera* regit,

Lib. I. vers. 1-43.

Per maria ac terras omnis sopita quiescant

bella, placidaque Romanis pax reviviscat. Pulcherrimi quoque loci sunt illi duo, in quorum priore scelerosum Iphigeniae, virginis innocentis, sacrificium describit, quam pater ad deos iratos placandos impius immolat, in altero autem Phrygias catervas mutum Cybeles signum per urbem superstitiose circumferentes depingit. Variandis quoque rebus prospicit cum in descriptione rerum versatur: agrorum, qui post imbres herbis, floribus, frugibus virent; ventorum, qui naves obruunt, nubila verrunt, minaci murmure saeviunt; vitulae, quae loca circumspiciens fetum ante turicremas aras quaerit mactatum; rerum aliarum, quas ex imitatione naturae ad veri similitudinem exprimit. Aliis autem locis Epicurum et Empedoclem maximis laudibus cumulat, incredibili affectus eorum sapientiae admiratione, non minus quam animi, quod alter contra deos primus eorum timore liberatus metuque, oculos tollere ausus sit, ut e tantis religionis tenebris clarum lumen erueret, omnesque luce sua, aetherii instar solis, sapientes offuscaret; alter vero quod, quae divino pectore animoque repererat, ita apertis elatissimisque carminibus ad homines veri ignorantia laborantes unus elocutus sit,

I., 84-101; II., 598-641.

I., 250-264; I., 271-295; II., 352-366.

I., 62-79; III., 1-14 et 1040-1043; VI., 1-41; I., 716-733.

Ut vix humana videatur stirpe creatus.

Cum vero a subtilioribus philosophiae quaestionibus, quae ad naturam pertinent, ad praecepta de hominum moribus

tradenda se vertit, tum *laudis thyrso percussus avia Pieridum loca nullius ante trita sola peragrat.* Malorum omnium, quibus mortales vexantur, causam metum mortis esse contendit, quae ita illos terret, ut nullam puram liquidamque voluptatem permanere sinat. Ex mortis timore divitiarum et honorum cupido nascitur, quorum auxilio homines a vitae necessitatibus se subtrahere posse credunt; ex illo caedes et bella, quae bellis novis caedibusque civili cum sanguine accumulantur. Inde parentum, amicorum, consanguineorum proditiones et odia originem ducunt; ex eadem mortis formidine in multis vitae et lucis taedium oritur, quod homines impellit ad letum maerenti consciscendum pectore. Pulcherrimi etiam loci sunt, in quibus vel multa de illecebris amoris et amantium poenis Socratica dissimulandi ratione facete simul et vere disputat ; vel homines miseriorem infelicioremque quam cetera animantia, vitam in miserrimis saeculis agere docet; vel animo vehementissime angitur et cruciatur, quod hominum genus, ut se sordida rudique vivendi ratione liberaret, cum liberam in silvis beatamque atque omnibus legum vinculis solutam vitam ducere posset, in coetus et civitates se, nullo cogente, collegerit, neque porro aliud egerit nisi quod, iucunditate vitae sublata, sempiternam infelicitatem sibi stultissime adiunxerit. Poema, quod toto contextu gravissimum est et multis locis moestissimum, tristissime desinit. In extrema enim eius parte Lucretius pestilentiam describit quae Athenas depopulata est; etenim sicut in poematis exordio vitam ex amoris sensu nascentem vividioribus coloribus nolens quasi adulescens ignarus depingit, ita ne se ipsum neve alios inani bonorum expectatione decipiat, in postremis carminis versibus internecionem hominum sub oculos ponit, ut curriculum vitae nihil aliud esse quam properationem ad mortem et ad nihilum cursum ostendat.

XXIV. Inest triste nescio quid in poemate et quasi in versibus latet, ex quo infinitus moeroris et doloris sensus

percipitur, qui tamen minus fletum et miserationem movet, quam aequabili hominum sorte et communium contemplatione ipsa malorum delectat. Ita poeta modo solacium per immutabilia siderum spatia quaerens, nullis limitibus definita, cogitatione pererrat, ut infinitate ipsa et silentio gaudeat; modo de hominum condicione ita loquitur, ut propter coniunctionem animorum mortalium in dolore, quam Graeci « συμπάθειαν » vocant, quae ipse sentit et patitur, nos quoque sentire et pati cogat; modo nos ipsos secum, cum malis omnibus liberare contendit, in contentionem virium omnium trahit et excitat. Qui Lucretii carmina legit eadem perenni aegritudine tenetur ac ipse; eodem vitae taedio, angore cruciatur; eadem ratione mortem, ut solacium extremum et malorum finem, cupit et expectat.

Doloris sensus et vitae taedium.

Satis idoneam ad dolorem levandum Epicuri Empedoclisque sapientiam ratus, eam Romanorum primus ita interpretatus est, ut sine deformatione perfectus eorum discipulus evaserit. In poemate tamen spirat Lucretii mens; in eo vitam ipse immortalem producere posse sperat. Ob quam laudem carmen in primis egregium habetur. Quod si in rerum contextu et compositione maior partium convenientia et consensus non desideraretur, tantumque vitae tempus Lucretio suppeditasset, ut orationem et versus perpolire potuisset, nullum fortasse in litteris Latinis non gravitate tantum sententiarum et pondere, sed arte et verborum ornatibus, hoc praestantius fuisset poema. Nam multa in eo sunt quae vel redundant, vel saepe repetuntur, vel iterum recurrunt; item numeri ac versus nonnulli neque ad sonum undique expleti neque ad artem exacti reperiuntur. Dicendi genus admirabile quidem et facile ad exprimenda abstrusa philosophorum inventa; sed verbis nonnullis saepe vitiatur, quorum alia obsoleta et perantiquiora sunt, alia nova et a Graeco sermone deprompta, alia nimia licentia novata, alia ad eius voluntatem excusa, alia denique obscura. Parum tamen

Orationis genus

haec laudi Lucretii obstant, qua re a veteribus scriptoribus eum saepissime commendatum videmus. De iudicio, quod Cicero tulit, fit inter eruditos controversia; incerta enim est loci lectio: « *Lucretii poemata, ut scribis* » ad Quintum fratrem rescribit « *ita sunt multis luminibus ingenii, non multae tamen artis* ». Quibus verbis id quod et nos quoque hic notamus, notare Cicero voluisse videtur, hoc est poema propter immaturam Lucretii mortem non fuisse perfectum. Ex antiquis scriptoribus Ovidius et Quintilianus quam plurimum eum laudant: hic enim, poetarum omnium existimator acerrimus, elegantem in sua materia quamvis difficilem vocat; ille quosdam poematis versus de rerum natura ad sententiam suam explicandam ita adhibet, ut Lucretii carmina immortalia in posteritatem omnem futura esse praenunciet:

Cic. II. ad Quint. fr. 11.

Quint. X. Inst. 1. 87; Ovid. I. Amor. 15. 23.

Carmina sublimis tunc sunt peritura Lucreti,
Exitio terras cum dabit una dies.

D. LABERIUS ET P. SYRUS MIMOGRAPHI

XXV. Petulans ac lascivum fabularum genus, quod Graeca voce *mimus* nuncupatum est, quia ad movendum risum alienos mores imitatione exprimebat in scaena, tragicis comicisque fabulis magis magisque desidentibus, ad eam perfectionem et artem Ciceronis aetate pervenit, ut non multitudinis tantum favorem retinuerit, sed clarorum quoque virorum gratiam sibi conciliaverit. Quamobrem, cum superioribus saeculis infames improbisque moribus habiti essent, qui histrionicam artem exercuissent, hoc tempore contra tanto in honore esse coeperunt, ut eorum nonnulli ingentes divitias, honores, dignitates, sacerdotia sibi comparaverint. Ex his *Q. Roscius Lanuvinus* et *Aesopus* fuerunt, quorum prior usque eo excellentiae in histrionica arte pervenit, ut et de ea praecepta in libro traderet, in quo histrionicam eloquentiae

contulit atque comparavit; et Ciceronem in pronuntiatione gestuque exerceret; atque etiam quicumque in aliqua arte excelleret, is in suo genere *Roscius* diceretur; ideo eius ob mortem civitas universa dolore commota est. Aesopus autem, qui Ciceronis amicum fuisset constat, tantas opes cumulavit, ut filium ditissimum reliquerit. His aetate posteriores praestantes eadem in arte fuerunt *Bathyllus*, quem Maecenas dilexit; eiusque aemulus *Pylades*, cum quo, facile variantibus vulgi studiis, ille magna contentione certavit. Mimus igitur vetus, qui spectaculi novandi producendique causa, vel embolii instar fabularum partibus interiecti, vel ut exodium ad exhilarandos animos post illarum conclusionem prodire solebat, remotis actionibus ceteris, ut caput in scaenas invasit. Cum vero nulla ante Ciceronis aetatem fabula constitutione vel partium successione constaret, quarum aliae aptae et necessario connexae ex aliis penderent, neque in exitum cum illis congruentem concluderetur, postquam theatrum unus occupavit, ad formam mimus expletam atque ante definitam partium compositionem redigi et scriptitari est coeptus. Res, quae agebantur, communem hominum vitam, parvis veluti in tabulis vividioribus coloribus pictis, mimi ita exprimebant, ut festivitate et facetiis, iocis ludisque, obscenitatibus risum cachinnosque concitarent. Cum vero ex huius spectaculi consuetudine, partium actores, nulla persona visum tegerent, neque cothurnos aut soccos induerent, quod quidem insignius videbatur, *planipedes*, vel etiam *excalceati*, nuncupati sunt. Peculiari veste mimi ornabantur — tunicis ad imaginem illius sanniones nostrates hodie quoque interdum vestiuntur — quae, cum quadratis pannulis versiculoribus in unum sutis componeretur, *centunculum* dicta est. Mimae autem, mulierculae, puellae, quae feminarum personas suscipiebant, *ricinium* induebant togae virili simillimum angusto clavo purpureo praetextum.

Cic. I. de Nat. Deor. 28; II. de Orat. 57; pro Arch. 8.

Cic. IV. Tusc. 25; I. de Div. 37; Plin. IX. Nat. Hist. 35. 39; Tac. I. Ann. 54.

XXVI. In mimis conscribendis D. Laberius et P. Syrus

versati sunt, qui quidem etsi, ut delectarent, neque verbis, neque obscenis rebus sese abstinerent, actionem pulcherrimis multis gravissimisque sententiis ornaverunt, quibus vitia carperent, virtutem docerent, mores castigarent. D. Laberius igitur, eques Romanus, asperrimae libertatis mimographus fuit. Nam cum Lucilium in scaenis imitandum sibi constituisset, nulli civium ordini pepercit, immo verbis quemque insolentissimis adgressus est. Sexagenarius iam, ut Macrobius atque Suetonius referunt, a Caesare dictatore in scaenas prodire coactus est, ut mimos ipsemet ageret, quos scriptitare tantum consueverat. Quod cum senis equitis repugnare dignitati censeret, ut iniuriam sibi factam ulcisceretur statim, occasionem nanctus, simulans se servi cuiusdam in scaena partem agere, qui virgis se verberibusque domini irati eriperet, theatra suspicatus tecta significatione Caesarem mordens:

Macr. II. Satur. 7; Suet. Caesar. 39.

Porro, Quirites, libertatem perdidimus!

patienter et molliter exclamavit; et paulo post praeclarius:

Necesse est multos timeat quem multi timent!

dictatorem ipsum gravior contuens addidit. Post mimum actum nihilominus Caesar e vestigio in quartum decimum ordinem sessum eum ire iussit, ut inde honoris causa Syrum spectaret, qui mimum alium certatim erat acturus. In illo ordine multi sedebant — nam Caesar cives multos, quibus gratiam referret, quod secum in bello civili stetissent, in senatum legerat — qui ita se coartaverunt, ut senem venientem non acciperent. Cicero, qui aderat, in utramque rem iocatus Laberium transeuntem conspicatus: « *Recepissem te* » ait « *nisi anguste admodum sederem* »; quo cavillo Caesarem notavit, quod hominibus novis senatum replevisset. Tum Laberius non minus lepide iocans, vel ita sentiens, « *Mirum* » inquit « *si anguste sedes, qui soles duabus sellis sedere* »

Sen. II. de Ira 15.

perinde ac si eum levitatis insimularet, quod modo in unam modo in alteram civium partem inclinasset. Peracto spectaculo Caesar, versu ex improviso factitato

Favente tibi me, victus es, Laberi, a Syro

inquit, palmam deferendam esse Syro significans et dolorem per simulationem ostendens; nihilominus quingentis eum nummis aureoque anulo donavit.

XXVII. Mimorum titulos, qui Laberio ascribuntur, ad sexaginta novimus, ut « *Compitalia* » et « *Saturnalia* », qui diebus festis esse peractos indicant; ut etiam « *Aquae calidae* » et « *Lacus Avernus* », ex quibus eos publicis in balneis conventu hominum frequentatis editos inferimus; alii vero contra rem ipsam revelant, ut « *Piscator* » atque « *Salinator* »; ut « *Virgo* » et « *Hetaera* »; ut « *Nuptiae* » ut « *Sorores* » ut « *Gemelli* »; ut ceteri denique huiusmodi. Ex Laberii mimis multa fragmenta supersunt, quorum alia uno tantum, alia duobus vel tribus, alia denique multis versibus constant. Festivitate, lepore, humanitate, iocis, argutiis urbanis salibusque sententiae condiuntur; at etiam turpibus obscenisque rebus abundant. In proverbii consuetudinem venit illud satis argute dictum:

Ab alio expectes alteri quod feceris

et etiam quod acriter in mortuorum heredes reliquit:

Heredis fletus sub persona risus est

quamquam, de cunctis hominibus cum prolatum sit, praeter modum intemperans videtur. Nimiam Laberii licentiam novis in fingendis verbis Gellius notat, quorum in exemplum praeter alia « *mendicimonium* » affert « *moechimonium* » « *manuatus est* » quae ad arbitrium excusa, pro « *mendacitatem* » pro « *adulterium* » pro « *furatum est* » primus in litteris adhibuit.

Gell. XVI. Noct. Att. 7

XXVIII. Publius, praestantissimus mimographus alter, captivus ex Antiochia cum in Italiam venisset, unde *Syrus* appellatus est, libertateque donatus esset a domino, mimos in municipiis Italicis agere coepit. In ludicra arte tantam sibi laudem peperit, ut Romam a Caesare accitus, cum Laberio contenderit. Non minores numero mimos hunc scripsisse, quam illum, censemus, etsi duo tantum eorum tituli « *Mumurco* » atque « *Putatores* » traditi sunt. Supersunt sententiae multae et oppido lepidae, quae in communem sermonum usum commodumque ab erudito quodam collectae circumferuntur. Ex his aliquot sunt singulis versibus circumscriptae, quas, cum Publii animum redoleant, iuvat recensere :

Beneficium dando accepit, qui digno dedit.
Aliena nobis, nostra plus aliis placent.
Aut amat aut odit mulier, nihil est tertium.
Tam deest avaro quod habet, quam quod non habet.
Ita amicum habeas, posse ut fieri hunc inimicum putes.
Malum consilium est, quod mutari non potest.
Est vita miseris longa, felicibus brevis.
Veterem ferendo iniuriam, invitas novam.
Desunt luxuriae multa, avaritiae omnia.
Ab alio expectes alteri quod feceris.
Comes facundus in via pro vehiculo est.

Attamen nonnullas istarum translaticias credimus, nam verisimile est ascriptas interdum sententias Syro fuisse, quae aliis ex fontibus in proverbii consuetudinem provenissent.

Cic. VII. ad Fam. 11. 2; Prisc. II. Gramm. Lat. pag. 200.

Addi potest huc etiam mimographus tertius, *Valerius* nomine, de quo mentio est apud Ciceronem, qui eum *sodalem* suum appellat, cuius etiam a Prisciano titulus mimi unius

«*Phormio*» traditur. De hoc tamen nihil aliud adhuc nobis proditum invenimus apud ceteros antiquos grammaticos.

POETAE LYRICI MINORES

XVIX. Paulo ante Ciceronis aetatem genus carminum lyricorum, quod multos annos post Andronicum et Tegulam iacuit, gradatim ad perfectionem ascendere coepit. Hoc tempore enim, praeter Porcium Licinium, Lutatium Catulum, Quintum Attam, quos in libro superiore recensuimus, in epigrammatis condendis *Valerius Aedituus* versatus est, cuius versus non modo cum Latinis, verum etiam cum Graecis conferre solebat Iulianus rhetor et anteferre. Ex his duo exstant apud Gellium; unum molle quidem tenerumque ad puellam quandam Pamphilam nomine:

Dicere cum conor curam tibi, Pamphila, cordis
Quid mi abs te quaeram? Verba labris abeunt,
Per pectus miserum manat subito mihi sudor;
Sic tacitus, subidus, duplo ideo pereo.

alterum speciosa quadam verborum exaggeratione plenum ad Philerota, quem e nomine amoribus deditum esse liquet:

Quid faculam praefers Phileros, qua nil opus nobis?
Ibimus, hoc lucet pectore flamma satis.
Istam non potis est vis saeva extinguere venti,
Aut imber caelo candidus praecipitans.
At contra hunc ignem Veneris, ni sit Venus ipsa,
Nulla est quae possit vis alia opprimere.

Cum poetis his etiam *Furius Antias*, *Cn. Matius*, *Ninnius Crassus*, de quibus paulo supra locuti sumus, per occasionem carminibus lyricis operam dederunt.

XXX. In carmina vero lyrica se ex professo contulerunt poetae duo clarissimi *Laevius* et *Suevius*, quorum uterque non apud aequales tantum, verum etiam apud posteritatem multa nominis fama percrevit. Illius nomen ita ab amanuensibus corruptum est, ut modo Laevius aut Laelius aut Livius, modo etiam vel Naevius vel Nonius in codicibus antiquis legatur. Ceterum omnia de eo incerta sunt; nam ut dubium nomen est, ita etiam et familia et patria obscura; immo, indiciis omnibus fallentibus, ne aetas quidem, in quam incidit, pro certo adhuc statui potuit. Amores suos, quibus iuvenis arsit, versiculis variis commisit, quos « Ἐρωτοπαίγνια » hoc est amoris lusus inscripsit. Rem tamen non amoribus suis continuit; heroum quoque amores prosecutus est, quod ex fragmento colligimus a Prisciano alligatum :

Andromacha per ludum, manu
Lascivula ac tenellula
Capiti meo trepidans, libens
Insolita plexit munera.

Fuerintne igitur carmina omnia amoris lusus et nugae, an poematia longiuscula in ambitu unius rei contexta, affirmare aut negare non ausim, quamquam nonnulli ex librorum numero, qui sex fuere, fabulas et narrationes perenni nexu metrique similitudine expositas esse credunt. In re incerta, ut fieri solet, contra alii stant, quibus ratiocinationibus nescio, arbitrantes eum nulla argumenti perpetuitate esse usum. Hoc unum tamen constat et patet ex fragmentis oppido paucis, quae ad nostram memoriam venerunt, obscena atque turpia honestis praetulisse. Implicatum orationis genus, priscis obsoletisque verbis odiose ornatum, idemque novis vitiatum, adhibuisse ex Gellio comperimus, qui istorum multà recenset et notat. Grammaticorum ceterorum silentium Laevium esse assecutum famam rerum potius novitate et lascivia, quam carminum condendorum arte, nobis inferre suadet.

Cum eo Suevius fuit, quem virum fuisse longe doctissimum atque carmen composuisse ad genus illud pertinens Macrobius testatur, quod « εἰδύλλιον » appellatur, in quo domesticum quid et familiare descriptum rusticanis et poeticis fere coloribus depingitur. « *Moretum* » enim eius Macrobius nominat — a quo Virgilius carmen, si suum reapse est, quod cum ceteris eius certis plerumque circumferri solet, eodem nomine inscripsit — in quo horti cultorem moretum facientem satis pulchrum in modum repraesentavit.

Macr. III. Satur. 18. 11.

XXXI. Lyricis carminibus vero incrementa *Valerius Cato* maxima attulit qui, cum Sullae temporibus pupillus praediis paternis licentia spoliatus esset, Romam venit. Adulescentes nobili loco natos tanta diligentia et industria docuit, ut eius schola poetarum officina visa sit ipseque carminum suavitate, qua discipulos mulcere solitus esset, Siren appellatus. Unde de eo versiculi:

Cato grammaticus Latina Siren,
Qui solus legit ac facit poetas.

Suet. Gramm 11.

Alexandrinorum poetarum studiosissimus in Latinis prolissitatem reprehendebat. Suetonius nobis auctor est eum duo poematia lyrica composuisse, quorum alterum « *Lygidia* » alterum autem « *Diana* » inscribebatur. Nonnulli huic nostro etiam poema illud, quod inter Virgiliana « *Dirae* » inscribitur, tribuendum esse putant; in quibus Lilius Gyraldus, qui poema illud huius esse existimavit, quod de *Lygidia* in eo agatur et mentio fiat civilis belli, quo Cato ipse, ut ait Suetonius, patrimonio exutus est. Quod quidem ille ex notitia, quam hic tradit, certo inferri posse contendit; nam in Catonis vita, quam scripsit, libellum nominat, qui « *Indignatio* » inscribebatur. Superest Bibaculi epigramma ad Catonem missum lepidissimum et argutissimum:

Lil. Greg. Gyr. Poetac. Histor. dial. IV. p. 195.

Si quis forte mei domum Catonis,
Depictas minio assulas, et illos

Custodis videt hortulos Priapi,
Miratur quibus ille disciplinis
Tantam sit sapientiam assecutus,
Quem tres cauliculi, selibra farris,
Racemi duo tegula sub una
Ad summam prope nutriant senectam.

ex quo, ad extremam senectutem, postquam Tusculanam villam creditoribus cesserat, modico contentum gurgustio pauperem inopemque vixisse colligimus; et aliud etiam suavissimum superest, cuius etsi paulo supra sententiam tulimus, tamen hoc loco suis verbis referre mihi placet. Est autem hoc quoque de non inhonesta Catonis indigentia:

Catonis modo, Galle, Tusculanum
Tota creditor urbe venditabat.
Mirati sumus unicum magistrum,
Summum grammaticum, optimum poetam
Omnes solvere posse quaestiones,
Unum deficere expedire nomen:
En cor Zenodoti, en iecur Cratetis!

XXXII. Ex discipulis Valerii Catonis *Furius Bibaculus* igitur iste fuit, de quo plura poetas epicos recensentes diximus, atque etiam *Licinius Calvus*, de quo eodem loco locuti sumus. Hic tamen lyricorum carminum laude pluris valuit quam epicorum, longe pluris eloquentia. A Seneca et Ovidio ut poeta lyricus maxime probatur — hic enim eum cum Catullo componere non dubitat —; Propertius, de rebus suis loquens, haec de utroque notat:

Ovid. III. Am. 9. 61; Prop. II. Eleg. 25. 4; Senec. VII. Controv. 19. 7.

Ista meis fiet notissima forma libellis
Calve, tua venia: pace, Catulle, tua.

ille autem carmina eius licet iocosa, tamen ingentis animi plena esse scribit. Ex eodem Propertio Calvum novimus Quintiliam puellam adamasse, cuius immaturam mortem in

suis carminibus deflevisset. De eius oratoria facultate alio loco nobis dicendum erit. In umbraculis fortasse Valerii *C. Memmium*, *Ticidam*, *Cornificium*, *Cornificiam*, huius ipsius sororem, *Helvium Cinnam*, *Cornelium Nepotem* eruditos suspicamur, vel novam eos illius carminum condendorum rationem saltem esse secutos. C. Memmius Graecis quidem, ut nos Cicero docet, litteris perfectissimus fuit, fastidiosus tamen Latinarum, idemque orator argutus. Cum moribus esset probrosissimis, carmina amatoria ad lasciviam inflexit. Quod quidem etiam Ticidam fecisse patet ex versu, quem de utroque, ut se ipsum defenderet, Ovidius composuit:

Cic. Brut. 70. 247.

Rebus abest nomen, nominibusque pudor.

Ovid. II. Trist. 433.

XXXIII. Eodem quoque vitio Cornificius peccavit, quod Ovidius quoque notat; qui quidem Cornificius diversus ab illo esse videtur, cui, ut diximus, critici nonnulli rhetoricos libros ad Herennium ascribunt. Hic enim eius pater fuit, et iudex ita severus et integer, Cicerone teste, ut nullo pacto in lasciviam delapsum esse conici possit. Cornificia contra prima, ut videtur, apud Romanos poetria, a lascivis rebus se abstinuit; eam nam Hieronymus laudat, qui eius epigrammata insignia fuisse tradit. Helvius Cinna a Catullo, cuius amicitia usus est, in primis laudatur. Praeter poema mythicum, quod ante nominavimus, et epigrammata, « *Propempticon Pollionis* » etiam ab eo conscriptum fuisse memoratur, cum Pollio, iussu Antonii, adversus Parthinos, Dalmaticam gentem ferocem, Bruti causae faventem, anno septingentesimo decimo quarto ab Urbe condita cum imperio proficisceretur; quo carmine, ut ex fragmentis colligitur, ei fausta omnia nec non ingentem praedae opumque vim inauguratus est. Gellius eius memorat *poematia* — quae ut in ceterorum poetarum more tunc erat, iocosa eademque amatoria et lasciviora fuisse putamus — eumque neque indoctum neque ignobilem

Cic. II. in Verr. 10.

Hieron. Chr. ann. 713.

Gell. XIX. Noct. Att. 13. 5.

poetam appellat. Cornelius Nepos denique, de quo, ut rerum scriptore, paulo post locuturi sumus, leviora carmina atque nugas scripsit, quorum mentionem apud Plinium legimus.

C. VALERIUS CATULLUS

XXXIV. Inter poetas Ciceronis aequales lyricis in carminibus condendis C. Valerius Catullus tantum praestitit, ut, omnium eruditorum hominum consensu, lepidissimus in hoc genere ex Latinis habeatur. Sirmione, in *paeninsularum insularumque ocello,* quae Benaci lacus recingitur undis, in agro Veronensi, amplissimo genere, anno sexcentesimo septuagesimo post conditam Urbem natus est, cuius pater domi suae hospitio Caesarem proconsulem in Gallia Cisalpina accepisse credebatur, tametsi Catullus ipse aliquando in patris hospitem invectus est, ut ex nonnullis, qui exstant, versibus liquido patet. Vixdum adulescens sedecim annos natus, cum ex institutione ingenuorum puerorum versuum fundendorum artem didicisset, amores primos et lusus carminibus lyricis, epigrammatis, iambis committere coepit:

Hieron. Chr. ad. ann. 670.

Tempore quo primum vestis mihi tradita purast,
Iocundum cum aetas florida ver ageret,
Multa satis lusi: non est dea nescia nostri,
Quae dulcem curis miscet amaritiam.

Carm. 68. vers 15 et. segg.

Romam duodevicesimum annum agens venisse videtur, ubi in nobilium hominum coetus Cornelius, eius municeps, eum produxit; ex istorum familiaritate ad omnem usum civilemque vitae cultum vivendi mediocritatem provinciae deduxit. Hortensio, Cicerone, Rufo, eloquentiae principibus, nec non viris in poetica arte praestantibus familiariter esse usum et Valerium Catonem ipsum de litteris cum discipulis disputantem audivisse censemus In carminibus enim, quae post

hoc tempus composuit, Alexandrinorum poetarum studium deprehenditur, etsi versus ex variis animi motibus ortos per occasionem etiam tum scribere non intermiserit. Mollis ingenio idemque natura delicatus voluptatum deliciarumque cupidissimus, sexcentis amoribus indulgens rem domesticam a patre relictam luxu dispersam dissipavit.

XXXV. Cinaedos, ut in turpi hominum consuetudine erat, et meretriculas amavit; miro tamen diuturnoque Clodiae amore flagravit. Hanc, etsi dissimulato nomine, ne agnosceretur, suis in carminibus Lesbiam appellaverit, Metelli Celeris fuisse uxorem constat sororemque P. Clodii Pulchri, tribuni illius plebis turbulentissimi, eandemque feminam illam, cuius indolem et mores, cum pro Caelio causam diceret, Cicero detexit nudatosque nefariae turpitudinis nota eloquentiae igniculis inussit. Cum igitur amori primum amore respondisset, eo gaudio eaque voluptate Lesbia Catullum perfudit, ut eam unam in deliciis haberet, eique tantum viveret, in eam solam amores atque molliores animi sensus effunderet. At mulier, qua erat natura ad turpissima quaeque proclivi, amantem inconstans abiecit, curis et aegritudinibus amoris confecit. Odio in eam ardens invidiaque laborans, fratris mortem cum cognovisset, qui in ipso aetatis flore fato in Phrygia concesserat, ex Urbe digressus Veronam in villam se contulit, amoris et doloris morsum novis studiis leniorem fieri posse sperans. Ex Alexandrinorum poetarum imitatione poematiis conficiendis se tradidit. Frusta; vulnere confectus, quod ex dilectissimi fratris interitu acceperat, tumulum illius visurus, in Bithyniam cum Memmio propraetore contendit, redditisque honoribus, iter relegit, quo se itinere fessus in pulcherrimam villam reciperet, quam Sirmione reliquam ex paternis rebus habebat. Iterum animi agitatione impulsus ne in otio quidem adquiescente, Romam denuo cum venisset, pristinam vivendi rationem cum amicis iniit, ibique carminum gratia multis carus acceptusque, idemque maturitate et

Carm. 11, 18, 23, 24, 25, 48, 81, 99.

Carm. 5. 7. 51, 68.

Carm. 36, 38. 47, 58, 70, 72.

Carm; 101, 4, 31.

indole non minus quam spe et expectatione laudatus, triginta vix annos natus obiit.

XXXVI. Catulli carmina, quae ad centum sedecim extant, pro rerum artisque varietate in duo genera dividi solent. Etenim alia ita a Graecis poetis desumpsit, ut vel ea ad verbum fere expresserit, vel liberius ad ingenium suum accommodata conformaverit. Alia contra ex imo pectore hausit, in iisque per occasionem motus animi et sensus depinxit, qui in hominum vitae decurso ex variis eventibus nascuntur. Ad hoc genus levia carmina spectant, quae «*Nugas*» ipse appellare solitus erat, paucis plerumque versibus circumscripta. In his quidquid ipse in animo sentit, candide aperteque notat: nihil gaudii in se animadvertit, nihil aut doloris, aut laetitiae, aut moeroris experitur, irae, odii, anxietatis nihil, quod sua sponte versibus non committat. Voluptatibus vehementer ardens, modo serenanti quadam spe amoris erigitur, nunc autem rerum desperatione meliorum deicitur. Nihil ipse in amoribus constans, amicam eandem nunc blandissimis verbis sibi conciliat, nunc, cum levem volubilemque deprehenderit, maledictis perstringit, cruciat et vexat; eiusdem desiderio flagrat et odio succenditur; si irascitur, hendecasillabos congregat convocatosque in perfidam conicit;

Varii animi sensus, quibus Catullus concitatur.

Adeste, hendecasyllabi, quot estis
Omnes undique, quotquot estis omnes.

Carm. XLII. vers. 1..2.

At in carminibus, in quibus Lesbiam celebrat, venustatis nescio quid inest, leporis, verecundiae. Cum enim in eius amore est, iucunditate divina perfunditur; fit muliebriter ita mitior, ut a Sappho poetria suavitatem gaudeat mutuari:

Carmina ad Lesbiam

Ille mi par esse deo videtur,
Ille, si fas est, superare divos,
Qui sedens adversus identidem te
Spectat et audit

Dulce ridentem, misero quod omnis
Eripit sensus mihi: nam simul te,
Lesbia, aspexi, nihil est super mi
[Spiritus ore:]

Lingua sed torpet, tenuis sub artus
Flamma demanat, sonitu suopte
Tintinnant aures, gemina teguntur
Lumina nocte.

Carm. LI. vers. 1.-12.

Qua amantis animi beatitudine, caelesti fere deorum vitae simillima, etiam si a Lesbia voluptatem quaerat et capiat, ita perfruitur, ita infinito gaudio satiatur, ut nihil potius habeat, nihil aliud cupiat aut expectet, quam omnium oblitus, dum erit in terris, in deliciis et beate et feliciter in amore usque vivat. Ex qua molliter delicateque vivendi cupiditate delenitus, in versus illos liquidissimos fertur, qui insatiabile voluptatis desiderium et sitim, quibus ipse ardet et cruciatur, neque occultant neque simulant:

Vivamus, mea Lesbia, atque amemus
Rumoresque senum severiorum
Omnes unius aestimemus assis.
Soles occidere et redire possunt:
Nobis cum semel occidit brevis lux,
Nox est perpetua una dormienda.
Da mi basia mille, deinde centum,
Dein mille altera, deinde secunda centum,
Dein usque altera mille, deinde centum,
Dein, cum milia multa fecerimus,
Conturbabimus illa, ne sciamus,
Aut ne quis malus invidere possit,
Cum tantum sciat esse basiorum.

Carm. V.

Omnia puellae adamatae Catullum movent, omnia conturbant; sensibus et gaudii et doloris exsultat et opprimitur

iisdem, quibus illam affici videt. Quo enim animo est et molli et a natura bene conformato, variis intimisque sensibus, iucunditate et laetitia in prosperis rebus, dolore et pietate in adversis, vehementer afficitur. Cum Lesbia ridente ridet et gaudet, cum eadem dolore turbata tristissime moeret et luget. Incredibili verborum lepore atque gratia res parvas illustrat, si connexione aliqua in mentem amicae imaginem excitant. Insignia sunt in hoc genere carmina duo, paucis versibus circumscripta, in quorum uno passeris sorti invidet, cui cum puella ludere datum sit, et in sinu assidenti carum nescio quid libeat iocari; in altero eiusdem mortem dolet et tristissima suavissimaque laudatione eundem morte surreptum fletu prosequitur et lacrimis.

Carmina agrestia

XXXVII. Carminibus aliis tranquilla ruris otia canere gaudet. Igniculis enim amoris inustus, vel diuturna corporis voluptate defessus, cum tristis gratam ruris beatitudinem repetat, silvas virentes easdem revisens, flumina, rivos, lacus, cacumina montium, quae puer primum conspexit, erigitur animo et, tristitia discussa, infinito prope gaudio exhilaratur:

Miser Catulle, desinas ineptire,
Et quod vides perisse perditum ducas.
Fulsere quondam candidi tibi soles,
Cum ventitabas quo puella ducebat
Amata nobis quantum amabitur nulla.

Carm. VIII. vers. 1-5.

Ex hac rerum contemplatione suavissima carmina nata sunt, in quibus amoenitatem Sirmionis salutat undasque Benaci lacus serenanti luce suffusas sub lenibus ventorum afflatibus, tamquam in tabula nitentes variis coloribus depingit:

Peninsularum Sirmio, insularumque
Ocelle, quascumque in liquentibus stagnis
Marique vasto fert uterque Neptunus,
Quam te libenter quamque laetus inviso,

Vix mi ipse credens Thyniam atque Bithynos
Liquisse campos et videre te in tuto.
. . . .
Salve, o venusta Sirmio, atque ero gaude,
Gaudete vosque, o Lydiae lacus undae :
Ridete, quidquid est domi cachinnorum.

Carm. XXXI. vers. 1-6 et 12-14.

In carmine alio phaselum, quasi sui ipsius tristem et beatae ante actae vitae atque, ut nunc est, imaginem mirans, tempora recordatione repetit feliciora, quae in aeternum periere :

Sed haec prius fuere : nunc recondita
Senet quiete seque dedicat tibi
Gemelle Castor et gemelle Castoris.

Carm. IV. ver. 25-28.

Convivia et lusus cum amicis in aliis describit; sermonibus eorum atque sensibus familiariter usus, modo nugatorios versiculos fundens illudit, nunc per iocum et vinum mutua lepidissime reddit amicis; modo seipsum, tum convivas carpit et mordet, tum autem ab istis vicissim mordetur et carpitur :

Cenabis bene, mi Fabulle, apud me
Paucis, si tibi di favent, diebus,
Si tecum attuleris bonam atque magnam
Cenam, non sine candida puella
Et vino et sale et omnibus cachinnis.

Carm. XIII. vers. 1-5.

Hac praesertim facultate, qua infinitam naturae iucunditatem in se apprime persentit, non Graecis profecto modo poetis, ut Sappho, ut Alcaeo, propius accedit, sed recentiores etiam et patrum nostrorum memoriae poetas antevertit, qui contemplatione rerum, quibus convenientia et consensus mundi consistit, agrestem vitam agentes, aegritudinem animi atque maerorem ex pectore depellere et levare soliti erant.

XXXVIII. Ad genus aliud carminum, quod ex Graecis deprompsit, poemata tria pertinent, quae uno nomine epi-

Epithalamia

thalamia dicuntur. Nuptialia carmina haec sunt, nam in connubiorum celebritatibus continebantur. Primum, in nuptiis Manlii Torquati cum Iunia scriptum, ad speciem epithalamiorum spectat, quae ad prospera omnia viro virginique ominanda vesperi, cum sponsi cubitum irent, ad mediam noctem, respondentibus pueris puellisque vicissim, clara voce concinebantur. Secundum, quod intercisum et lacunosum manet, in numero illorum recensendum est, quae primo diluculo ante tempus surgendi pro thalami foribus cani consueverant, qua de causa «ὄρθρια» vocabantur. Tertium est mythicum, Pelei nam et Thetidis nuptiae in eo satis amplo quadringentorum octo versuum ambitu celebratur. In media re exornandi causa ad fabulam Thesei narrandam devertit, qui, Minervae iussu, Ariadnem in Dionysii templo reliquit. Quae fabula, tametsi necessario satius producatur, cum epithalamium ad molle quoddam et quasi tenerum inflectat componatque festivitatem simul et dolorem, verecundiam simul et gaudia, quae puellis in nubentibus deprehendi plerumque solent, cum verborum lumina distinguatur, pictura quasi loquens nuptiarum habetur. Versus enim pro varietate sententiarum modo graves sunt, modo leves, modo inconditi, modo limati adeo ut, ad reddendos varios animi motus, flectantur et mirum in modum accommodentur. Propter laudes istas exemplar perfectissimum in hoc genere tum venustatis, tum leporis orationis, tum etiam mollitiae, quibus nihil suavius inveniri potest, a doctis hominibus, sive qui patrum memoria fuere, sive qui nunc sunt, carmen habetur.

Poematia ex fabulis Alexandrinorum poetarum deprompta

XXXIX. Ex imitatione vero Graecorum duo alia poematia nata sunt, quorum primum «*Coma Berenices*» inscribitur, secundum «*Attis*». Illud ex Callimachi poemate ad verbum fere elegis vertit, cuius argumentum in pulcherrimis antiquorum populorum fabulis habetur. Berenice, Cyrenarum regina, venustissimam comam, qua nulla umquam, cum incredibili copia capillorum, tum flavo inauratoque eorum

colore, praestantior fuerat, Veneri dono hac condicione promiserat, ut eius ope ex Asia Ptolemaeus rex in patriam incolumis rediret. Cum res ex sententia evenisset, regina comam recisam, ut voverat, deae dicavit. At cum post aliquot dies haec, neque in templo, neque alibi, ubicumque quaesita fuerat, esset inventa, eamque vidisse negavissent quicumque de ea rogati essent, mathematicus quidam, astrologiae peritus, tandem eam inter caelestia sidera positam esse significavit eamque immutatam esse in illam caeli figuram, septem stellis distinctam, ostendit, quam etiam nunc ignitam Berenices comam appellamus.

Alterum poematium fabulam Attidis enarrat, qui mollis formae eximiae puer a Cybele deorum matre vehementissime amatur. Quam ut fugiat, in nemus Phrygium deae sacrum iturus, ratem conscendit, ibique ex deae sacerdotum more, acuto genitalia sibi silice abscidit. In feminae inde formam conversus furoreque correptus, niveis furens capit manibus leve tympanum, tremebundusque per nemora cum caterva comitum saltat tripudia. Ignobilis vitae eum tamen statim pertaedet, meditatusque fugam, si in patriam redire possit, litora petit. At Cybele, cognito Attidis consilio, leonem in eum stimulatum impellit, cuius visu puer demens iterum in nemora pavidus refugit, reliquam vitam miserrimam in feram indigne versus acturus.

Orationis ornatus et lepores

XL. In carminibus, quae per occasionem et nullo fere argumento sibi ante proposito, pro variis animi perturbationibus in dies composuit, id genus orationis adhibuit, quod et levibus aptissime responderet rebus et a communi consuetudine non abhorreret. Simplicibus enim verbis et propriis et usitatissimis usus est, sub quibus tamen summam artem et elegantiam et venustatem celavit. Qua ex parte, non minus quam dissimilitudine sententiarum a Lucretio, quocum aequalis aevo fuit, quam plurimum distat. Hic enim, cum abstrusa et peregrina philosophorum inventa carminibus

suis esset prosecutus, ut dignitatem illorum gravitatemque consequeretur, verbis Latinis idoneis ad illa exprimenda fallentibus, vocabulis dictionibusque Graecis sermonem patrium inquinavit. Catullus contra, cum in exprimendis intimis animi motibus universo hominum generi communibus versatus esset, orationem illam adhibuit, quae in cotidiano usu et consuetudine erat. Meliorem tamen eam fecit et propter poetica lumina, quibus distinxit, ad poetarum lyricorum artem mirum in modum accommodavit. Hac de causa a verbis antiquis obsoletisque abhorruit, si formas quasdam excipias, quae ne Augusti quidem aetate desueverunt. Gratiam, leporem, venustatem orationis in blandis appellationibus, mollibus, delicatis invenit. Ita « *ocellos* » diminute pro « *oculos* » dixit; pro « *turgidos* » vero «*turgidulos*»; pro «*tenebrosum*» item « *tenebricosum* » ; pro « *venustum* » item « *venustulum* » ; «*flosculum*» demum pro «*florem*»; quae verborum minutiones quantum rebus levibus elegantiae afferant, quantum novis coloribus humillimas illustrent, nemo est qui non videat. At cum in aemulos aut in puellas invehitur, acerrimus factus, neque asperrimis, neque petulantibus, neque obscenis verbis se abstinet. Nihil tam fluens, nihil tam facile currens, quam illius comprehensio verborum ; nihil tam purum, quam eius emendata et latina locutio. Numeri ipsi, modo brevitate pedum, modo proceritate, vel tardius, vel liquidius ad sensuum et sententiae celeritatem fluunt. Versus in carminibus varios quos adhibet, non omnes a Graecis primus desumpsit; genera tamen carminum, quae Sapphica et Asclepiadea dicuntur, vel primum ab eo importata, vel frequentata videntur. Artis suae sibi satis conscius, cum carmina per occasionem composita colligeret, hos in libro versus inscripsit:

Quoi dono lepidum novum libellum
Arida modo pumice expolitum ?

Eademque carmina ad artem et rationem omnem limata et

perpolita ad Cornelium Nepotem cum mitteret a Musa precatus est, ut et immortalitati et posterorum famae committeret: *Carm. I. vers. 1-2 et 8-10.*

Quare habe tibi, quidquid hoc libelli est,
Qualecumque: quod, o patrona Virgo,
Plus uno maneat perenne saeclo!

Neque eum spes fefellit; etenim, etsi Quintilianus eum ignoravit fere, non eum nos nunc unum e multis poetis, sed singularem eundemque venustissimum et politissimum habemus. *Quint. X. Inst. I. 96.*

SATIRAE MENIPPEAE

XLI. Alterum satirae genus, mordacissimum quidem et multum ab illo, quod Lucilium primus invenit, cum dicendi genere, tum etiam rerum contextu diversum, M. Terentius Varro Reatinus coluit. Vir enim hic, quo, ex Dionysii Halicarnassei sententia, nemo unquam doctior, neque apud Graecos, neque apud Latinos vixit, praeter bibliothecam voluminum, quibus antiquitatis notitiam omnem commisit; satiras scripsit. Nunc tamen eius in poeticam studium, quod ad hanc operis partem pertinet, tantum videamus, alium in locum cetera, tum de eius vita, tum de reliquis scriptis remittentes. A satirarum igitur condendarum ratione, quam Lucilius secutus erat, cum discedere constituisset, Menippum, philosophum cynicum illum, sibi imitandum proposuit, quem epistulas, nenias, testamenta, alia huiusmodi iocandi ridendique causa scripsisse novimus. Huius rei autem testem Varronem ipsum produco, qui «*in illis veteribus nostris*» apud Ciceronem ait «*Menippum imitati, non interpretati*» sumus; hanc ob causam cynicas satiras aceto et sale conspersas «*Menippeas*» appellavit. Quas ita conformavit, ut in una eademque, non versus et numeris et modis quam maxime diversos tantum commisceret, sed cum versibus orationem quoque solutam *Cic. I. Acad. 2.*

simul componeret; ex quo genus novum confecit, quo nemo ante illum usus erat. Satiras in centum quinquaginta libros distribuit, quorum singulis pro varietate rerum singulos titulos imposuit. Insigne hoc praestantissimi viri documentum, praeter pauca admodum fragmenta, quae ex grammaticorum notationibus eruta supersunt, lapsu saeculorum ex integro intercidit. Multos tamen satirarum titulos novimus, ex quibus, quae ipsarum materies fuerit, facile conici potest. Attamen, ne tabulam nudam conficere, aut longius a proposito digredi videamur, eorum hoc loco nonnullos tantum referemus.

XLII. Menippearum satirarum tituli novi sunt et iocosi ex duorum verborum compositione a Varrone facete formati, vel a proverbiis aut abs Graecorum dictionibus deprompti. In illis et « *Bimarcus* » et « *Marcipor* » et « *Marcopolis* » sunt, quos sui ipsius nominis cum verbis aliis coniunctione excudit; his in satiris primarias partes se ipse iocose sustinentem induxit. Bimarcus enim idem sonat ac bis Marcus, Marcipor autem Marci puer seu servus, Marcopolis denique id idem ac Marci urbs. In istis « *Sesculisses* » et « *Oedipothyestes* » et « *Aiax stramenticius* » quoque sunt, quorum primus callidiorem, praeter consuetudinem Ulixis, hominem indicat, secundus vero poetam tragicum truculentiorem, qui atrocitates Oedipi et Thyestae in eodem viro composuerat, tertius vel eundem, vel etiam alium ineptissimum, qui Aiacem heroem vili e stramine fortissimum fecerat. Tituli alii Graecis dictionibus circumscribuntur; ut « Δὶς παῖδες οἱ γέροντες »; ut « Σκιαμαχία » hoc est pugna umbrarum; ut illud notissimum dictum « Γνῶθι σεαυτόν »; ut « Ταφῇ Μενίππου » ; alii denique Romanorum proverbiis vel facete dictis constant, in quibus « *Cave canem* » « *Cras credo hodie nihil* » « *Longe fugit qui suos fugit* » « *Di facientes adiuvant* » « *Mulum muli scabunt* » aliique, qui tempora sua Varronem momordisse indicant.

XLIII. Titulus alius verborum geminatione continetur ad numerum quasi concludentium « *Papia papae* » videlicet,

quem ex interiectione *papae*, quae mirando acriter exprobat, et nomine legis illius, quae a latore ferente *Papia* dicta est, coagmentatum esse censeo. Humanitatis enim sensu commotus, legem illam eiusque latorem ridere mea quidem sententia voluit, quasi peregrinorum terriculum, ex qua isti Urbe egredi iubebantur. In hanc vero opinionem me Cicero trahit, qui cum familiarissimus Varronis esset, male legem odiosissimam accepit: «*Nihil*» enim ille ait «*quod crudele utile; est enim hominum naturae, quam sequi debemus, maxime inimica crudelitas. Male etiam qui peregrinos urbibus uti prohibent eosque exterminant, ut Pennus apud patres nostros, Papius nuper*». Ex eodem miserationis motu provenit satira quoque, quae «*Sardi venales*» inscribebatur. Hanc multis de causis, quas silentio praetereo, ne rem meam longius producam, in M. Tigellium Hermogenem, tibicinem et cantorem celebratissimum eundemque Sardum natione, scriptam fuisse suspicor. In satira quae «Τρικάρανος» inscribebatur, Pompeium, Crassum, Caesarem, qui, triumviratu condito, omnia in Urbe ad arbitrium administrari sibi fas esse crediderant, aperta significatione in causam appellavit. In fragmentis satirarum, quae ad quingenta amplius exstant, sententiae de moribus continentur, quae brevitate quidem carent et vi; at Catonianis moribus haec illum praeditum fuisse et in severitate ipsa versus graves et acres festivitate, facetiis, iocis, lepore, gratia condivisse facile ostendunt.

Cic. III. de Off. 11.

Appian. II. Bell. Civ. 9.

Conf. Cic. XIII. ad Att. 49; VII. ad Fam. 24.

RERUM SCRIPTORES CICERONIS MEMORIAE

XLIV. Orationis genus, quod in tabulis et commentariis rerum gestarum breve et exile erat, ampliorem comprehensionem et ambitum verborum illum plenum, quam Graeci «περίοδον» appellant, a primis scriptoribus habuit, qui historiis in conscribendis Ciceronis aetate novam narrandi artem et rationem adhibere coeperunt. Qui cum in exquirendas

dignoscendasque innumerabilium eventuum causas mentem animumque defixissent, quae licet variae sint multiplici nexuum consociatione coniunguntur, abundantiores verbis uberioresque esse coeperunt; quibus in copulandis coagmentandisque inter se ad circuitum atque quasi orbem verborum sermonem conformaverunt. Magnam ex infinita quasi varietate rerum, quae domi militiaeque factae sunt, Ciceronis aetas scriptorum clarissimorum copiam protulit. Etenim eodem fere tempore praeter minores, C. Iulius Caesar, A. Hirtius, Cornelius Nepos, C. Sallustius Crispus, M. Terentius Varro floruerunt, qui non in notandis tantum temporum ordinibus quantum in inspiciendis causarum nexibus diligenter versati, fabulis relictis, ad fidem et auctoritatem historiae rerum gestarum narrationes revocaverunt.

XLV. In minoribus rerum scriptoribus *L. Cornelius Sulla* recensendus est, vir, ut constat, tum militaribus tum civilibus muneribus in republica praestantissimus; cui, cum bella in Romanorum hostes illata bene confecisset, cum Mario de principatu acerrime contendendum fuit. Dictatura, quam armis et sanguine civium assecutus erat, cum se post duo annos abdicavisset, in qua gerenda multis legibus reipublicae statum firmaverat, nullo impellente suaque sponte, se Puteolos in villam suam recepit, ibique ante actam vitam recolens « *Commentarios rerum gestarum* » scribere instituit. At foedissimo, ut traditum est, morbo correptus, cum inexpletos illos reliquisset, Epicadus quidam, eius libertus, ad finem post domini mortem perduxit. Commentariorum istorum pauca fragmenta ad memoriam nostram pervenerunt, valdeque doctos homines dolet insigne hoc temporum turbulentissimorum documentum a praecipuo rerum gestarum actore relictum, saeculis infestis, intercidisse.

XLVI. Aequales *Cornelius Sisenna* et *Licinius Macer* eius fuerunt. Ille, qui oratoria quoque laude clarissimus fuit — *patronum propemodum diligentissimum* eum Cicero

appellat — unum et viginti libros de rebus ad historiam pertinentibus composuit, quos saepe in suis alligat Livius; alios de rebus naturalibus, quos nominat Plinius. Licinius Macer vero bellum sociale et civile tribus libris narravit, quibus epitomen rerum gestarum omnium ab Urbis incunabulis ad tempora sua praemisit. Cicero hunc « *doctum virum et studiis optimis deditum* » fuisse tradit, cuius « *omnis facultas* » addit « *ex historia perspici potest, quae facile omnes vincit superiores* ». Oratorem tamen inconditum et loquacem eum appellat. Macer, ut videtur, primus orationis genere antiquis obsoletisque verbis referto usus est, quod postea ad eius exemplum Sallustius quoque in scripturis suis adhibuit. Violentas sibi Macrum manus intulisse memoriae proditum est. Nam, ut apud Valerium Maximum invenimus, cum repetundarum reus a Cicerone post praeturam esset factus, dum sententiae dirimerentur, in moenianum conscendit et sudario, quod forte in manu habebat, ore et faucibus suis cohartatis, incluso spiritu, voluntaria morte se poena liberavit.

Cic. Brut. 67. 238; Macr. I Satur. 10. 17; Plin. Hist. Nat. in elench.

Cic. Brut. 64. 228.

Val. Max. IX. Mem. 12. 7.

XLXII. Omnem rerum gestarum memoriam ex veteribus annalibus ad tempora sua *Q. Valerius Antias* replicavit, cuius historiam septuaginta libris constantem *invenuste* scriptam esse Cornelius Fronto nos in epistula ad Verum docet. Notitias vero nimio mirationis concitandae studio ad incredibilitatem exaggerasse ex Livio novimus, qui caesorum et captorum in pugnis militum numerum ab eo auctum esse non uno vel altero, sed multis locis notat. In historiis scribendis etiam *Q. Claudius Quadrigarius* versatus est, qui *lepide* — ut apud Frontonem legimus — Romanorum res, a Gallico incendio ad suam aetatem narratione continua prosecutus, viginti tribus libris commisit. *Q. Hortensius Hortalus* idem fecit, orator clarissimus, Ciceronis familiaris, nec non *T. Ampius Balbus*, qui, bello civili acerrime aestuante, Pompei partes secutus est. Fuit vero hic Ciceroni carissimus, qui in epistula ad eundem haec inter alia de eo habet:

« *Deinde cum studium tuum consumas in virorum fortium factis memoriae prodendis, considerare debes nihil tibi esse committendum quam ob rem eorum, quos laudas, te non simillimum praebeas* ». De bello autem civili, quod inter Pompeium et Caesarem exarsit, libros ab *Asinio Pollione* multos scriptos esse Valerius Maximus testatur, quos etiam Seneca memorat, additque rem suam hunc ita dilatasse ut, quos sibi proposuerat fines praetergressus, integram virorum illorum memoriam pertractaverit.

Cic. VI. ad Fam. 12. 5.

Val. Max. VIII. Mem. 13. 4; nec. Suas. 2.

XLVIII. *T. Pomponius Atticus* demum Romanorum et Graecorum historiam sub uno aspectu positam in breviario quodam, quod « *Liber annalis* » inscribebatur, brevi pressaque narratione prosecutus est. Vir enim hic, omnium aequalium longe ditissimus, cum a publicis negotiis natura ingenioque alienissimus esset, is librorum amator evasit, ut impensis suis bibliothecam collegerit. Multa autem librorum lectione acutus diligensque antiquitatis investigator factus, cum monumenta rerum multarum ad Romanorum et Graecorum historiam pertinentia inter sese contulisset, novam hanc rerum narrandarum rationem invenit, ut utriusque populi simul facta per annos composita eodem ordine explicaverit. In notandis autem magistratuum nominibus, qui bella gesserant, aut leges tulerant, aut foedera icerant. illorum origines ab antiquitate ultima repetens, tabulas clarissimarum familiarum descripsit. De Ciceronis consulatu librum Graece composuit — sermone enim Graeco et scribens et loquens ita utebatur ut, ac si Athenis natus esset, *Atticus* appellatus sit — de quo libro Cicero ad Pomponium ipsum rescribens iudicium in re sua urbanissimum profert : « *Quamquam* » ait « *tua illa — legi enim libenter — horridula mihi atque incompta visa sunt, sed tamen erant ornata hoc ipso, quod ornamentum neglexerant, et, ut mulieres, ideo bene olere, quia nihil olebant, videbantur. Meus autem liber* » — de libro suo loquitur, qui item « *De consulatu* » inscribe-

Corn. Nep. Vit. Att. 18.3.

Cic. II. ad Att. I.

batur — «*totum Isocrati myrothecium atque omnes eius discipulorum arculas ac non nihil etiam Aristotelica pigmenta consumpsit*». Notat videlicet Arpinas in illius libro adstrictiorem et contractiorem orationis siccitatem: qua etiam, propter rerum materiem et infinitam quasi silvam in tabulis exactam, librum illum vitiatum esse censeo, quem de Romanorum rebus et Graecorum congruenter concinnavit.

C. IULIUS CAESAR

XLIX. In clarissimis rerum scriptoribus, qui Cicerone vivo floruerunt, primum dignitatis locum C. Iulius Caesar occupat. Vir enim hic singularis, qui ceteros post hominum memoriam in bellis gerendis et in administranda republica versatos militari gloria et magno rerum civilium usu unus mihi vicisse videtur, suos inter aequales scribendi quoque laude praestitit. Quem autem maximorum eventuum, a quibus civitas perturbata est atque exagitata, tempora ipsa principem sibi et quasi arbitrum statuerunt, is se ipse rerum, quas gessit, praeconem et laudatorem eloquentissimum invenit. ut illarum memoria apud posteritatem omnem maneret. Veteri nobilissimoque genere — quod primam originem a Iulio, filio Aeneae et Veneris nepote, duxisse antiquitus traditum erat — ambigitur IV an III Idus Quintiles sexcentesimo quinquagesimo anno post conditam Urbem natus sit, qui mensis hanc ob causam postea Iulius ab eo appellatus est. Mater eius Aurelia, prudentissima et diligentissima mulier, bonis honestisque moribus eum cum a puero imbuisset, Latinis Graecisque litteris erudiendum Cn. Gniphoni grammatico tradidit, ex cuius schola, ut paulo supra diximus, praestantissimi viri provenere. Qua erat natura mirabili industriaque, cum ad honores et munera publica capessenda pro Romanorum consuetudine mentem animumque convertisset, stipendia

Macr. I. Satur. 12. 34.

in Asia bello Mithridatico merens, bene curriculum iniit; in Mytilenarum enim expugnatione, cum civis cuiusdam vitam servavisset, corona civica donatus est.

Suet. Caes. 2.

L. Post militiam ex Asia cum Romam revertisset, in foroque, ut eloquentia sibi ad honores iter communiret, una cum oratoribus principibus versari coepisset, contra Dolabellam oratorem haud ignobilem dicere orsus est, quem anno sexcentesimo septuagesimo septimo repetundarum insimulavit. Attamen hic, Cotta Hortensioque accusationem propulsantibus peculatus crimine absolutus est. Postero anno C. Antonium de vi, coram praetore M. Lucullo, accusavit, quod multos in Achaia Graecos bonis omnibus spoliavisset. Hanc ob causam in potentissimorum invidiam incurrit, quam ut fugeret, Apollonium Molonem, rhetorem clarissimum, auditurus in insulam Rhodum se contulit. Dum abest, in locum M. Aurelii Cottae viri consularis vita functi, pontifex creatus est, ad quod sacerdotium ineundum Romam festinans, Hadriaticum mare, una tantum nave, ne in praedones incideret, cum duobus amicis ac decem servis traiecit. Tribunus deinde militum creatus in Hispaniam ulteriorem, quae provincia ei obvenerat, profectus est. Memoriae proditum est eum regionem illam peragrantem, cum ad Herculis templum Alexandri statuam conspexisset, rebus ab hoc gestis commotum aemulandi desiderio graviter ingemuisse, neque amplius post id tempus quievisse, quoad imperii potiundi in Urbe occasionem est nanctus. Romam inde reversus, cum uxores duas iam vicissim repudiavisset, alteram Cossutiam ei etiam tum praetextato nuptam, alteram Corneliam, uxorem tertiam Pompeiam Q. Pompei filiam, L. Sullae nepotem, duxit, ratus hoc matrimonio potentissimos in republica viros necessitudinis vinculis devincire sibi utilissimum fore. Auctoritate amplificatus, legem Gabiniam anno sexcentesimo octogesimo septimo cum Cicerone suasit, qua lata, bellum piraticum Pompeio Magno decretum est; deinde in eiusdem Pompeii favorem

Suet. Caes.4.

Vell. II. Hist. Rom. 43.

Suet. Caes. 4; Vell. II. Hist. Rom.43; Plut. Caes. 5.

legem Maniliam contra Catulum atque Hortensium magna contentione defendit.

LI. Aedilis curulis factus aedificia Urbis reparanda aut extruenda curavit, quod cum non publicis tantum impensis sed privatis quoque fecisset, rebus suis consumptis, aes alienum contraxit. Cuius causa tantum sibi populi favorem conciliavit, ut cum anno sexcentesimo nonagesino uno Metellus Pius vita cessisset, Servilio Isaurico et Lutatio Catulo clarissimis viris praeteritis, multitudinis universae suffragio pontificatus maximus ei delatus sit. Eodem anno in Catilinam, qui de capessendo Urbis imperio, Cicerone consule, coniurationem fecerat, vehementi oratione invectus est, quae cum ceteris eius evanuit. Quam enim Sallustius ac si ab eo iisdem verbis pronuntiata sit, in libro refert, quem de Catilinae coniuratione scripsit, eam dicendi genere inspecto ab eodem compositam esse manifestissime patet. Praetor in alterum annum renunciatus, primo die praeturae de Capitolio reficiendo Q. Catulum ad iudicium populi vocavit, rogatione promulgata, qua munus id in alium transferendum esse proposuit. Multitudinem in comitio ita excitavit et inflammavit, ut senatus eum officio privandum decreverit; in magistratu tamen permansit, cumque oratione populum tumultuantem sedavisset, senatus ei gratias egit. In Hispaniam postero anno profectus est, quam statim pacavit; indeque festinanter consulatum petiturus Romam rediit, et foedere cum Pompeio Crassoque facto, qui auctoritate quam plurimum valebant, anno sexcentesimo nonagesimo quarto consul renuntiatus est.

Sall. Catil. 51-52.

Suet. Caes. 15.

LII. « *Inito honore* » ut Suetonius refert « *primus omnium instituit, ut tam senatus quam populi diurna acta confierent et publicarentur* ». Praeter alias multas, de dividendis agris leges agrariae a Caesare, magna contentione, senatu invito, et a M. Bibulo consule altero latae sunt; qui quidem, quia obnuntiaverat, e foro expulsus est. Quam ob causam, cum domi in posterum se continuerit, quoad munere abiret,

Suet. Caes. 20

Liv. Epit. 103.

unus Caesar ad arbitrium ita rempublicam administare visus est, ut nonnulli civium, cum quid per iocum testandi causa signarent, non *Caesare et Bibulo* sed *Iulio et Caesare coss.* actum scriberent. Cum vero consulatu perfuncturus esset, Galliam in quinquennium administrandam Vatinia lege obtinuit; in quam provinciam priusquam proficisceretur, a C. Memmio et L. Domitio, eius anni praetoribus, in ius apud senatum vocatus est, acta eius rescindere cupientibus. Contra quos, cum tribus orationibus satis superque existimationem suam defendisset, immortalem ex bellis gerendis gloriam assecuturus in Galliam discessit. Novem annos — etenim ei post quinquennium imperium prorogatum est — pro virili parte provinciam administravit, oppidisque innumerabilibus expugnatis gentibusque omnibus devictis, eam pugnis et civili sapientia imperio Romanorum pacatam subegit. Ob rerum gestarum invidiam bellum civile cohortum est, ex quo, Pompeio superato, princeps civitatis unus Caesar evasit. Anno enim septingentesimo nono consulatum solus praeter consuetudinem gessit, eodemque anno dictaturam quartam iniit, quam senatus ei in perpetuum decreverat. Hanc ob causam odium in se virorum concitavit, qui rempublicam a patribus liberam acceptam tuebantur. Coniuratio malevolorum hominum facta est: occasionem propitiam nancti, Idibus Martiis septingentesimi anni decimi post conditam Urbem, viginti tribus vulneribus Dictatorem in Pompeii Curiam venientem necaverunt.

Vell.II. Hist. Rom. 44.

Suet. Caes. 80-82; Vel.II. Hist. Rom. 56-58; Liv. Epit. 116; Cic. II. de Div. 9.

LIII. Caesar, quem paulo supra in poetarum numero recensuimus, orator quoque summus habitus est, idemque haud ignobilis grammaticus, et rerum scriptor clarissimus. Dolendum sane est orationes, quas Caesar dixit, aetatem non tulisse, cum omnium fere eruditorum hominum consensu laudatas eas inveniamus. De eius dicendi facultate passim haec apud Ciceronem legi: « *Caesar lectis utitur verbis et frequentibus [sententiis] et splendore vocis et dignitate motus fit speciosum et illustre, quod dicit; omniaque sic suppetunt,*

Cic. Brut. 71. 250; ibid. 75. 261.

ut ei nullam deesse virtutem oratoris putes». «*Splendidam quandam minimeque veteratoriam rationem dicendi tenet, voce, motu, forma etiam magnifica et generosa quodam modo. Orationes quidem eius mihi vehementer probantur. Complures autem legi*». Notum de Caesaris eloquentia comparativum iudicium Quintilianus tulit: «*C. Caesar si foro tantum vacasset, non alius ex nostris contra Ciceronem nominaretur. Tanta in eo vis est, id acumen, ea concitatio, ut illum eodem animo dixisse, quo bellavit, appareat, exornat tamen haec omnia mira sermonis, cuius proprie studiosus fuit, elegantia*». Ab his tamen Tacitus in libro, quem de oratoribus scripsit, aliquanto dissentit: «*Concedamus sane C. Caesari*» ait «*ut propter magnitudinem cogitationum et occupationes rerum minus in eloquentia effecerit quam divinum eius ingenium postulabat, tam hercule quam Brutum philosophiae suae relinquamus; nam in orationibus minorem esse fama sua etiam admiratores eius fatentur*».

Quint. Inst. X. 114.

Tac. de Orat. 21.

LIV. Ad rem grammaticam spectabant libri duo, quos «*De analogia*» inter pugnas belli Gallici, inter classica et tubas, accuratissime ad Ciceronem scripsit. De ratione Latine loquendi in his libris agebat; nam, verborum delectu adhibito, mediam viam tenendam esse docebat, inter oratores illos, qui communi vulgarique sermone utebantur, atque illos, qui litteratum obsoletumque praeferebant, rati recte loqui idem esse quam inusitate loqui. «*Caesar autem*» verbis Ciceronis utar «*rationem adhibens consuetudinem vitiosam et corruptam pura et incorrupta consuetudine emendat. Itaque cum ad hanc elegantiam verborum Latinorum — quae, etiam si orator non sis et sis ingenuus civis Romanus, tamen necessaria est — adiungit illa oratoria ornamenta dicendi, tum videtur tamquam tabulas bene pictas collocare in bono lumine*». Praeter hunc librum, ad Ciceronem alterum misit, in quo sane controversiam de Catonis Uticensis virtute cum eo habuit. Etenim in scriptura quadam Catonem Arpinas

Cic. Brut. 75. 260-261.

valde laudaverat, cum propter morum sanctitatem vitaeque innocentiam, tum propterea quod, cum rempublicam libertate spoliatam vidisset, ne in potestatem Caesaris veniret, sibi constantissimo animo Uticae mortem intulisset. Duobus libris concertationis plenis Ciceroni Caesar obversatus est, quos « *Anticatones* » inscripsit, in quibus, obiectis Catonis vitiis, fortitudinem illius facetiis et iocis esse ridendam ostendit. Quibusdam Attici litteris praemonitus Cicero, ne graviorem periculo suo contentionem faceret, sententiam suam minus fortiter quidem retexens, ad Caesarem scripsit se legisse libros contra Catonem et vehementer probasse. Simulate tamen; post Caesaris enim mortem, secum, quae scripserat, recogitans atque retractans, haec per occasionem notavit: « *Aut negari potest id factum esse, quod laudetur, aut non eo nomine afficiendum, quo laudator affecerit, aut omnino non esse laudabile, quod non recte, non iure factum sit. Quibus omnibus generibus usus est nimis impudenter Caesar contra Catonem meum* ». In hac controversia maxima Romanorum pars cum Cicerone stetisse videtur, sine dubio quidem Plinius Iunior, qui « *C. Caesar* » ait « *ita [Catonem] reprehendit ut laudet* ». Post Caesaris mortem, litterae quoque, in quibus de rebus publicis et privatis vel ad senatum, vel ad familiares rettulit, in libris collectae sunt, qui quidem interierunt. Nonnullae tamen illarum, quas ad Ciceronem misit, exstant Ciceronianis epistulis interiectae.

Cic. XIII. ad Att. 50.

Cic. Top. 25. 95.

Plin. Iun. III, Epist. 12. Suet. Caes. 56; Gell. XVII. Noct. Att. 9. 1.

LV. Res memorabiles, quas, tum cum Romanorum hostibus bene egregieque pugnando, tum cum civibus de Urbis imperio contendendo, gessit, commentariis a se scriptis ad posteritatem commendavit. In commentariis enim his, quos « *De Bello Gallico* » inscripsit, ad Xenophonteum morem et rationem, bella cum Gallis brevi perpetuaque narratione ita prosecutus est, ut quae singulis annis egisset, ea ex ordine libris singulis consignaret. Bellum civile commotum eum impedivit quominus rem ad finem produceret. Reliquit de

Commentarii de bello Gallico

bello Gallico septem libros — nam octavus, qui fertur, non suus est, sed Hirtii eius legati — qui integri incorruptique exstant. Pauca ex his hoc loco et lineamenta quasi rerum gestarum, mihi sunt referenda, ut Caesaris et ducis et dictatoris aliquo modo imaginem expleam.

In Galliam igitur Caesar anno sexcentesimo nonagesimo sexto vere ineunte profectus, bellum statim in Helvetios intulit, qui in provinciae fines impetum facere conabantur. His profligatis, cum Ariovisto, Germanorum rege, alterum bellum eodem anno gessit, eumque e finibus fugatum, quos occupaverat, in suas urbes profugere coegit. Quibus duobus bellis quam celerrime confectis, in citeriorem Galliam ad conventus agendos profectus est. Postero anno, litteris nuntiisque a Labieno acceptis, certior factus est Belgas omnes contra populum Romanum coniurare — verebantur ne, pacata Gallia, ad eos exercitus adducerentur — de improviso illos omni opinione celerius adgressus, gentes alias in fugam vertit, alias in dicionem accepit, alias denique ad internecionem redegit. Per P. Crassum interea, qui equitatui praeerat, ad Armoricas gentes missum, ipsarum civitates in societatem et amicitiam populi Romani accepit. His rebus actis totaque fere Gallia subacta, legionibus in hibernacula deductis, in Italiam Caesar profectus est. « *Ob easque res* » ait ipse “ *ex litteris Caesaris in dies quindecim supplicatio decreta est, quod ante id tempus accidit nulli* ». De supplicationibus his quaedam apud Ciceronem et Plutarchum legimus. Ad Caesarem, in Gallia Cisalpina versantem, primis anni mensibus, qui subsecutus est, multi praestantissimique viri convenerunt, inter quos Crassus et Pompeius, ut ex Ciceronis epistulis quibusdam ad Quintum fratrem colligimus.

Commentarius primus; ann. 696 p. U. c.

Commentarius secundus; ann. 697. p. U. c.

Comm. II. 35.

Cic. de Prov. cons. 10. et segg.; Plut. Caes. 23.

LVI. Vere ineunte in Galliam revertit; gentibus Alpinis per Galbam legatum domitis, Armoricanos, qui oras regionum prope Oceanum incolebant, navibus adgressus devicit. Interea per Titurium et Crassum legatos, Venellis et Aquitanis supe-

Cic. II. ad Quint. fr. 6. et 13; III.,1.3.

Commentarius tertius; ann. 698. p. U. c.

ratis in dicionemque acceptis, arma in Morinos et Menapios ex silvis impetum facientes parat, illatoque bello, repellit, eorumque agris longe lateque vastatis, vicis aedificiisque incensis, hieme iam appropinquante, exercitum in hiberna reducit. Quarto proconsulatus anno in Usipetes, in Germanos, in Tencteros, qui magna cum multitudine hominum flumen Rhenum transierant, re frumentaria simulate comparata, equitibusque delectis, bellum sibi primo gerendum esse constituit. Quos cum celerius quam consueverat esset adgressus, imparatos impeditosque in fugam coniecisset, extructo in flumine ponte, in Germanorum fines contendit. Paucos ibi dies moratus, vicis et aedificiis incensis frumentisque succisis, satis ad utilitatem et laudem profectum arbitratus, se in Galliam recepit pontemque rescidit. Quo bello confecto, cum ex Britannia auxilia superioribus annis hostibus subministrata esse intellexisset, ratus sibi magno usui fore, si modo insulam adisset, genus hominum perspexisset, loca, portus, aditus cognovisset, classe undique contracta, idoneam ad navigandum tempestatem nanctus, Britanniam, Romanorum primus, attigit. Militibus in terram e navibus eductis in hostium copias, quae classiarios litore prohibere conabantur, eum impetum fecit, ut statim in fugam dederit. Attamen longius prosequi Romani non potuerunt; naves quibus equites ad regionem occupandam necessarii vehebantur, neque cursum tenuerant, neque ceperant insulam. Hoc ad pristinam fortunam Caesari defuit. Nam cum post diem quartum, quam in Britanniam appulerat, onerariae naves litori tantum appropinquarent, quantum conspicerentur, tanta tempestas subito est cohorta, ut in altum ventis adversis provectae continentem petierint. Hanc ob causam insulam non occupari posse sine equitibus ratus, cum in hostes impetum fecisset, pacem petere coegisset, navibus post mediam noctem solutis, ad continentem pervenit. Milites circiter ad trecentos, qui e navibus expositi erant, dum in castra contendunt, a Morinis

Commentarius quartus; ann. 699. p. U. c.

circumventi sunt, qui Caesare absente, rebellionem fecerant. Qua re nuntiata per Titum Labienum legatum Caesar eos adgressus devictos subegit. Anno autem exeunte in Menapios Q. Titurium et L. Cottam legatos misit, qui agris vastatis, succisis frumentis, ad Caesarem in Belgis legionum hiberna constituentem se receperunt. Quibus rebus ex litteris Caesaris cognitis, dierum viginti supplicatio a senatu decreta est.

Conf. Plut. Cross. 4.

LVII. Anno post, cum imperium Galliarum Caesari in quinquennium prorogatum esset, dum classem legionesque ad alteram expeditionem in Britanniam parat, Dumnorix Aeduus principes Gallorum sollicitat, ut in continenti remanerent neve illum sequerentur. Quem cum frustra in officio continere conatus esset Caesar, intermissa profectione, interficiendum curavit. Qua re acta, cum naves solvisset et accessisset ad Britanniam, devictis aliquot gentibus, obsidibus acceptis, cum constituisset hiemare in continenti, propter repentinos Galliae motus, in naves conscendit et terram prima luce attigit. Eo ut primum venit, renuntiatum ei est Sabinum et Cottam, qui iniquo loco proelium commisissent, ab Ambiorige esse oppressos, quem statim adgressus longo bello devictum profligavit. Subinde, Indutiomaro rege interfecto, paulo quietiorem Galliam habuit. Aucto ad decem legionum numero postero anno bellum Menapiis intulit, quos cum subegisset, iterum Rhenum transiit, in Suevos aliasque Germanorum gentes impetum facturus. At frumenti inopiam veritus, eorum agris vastatis, exercitum in hiberna reducit, ipse ad conventus agendos in Italiam proficiscitur. Interim Galli, auditis civilibus discordiis, quae iterum inter optimates et populares ortae erant, liberius ac audacius de bello consilia in Romanos inire incipiunt. Indictis conciliis, Carnutes se principes belli ex gentibus omnibus facturos pollicentur, Fufium Citam, honestum equitem, qui rei frumentariae iussu Caesaris praeerat, interficiunt, bonaque eius et ceterorum Romanorum diripiunt. Fama ad omnes civitates allata, totius Galliae

Commentarius quintus ann. 700. p. U. c.

Commentarius sextus; ann. 701. p. U. c.

Commentarius septimus; ann. 702. p. U. c.

coniuratio, duce Vercingetorige, conflatur. His rebus cognitis in Galliam Transalpinam quam celerrime Caesar contendit, novis delectibus paratis, cum propter artem et bellicam eius virtutem, tum propter militum constantiam bene feliciterque apud Alesiam cum Gallis decertatum est. Quae cum Romae cognita essent, dierum viginti supplicatio tertium reddita est. Coniurationis reliquias postero anno Caesar delevit: Bituriges atque Bellevacos in dictionem accepit; exercituque in plures partes diviso, fines Eburonum ipse populatus est; per Labienum Treviros subiecit. Aquitaniam in fidem recepit. Anno septingentesimo quarto post conditam Urbem ineunte, nova Gallorum coniuratione repressa, pacatisque civitatibus, Caesar in Italiam profectus est, magna coloniarum et municipiorum laetitia acceptus. Paulo post iterum in Galliam reversus est, cui cum Labienum praefecisset, aestuantibus iam Romanorum civium partibus, animo potius iure disceptandi quam belli gerendi cum adversariis, qua maxima potuit celeritate, in Italiam contendit.

Commentarius octavus; ann. 703-704. p. U. c.

LVIII. Bellum civile, quod cum Pompeio gessit, tribus quos « *Commentarios de bello civili* » inscripsit, libris prosecutus est; quorum in prooemio civilium dissensionum causas indagat easque in Pompeii machinationibus reperit. Hic enim invidia commotus senatum per consules C. Claudium Marcellum et Cornelium Lentulum impellit ut, nisi ante certam diem Caesar exercitum dimittat, decernat eum adversum rempublicam facturum videri. Quibus rebus cognitis, apud milites concionatus, Caesar Ariminum, nulla amplius mora interposita, proficiscitur. Pompeius interea, consules, senatores cum magnis itineribus Caesarem in Urbem contendere novissent, de pace concilianda Capuam conveniunt. Id frustra conati Brundisium transfretaturi confugiunt. At cum militibus Caesar Romam ingressus, patribus vocatis, de pace reparanda agit. Ratus tamen, ni Pompeianos devicisset, quascumque se in partes recepisset, nihil tranquillitatis

Commentarii de bello civili

Commentarius primus; ann. 705 p. U. c.

reipublicae futurum, in Galliam contendit. Massiliam, quae ei cum copiis transeunti portas clauserat, per Trebonium et Brutum expugnandam reliquit, Afranium et Petreium, Pompeii legatos, debellaturus magnis itineribus in Hispaniam devertit. Quibus devictis, tertium legatum, Terentium Varronem, a suis desertum, dediticium accepit, posteaque, cum redisset in Galliam, Massilia facili expugnatione potitus est. Interea populo senatuque faventibus, lata lex est qua, cum dictator renunciatus esset, dictaturam mox initurus Romam revertit. Interim in Africa Curius eius legatus ad Uticam cum Pompeianis bellum gerit. Dictatura abiturus comitia habuit, quibus consul in posterum annum creatus est. Anno septingentesimo sexto e Brundisii portu naves solvit, Aetolia, Macedonia, Thessalia occupatis, Dyrrhachium obsedit. Qua autem obsidione liberatus Pompeius cum Caesare ad Pharsalum decertat, victusque profligatusque in Aegyptum confugit, ibique fato miserrimo perit.

Commentarius secundus; ann. 706. p. U. c.

Commentarius tertius; ann. 707. p. U. c.

LIX. Quibus annis Caesar commentarios scripserit ex indiciis satis incertum; qua de causa eruditi homines inter se longe dissentiunt. Ex his enim nonnulli eum post septingentesimum quartum annum ab Urbe condita ex litteris, quas ad senatum miserat, libros confecisse existimant; alii contra libros singulos singulis annis imperii confectos esse censent. Illi ad sententiam suam probandam argumentis utuntur ex quibusdam notationibus temporum desumptis. Gravissimum in hoc genere prima specie illud ipsis esse videtur, quod eruunt ex duobus commentariorum locis: in altero, qui ad primum librum spectat, Aeduis petentibus, ut Boios in finibus suis collocarent, se id concessisse affirmat, additque in parem iuris libertatisque conditionem, atque ipsi essent, hos ab illis postea fuisse receptos. In altero autem loco, qui in septimo libro continetur, res gestas anni septingentesimi primi referens, Boios eosdem Aeduorum stipendiarios vocat. Hinc profecto, cum nulli praenoscere futura datum, librum

Quibus annis scripserit et evulgaverit commentarios questiuncula

Comm. I. cap. 28.

Comm. VII. cap. 10.

primum post annum septingentesimum primum scriptum inferunt, siquidem eo anno, cum stipendiarii etiam essent, parem iuris libertatisque condicionem quam Aedui necdum assequi potuerant. Istorum argumenta critici alteri infirmant, arbitrantes ex notulis in narrationis contextum amanuensium opera locum illum invasisse. Equidem neutros in hac re sequendos esse censeo; nam verba illa a Caesare ipso addita fuisse suspicor, cum libros demum foras daturus, iis, quae scripserat ante, extremam manum imposuit. Libros autem retractatos in lucem emisisse post septingentesimum primum annum ex hac ipsa re, quam de Boicorum gentibus tradit, inferri certo certius posse videtur.

LX. Non historiam rerum suarum plenam expletamque sibi conscribere statuit. Attamen «*dum voluit alios*» Ciceronis verba refero «*habere parata, unde sumerent, qui vellent scribere historiam, ineptis gratum fortasse fecit, qui volunt illa calamistris inurere: sanos quidem homines a scribendo deterruit: nihil est enim in historia pura et illustri brevitate dulcius*». Quae quidem brevitas in commentariis dedita opera quaesita videtur, nam ab illa dicendi copia discordat, qua in orationibus utebatur, cuius non solum princeps atque inventor, sed etiam propter eam bene meritus de populi Romani nomine et dignitate a Cicerone dicitur. Caesaris commentarii quam maxime orationis perspicuitate probantur, qua quidem in nullo rerum scriptore vel maiorem, vel elegantiorem, vel faciliorem invenies. Omnia enim ita plane expediteque narrantur, ut nihil desideretur, nihil redundet, nihil non luce sua illustretur. Bellorum causae in populorum gentiumque condicionibus exquiruntur; praelia, loca, in quibus fiunt, exercituum itinera, motus militum, impetus et concursus levi oratione celeriterque fluenti describuntur, iisque coloribus depinguntur, ut vel te ipse illis, dum fiunt, eadem agentem interesse credas, vel in tabulis bene pictis ea inspicere censeas. Orationis brevitate vehementique sicci-

Cic. Brut. 75. 262.

tate quadam maxime Caesaris commentarii laudantur, quae neque exanguis omnino est, et ducem sane illum prodit, quem incredibili celeritate hostes adgressum atque superasse, magnisque itineribus Galliam, Britanniam, Hispaniam, Asiam, Africam cum legionibus peragrasse constat. Item in orationis genere subtilitate utitur, quae actorem eundemque rerum gestarum narratorem quam plurimum decet. Nam Caesar ab opimo et tamquam adipato dictionis genere abhorret, quod cum rebus, quae narrantur, altius sonet, res ipsas minuere videtur. Orationem suam minus verborum sententiarumque floribus illustrat, quam rebus, quas breviter attingit, elegantissime notat atque illuminat. Commentarii enim « *nudi sunt* » — ut a Cicerone verba mutuemur — « *recti et venusti, omni ornatu orationis tamquam veste detracta* ». Ex eorum lectione eos inter militiae otia in militaribusque tentoriis scriptos esse liquido patet, quod quidem nos Hirtius ipse in prooemio octavi libri, quem, ut scimus, composuit, verbis illis suadere videtur: « *Cuius tamen rei maior nostra quam reliquorum est admiratio; ceteri enim quam bene et emendate, nos etiam, quam facile atque celeriter eos perfecerit, novimus* ».

Orationis genus et stilus

Cic. Brut. 75. 262.

Comm. VII. in prooem.

LXI. Astricto contractoque orationis genere usus, quam plurimas tamen non modo rerum gestarum notitias rettulit, sed occasionem inter narrandum nanctus, regiones terrestres maritimasque accurate descripsit. In commentariorum enim exordio multa de Galliae universae situ, multa de eius partibus tradit, ut regionem illam et partes earumque fines sub oculos ponat, et gentes, quae illas incolunt, ex ordine recenseat. Locis vero aliis multis pro narrandi opportunitate montes, flumina, silvas, urbium, oppidorum situm depingit, quarum descriptionum in exemplum tres valeant; prima perbrevis: « *Flumen est Arar, quod per fines Aeduorum et Sequanorum in Rhodanum influit, incredibili lenitate, ita ut oculis, in utram partem fluat, iudicari non possit* »; altera: « *Alesia*

Comm. I. cap. 12.

erat oppidum in colle summo, admodum edito loco, ut, nisi obsidione, expugnari non posse videretur; cuius collis radices duo duabus ex partibus flumina subluebant. Ante id oppidum planities circiter milia passuum III in longitudinem patebat; reliquis ex omnibus partibus colles, mediocri interiecto spatio, pari altitudinis fastigio, oppidum cingebant»; tertia postremo: «*Hercyniae silvae latitudo novem dierum iter expedito patet; non enim aliter finiri potest, neque mensuras itinerum noverunt. Oritur ab Helvetiorum et Nemetum et Rauricorum finibus rectaque fluminis Danuvii regione pertinet ad fines Dacorum et Anartium; hinc se flectit sinistrorsus diversis ab flumine regionibus multarumque gentium fines propter magnitudinem attingit; néque quisquam est huius Germaniae, qui se aut adisse ad initium eius silvae dicat, cum dierum iter LX processerit, aut quo ex loco oriatur, acceperit*». Etiam animantia depingit: «*Sunt item, quae appellantur alces. Harum est consimilis capris figura et varietas pellium, sed magnitudine paulo antecedunt mutilaeque sunt cornibus et crura sine nodis articulisque habent, neque quietis causa procumbunt neque, si quo afflictae casu conciderunt, erigere sese aut sublevare possunt*». Reliqua autem apud Caesarem ipsum, ne longius necessario rem traham, legenda relinquo.

Comm. VII. cap. 69.

Comm. VI. cap. 25.

Comm. VI. cap. 27.

LXII. In depingendis gentium moribus pari industria utitur, cuius insigne monumentum in commentario sexto habemus. Ibi enim dedita opera de Galliae Germaniaeque incolis ea mente loquitur, ut sub oculos eorum leges, condiciones, mores, religionem proponat eorumque imaginem non aliquomodo, sed ad veri similitudinem repraesentet. Gallos natura ingenioque factiosos esse notat. «*In Gallia*» ait «*non solum in omnibus civitatibus atque in omnibus pagis partibusque, sed paene etiam in singulis domibus factiones sunt, earumque factionum principes sunt, qui summam auctoritatem eorum iudicio habere existimantur, quorum ad ar-*

Comm. VI. cap. 11.

bitrium iudiciumque summa omnium rerum consiliorumque redeat; idque eius rei causa antiquitus institutum videtur, ne quis ex plebe contra potentiorem auxilii egeret; suos enim quisque opprimi et circumveniri non patitur, neque, aliter si faciat, ullam inter suos habet auctoritatem » Eosdem divisos esse in ordines notat, qui, praeter plebem, quae nihil audet per se, nulli adhibetur consilio, duo sunt, alter druidum alter equitum. Druides civilibus divinisque rebus omnibus praesunt; nam sacrificia publica privataque constituunt, poenas decernunt, adulescentes instituunt. Honoris causa a bello abesse consuerunt, neque tributa pendunt. Equites contra omnes in bello versantur atque ut eorum quisque est genere copiisque amplissimus, ita plurimos circum se ambactos clientesque habet. Ab hac consuetudine Germanos abesse docet, nam neque sacrificiis student, neque in pace magistratu communi utuntur. Ex comparatione, quam instituit, Gallos a Germanis virtute superari affirmat. Clarorum etiam hostium imagines paucis verbis depingit. Ariovistum hominem barbarum, iracundum, temerarium dicit. Quis autem quantum et fortis animo et constans Divico fuerit non sentit in verbis, quibus, paucis quidem sed gravissimis, orationem integram absolvit? Cum enim hic Helvetiorum legationis princeps ad Caesarem de pace venisset, eumque multa memorantem audivisset, multaque de iniuriis in Romanos illatis querentem, multaque, quod ab iisdem destitutus esset, minitantem, seque cum illis pacem esse facturum profitentem, si obsides ab iis sibi darentur; arroganter quidem, sed libere et graviter « *Ita Helvetios* » respondit « *a maioribus suis institutos esse, ut obsides accipere, non dare consuerint: eius rei populum Romanum esse testem* » Quibus sane verbis non unius Diviconis imaginem exprimit, sed gentis universae, quam Caesar istius ore sensa mentis et cogitata praeclare eloquentem inducit.

Comm. VI. capp. 11 - 23.

Comm. I. cap. 31.

Comm. I. cap. 14.

LXIII. Orationes quoque valde probantur, quas vel suo

vel alieno nomine in media narratione interponit. Nihil in illis est quod redundet, nihil omnino quod desit, omnia ad exprimendos animi motus pro tempore et opportunitate dicuntur; omnia ita cum rebus congruunt, ut nemo in dubium revocare possit, quin reapse illae, si non iisdem verbis prolatae sint, sententiam referant. In describendis autem pugnarum vicibus nemo ex rerum scriptoribus Caesarem superavit. Omnia, ut in proeliis fiunt, ordine distinguit, notat, describit: qui legit castra videre existimat, milites idoneum locum deligentes inspicit, impetum, signo dato, facientes, pugnam committentes et redintegrantes, hostes consertis ordinibus propulsantes, in fugam vertentes. Singularia etiam certamina, si memoria digna videntur, depingit. Virtutem militis cuiusdam his verbis et exemplo contubernales compellantis commendat: « *Militibus nostris cunctantibus, maxime propter altitudinem maris, qui decimae legionis aquilam ferebat, contestatus deos, ut ea res legioni feliciter eveniret: " Desilite ,, inquit " milites, nisi vultis aquilam hostibus prodere: ego certe meum reipublicae atque imperatori officium praestitero ,,. Hoc cum voce magna dixisset, se ex navi proiecit atque in hostes aquilam ferre coepit. Tum nostri cohortati inter se, ne tantum dedecus admitteretur, universi ex navi desiluerunt. Hos item ex proximis navibus cum conspexissent, subsecuti hostibus appropinquarunt* ». Eiusdem generis quoque sunt, quae de Q. Cicerone ab hostibus circumvento narrantur, quae de trecentis militibus in itinere interceptis, qui incolumes in castra redeunt. Non exiles ergo neque ieiuni Caesaris commentarii dicendi sunt, in quibus imagines, non lineamentis tantum, ut in tabulis sine pigmentorum coloribus effinguntur, sed ad veri similitudinem repraesentantur et exprimuntur.

Comm. IV. cap. 25.

Comm. V. cap. 45-48; IV., 37.

LXIV. In familiarissimis Caesaris fuerunt *A. Hirtius, C. Oppius, L. Cornelius Balbus*, qui, cum in castris una cum eo versati essent, rerum gestarum memoriam, quam commentariis ille mandare instituerat, vel ad finem lacunas explendo

produxerunt, vel novis narrationibus locupletaverunt. A. Hirtium Ferentinatem fuisse credendum est; nam in titulis marmore inscriptis, qui in illa urbe inventi sunt, nomen eius saepe memoratur. Cicero etiam de eo in epistulis mentionem facit: « *Hirtium ego et Dolabellam* » facete inquit « *dicendi discipulos habeo, coenandi magistros* ». Alibi autem: « *Quid igitur* » inquit « *profectus est vir fortissimus, meus collega et familiaris, A. Hirtius consul?* » Ex quibus ab Arpinate illum in discipulis, in collegis, in familiaribus habitum esse patet. Stipendia in Gallia, Caesare consule, meruit, cuius beneficio anno septingentesimo octavo praetor renunciatus est, posteaque in Galliam Belgicam administrandam electus. Post Caesaris obitum cum a Cicerone contra Antonium stetisset cumque instaurandae libertatis magnam omnium expectationem concitavisset, pro libertate pugnans fortissime occubuit. Praeter librum octavum, quo commentarios Caesaris explevit, eius exstat brevis ad Ciceronem epistula. Huic veteres rerum scriptores, vel Oppio, libros adscripserunt, qui sine auctoris nomine supersunt, quorum primus « *De bello Alexandrino* » inscribitur, secundus « *De bello Africano* » tertius « *De bello Hispaniensi* ». In illis est Suetonius, qui habet: « *Alexandrini Africique et Hispaniensis incertus auctor est, alii Oppium putant, alii Hirtium, qui etiam Gallici belli novissimum imperfectumque librum suppleverit* » De his autem libris, deque eorum auctore, fallentibus certis indiciis, fiunt, etiam nunc, magnae ab eruditis hominibus concertationes; at Oppius, quem Cassii et prioris Africani vitam narrasse comperimus. eodem Suetonio teste, librum edidit, quo probaret « *non esse Caesaris filium quem Cleopatra dicat* »; L. Cornelius Balbus denique Caesaris et Ciceronis etiam familiarissimus fuit. Ad utrumque litteras misit, quarum aliquot tantum in epistolis Ciceronis inveniuntur. Balbum historiam de rebus a Caesare gestis composuisse scimus, quae « *Ephemeris* » inscripta esse videtur. Quibus libris tribus, a Dictatoris

Cic. IX. ad Fam. 16. 7; 7. Phil. 4.

Cic. X. ad Fam. 30; Liv. Epit. 119.

Cic. XV. ad Att. 6.

Suet. Caes. 56.

Gell. VI. Noct. Att. I. 2; Suet. Caes. 78 et 81.

familiaribus scriptis, series bellorum civilium et catena, quae ex progressione quadam rerum invicem nexarum nata sunt, narratione continua ad finem expletur et locupletatur.

M. TERENTIUS VARRO REATINUS

LXV. Anceps equidem sum, utrum M. Terentius Varro, cuius paulo supra satiras Maenippeas recensui, Romanorum antiquorum in numero ponendus sit, an in recentiorum potius; nam cum aetate et studiis inter secundum et tertium litterarum Latinarum tempus incidisset, utriusque in se imaginem et habitudinem expressit convenienterque composuit. Multis de causis ille, cum antiquis moribus atque integris in primis, tum etiam industria atque in multis variisque rebus uno tempore agendis incredibili sedulitate, tum inexplebili antiquitatis studio, Catoni quam maxime accessisse videtur. Rursus cum clarissimis quoque viris, qui una cum eo Ciceronis memoria floruerunt, non communem tantum sed superiorem et longe praestantiorem habuit mentis ad disciplinas atque scientias celeritatem perfectamque rerum sive Romanarum, sive Graecarum notitiam. Nobili familia divitiisque affluentissima, anno sexcentesimo duodequadragesimo post conditam Urbem Reate natus est, quod municipium in Sabinis erat, a quo nomen *Reatinum* est mutuatus, ut ab altero Varrone, qui *Atacinus* appellatur, apud posteritatem distingueretur. Romam cum adulescens se contulisset, ut sibi iter ad honores communiret, L. Aelio Stilone, qui litteras pueros docebat, tum quoque Antiocho Ascalonio, ex Academicis ultimo, magistris optimis sane usus est. Primos tamen honorum modo gradus fecit; nam tribunus plebis creatus est, dein aedilis curulis, dein Pompeii legatus in piratico bello et Mithridatico, denique praetor in Hispania; at cum Pompeii partes in bello civili secutus esset, ob duarum in Hispania

Hieron. in Chr. ad ann. 638.

legionum defectionem, in potestatem Caesaris venit, quem sibi postea reconciliavit. Nihilominus M. Antonium acerrimum adversarium nanctus, in proscriptorum numerum relatus est; inde Fufii Caleni gratia exemptus, in litterarum otium se tamquam in portum rettulit. Reliquam aetatem beatam egit; nam « *tam multa legit, ut aliquid ei scribere vacasse miremur, tam multa scripsit, quam multa vix quemquam legere potuisse credamus* ». Diuturnitate vitae vir confectus potius, quam defatigatione quadam aut laboris assiduitate extenuatus, nonaginta annos natus aetati concessit.

August. de Civ. Dei 6. 2.

LXVI. Sabinus natione cum simplex moribus rectusque vereque Romanus esset, singularique prudentia praeditus, nihil potius habuit quam ut, quid utile esset, id unum in libris quoque scribendis exquireret, resque oratione potiores duceret. Doctrinis ideo et sententiis ita refertus est, ut rerum studiosum tantum se iste exhibeat, quantum profecto studiosus verborum Cicero fuit. Non libros scripsit, verum varietate librorum plenam bibliothecam coacervavit. Praeter satirarum libros centum quinque et quinquaginta, quos paulo supra memoravi, hilarotragoediarum Rhintonicarum quattuor libros poematiorum et lyricorum carminum decem, epigrammata nonnulla composuit, quae in Imaginum libris digesta inseruit: numero tamen longe plures libri sunt, quos soluta oratione confecit. Nihil enim in singulis litterarum generibus cum inexploratum reliquisset, infinita cunctarum disciplinarum monumenta prodidit. Antiquitatis memoriam omnem et recentioris aetatis uno et quadraginta « *Antiquitatum* » libris singillatim attigit; in aliis enim res humanae omnes, leges, instituta, mores, funera, tum quae apud Romanos antiquitus vigerent, tum ceterarum in Italia civitatum, quae germana cuiusque et singularia fuissent, tamquam in pulcherrimo aspectu varioque praebebantur; item in aliis universa rerum divinarum materia erat, cultus deorum, sacerdotum collegia, templa, auguria, cetera innumerabilia, quae ad religionem

August. ibidem

Cic. 1. Acad. post. 3. 9.

Libri de antiquitatum scientia

pertinent. Istarum originem rerum diligentissime indagavit in libro, qui « *Aetia* » hoc est *causae* inscribebatur, inque illis tribus « *De rebus urbanis* » in quibus Urbis descriptio continebatur ; tum in « *Quaestionibus epistolicis* » de antiquitate rerum ; tum denique in libris « *De gente populi Romani* » « *De Familiis Troianis* » « *Annalium* »; aliisque nonnullis; his librum addidit « *De Pompeio* » cuius partes, ut diximus, in civili bello secutus est, alterum « *De vita mea* » in quo mores suos et quasi expletam sui ipsius figuram expressit.

Libri de artibus et disciplinis omnibus

LXVII. Primus praeterea Romanorum in describendas geometricas formas incubuit; ne autem in studiis abstrusis et reconditis, a quibus abhorrebant civium ingenia, quod nihil utile in se haberent, frustra versatus videretur, haec ad terrarum descriptionem in libro qui « *De ora maritima* » seu « *Litoralia* » inscribebatur, scite rettulit et inflexit. Hanc de corporum formis atque figuris disciplinam, ceteras, quas liberales nuncupavit, grammaticam, dialecticam, rhetoricam, geometriam, arithmeticam, astrologiam, musicam, medicinam, architecturam ad certam quandam rationem et praecepta cum primus revocavisset « *Disciplinarum libros novem* » confecit, quibus omnis artis et doctrinae cumulatissimum orbem descripsit, quam Graeci « ἐγκύκλιον παιδείαν » dicunt. Arte quoque et ratione philosophorum Graecorum inventa pro institutis Romanorum concludere aggressus est; nam philosophiae partes omnes non attigit modo, sed ut fieri poterat, oratione complexus est. Non uni autem scholae penitus accessit; in illa enim parte, quae est de bonis rebus et malis, deque hominum vita et moribus, Academicorum sectam secutus est; in alia, quae in animi origine et natura exquirendis versatur, a Pythagora profectus est; in ceteris partibus demum a Stoicis. Hanc ob causam philosophiam eum multis locis inchoavisse affirmat Cicero, ad impellendum satis, ad edocendum parum. Quod quidem mihi haud mirum videtur; ita enim hominum mentes sese habent, ut in

Cic. I. Acad. post. 3. 9.

tenebris obcaecatae perpetuo iaceant, nisi lumine quodam divinitus in animos iniecto tenebrae dilabantur. Septuaginta sex libris, quos « *Logistoricos* » communi nomine inscripsit, diligentia summa de variis argumentis satis fuse disputavit; unicuique tamen rei locum singillatim suo assignavit in libro; librum de liberis educandis « *Catonem* » inscripsit; de insania « *Orestem* »; de fortuna « *Marium* »; de deorum cultu « *Curionem* »; de valetudine « *Messallam* »; strictius ac si omnia ex summo quodam monte tamquam in conspectu haberet, tribus in libris « *De forma philosophiae* » quos saepe memorat Hieronymus; atque in altero « *De philosophia* » qui apud Augustinum in controversiam cadit, quidquid alibi pertractaverat, per summa capita enucleavit ac coaugmentavit.

Libri de quaestionibus philosophorum

August. de Civ. Dei 19. 1-3.

LXVIII. Varronis quoque opera primos gradus fecerunt grammaticorum et litteratorum disciplinae, quae in hominum linguis exquirendis, in iudicandis explanandisque poematis versantur. Varia enim et multiplici ratione de sermonum origine, antiquitate, structura disputavit in libris, quos « *De origine linguae latinae* » « *De sermone latino* « « *De utilitate sermonis* » « *De similitudine verborum* » « *De antiquitate litterarum* » pro cuiusque argumenti natura inscripsit. Hac vero verborum notitia nisus, Plautinas fabulas — plures enim Sarsinati tribuebantur ac reapse scripserat — in disceptationem vocavit; de aliis ergo utrum germanae essent an suppositae generatim iudicavit; in aliis, locos, qui non poetae essent, sed « παρεμβεβλημένα » hoc est *interiecta*, scite distinxit; alios denique emendavit et explanavit. Duos ex huiusmodi quaestiunculis libellos confecit, quorum « *De comoediis Plautinis* » alter, alter « *Quaestionum Plautinarum liber* » inscribebatur. Senex, cum octogesimum iam annum egisset, tamquam si mox e vita transmigraturu sagrorum desiderio teneretur quod posteritati omni communicaret, tres libros « *Rerum rusticarum* » concinnavit, videlicet ipse quae in suis fundis colendis animadverterat, quae in aureo Oeconomico

Libri de rebus grammaticis

Rerum rusticarum libri.

illo Xenophonteo, quae in Catonis Magonisque commentariis studiose legerat, quaeque a peritis audiverat, iisdem agricolas instituendos apprime curavit. Rem totam, quae ad agros agricolarumque vitam spectat, pro maiorum instituto his in libris complexus est; in primo de agrorum colendorum ratione deque serendis arboribus disserit; in altero sunt multae de re pecuaria quaestiones; in tertio de pabulis, de villaticis fructibus, de ceteris, quae e terra proveniunt, et praecepta inventa tradit. Ne vero molestus fiat continua docendi defatigatione, animos facetiis, nugis, salibus, sententiis, amoenis deverticulis levat, quibus sermonem alternum illi condiunt, quos lepide inter se disputantes in librum inducit.

LXIX. Memoriae proditum est Varroniana haec Virgilium studiose perlegere solitum, ex quorum lectione tanta animi inflammatione afflatuque quasi divino afficiebatur, ut statim mirificum Georgicon carmen suavius pergeret modulari; non inflammationem tantum, inquam, deprompsit; verum etiam praecepta, rerum ordinem, totius carminis contextum desumpsit; quam ob causam Varro poetarum quasi parentis laudem sibi vindicare videtur. Eruditissimi hominis immortalitati, in librorum omnium naufragio — nam exstant, praeter quaedam ceterorum voluminum atque sententiarum nonnullarum undique conquisitarum fragmenta, « συναγωγή » quae dicitur, et tres rerum rusticarum libri nec non ex quinque et viginti de lingua latina quinque exesi atque obtruncati — veteres rerum scriptores consuluerunt, qui multis eum laudibus prosecuti sunt. Testem in primis Ciceronem exhibeo, qui propter doctrinam, quam pluribus atque illustrioribus litteris explicavit « πολυγραφώτατον » eum dixit; tum Quintilianum, qui virum Romanorum eruditissimum eundemque linguae latinae et omnis antiquitatis et rerum et consuetudinum sive Graecarum sive Romanarum peritissimum appellavit.

Cic. XIII. ad Att. 18; Brut. 56. 206; Quint. X. Inst. 1. 95.

LXX. Cum Varrone, aetate minor, *P. Nigidius Figulus* vir quidem, cum pythagoricis disciplinis eruditus, quae fere

extinctae ad id tempus iacebant, tum satis acer investigator et diligens earum rerum, quae suapte natura involutae aut obscurae videntur. Hic a Cicerone, postquam coniurationem repressit, inter senatores delectus est, qui dicta, interrogata, responsa perscriberet; creatus postea praetor. Hunc Cicero in epistula ad Quintum fratrem, amicissimum et acerrimum civem appellat, quippe qui, cum inter discrimina rerum sibi ipsi satis constans mansisset, neque a Cn. Pompeii amicitia defecisset, in exilium a Caesare actus est ibique, Hieronymo teste, mortuus patria ad diem extremam orbatus.

Cic. pro Sull. 14; I. ad Quint. fr. 2.5.

Hieron. Chr. ad ann. 709.

Plurimos eius libros veteres rerum scriptores memorant, in quibus de rebus variis « *De diis* » « *De extis* » « *De gestu* » « *De ventis* » « *De animalibus* » « *De hominum naturalibus* » « *De augurio privato* » « *De re grammatica* » de aliis disserebat. In pristinum honorem Pythagorae sapientiam, quae aliquot saecula in Italia viguerat, ab eo revocatam esse ex locis Ciceronis quibusdam didicimus, qui Carneadeo more et modo solitum esse saepe cum eo disputare nos docet. Ex librorum vero titulis atque ex Plinii loco, qui eius libros inter fontes suos recenset, rebus naturalibus grammaticisque operam posuisse eruimus. Huic vero famae offecit Varronis doctrina, item multum quod, cum in Pythagoricis abstrusis rebus elaboravisset, a paucis tantum legi et intellegi potuit.

Cic. IV. ad Fam. 13; Tim. init.

Plin. Elench. libr. 6-11 et 16.

CORNELIUS NEPOS

LXXI. In extremos reipublicae annos et primos Augusti Cornelius Nepos incidit, qui tenuis exilisque fuit rerum scriptor; cuius multa vel ignorantur, vel obscura et incerta videntur. In Gallia Transpadana eum ortum esse ex Plinio compertum habemus, qui eum Padi accolam appellat; item ex Plinii Iunioris loco eum in Insubribus esse natum confirmatur. In epistula enim, quam ad Vibium Severum misit,

« *Herennius Severus* » scribit « *magni aestimat in bibliotheca tua ponere imagines municipum tuorum, Cornelii Nepotis et T. Catii* ». Catius autem, Cicerone teste, Insuber fuit. Quo anno natus sit, non satis liquet et fit inter eruditos homines quaestio. Eum tamen constat famam esse consecutum anno ab Urbe condita septingentesimo decimo quarto; nam divus Hieronymus ad hunc annum in chronicis notat « *Cornelius Nepos scriptor historicus clarus habetur* ». Hinc profecto rerum scriptores recentiores nonnulli existimationem et famam eum quinquaginta annos natum collegisse rati, subductis annorum rationibus, ad sexcentesimum sexagesimum quartum annum ortum esse inferunt. Aetate Pomponium Atticum et Catullum longe superavit, etenim, Plinio teste, obiit mox divo Augusto in Urbe principe. Atque etiam de eius vita aut nihil aut non multum novimus, praeter quam quod se a muneribus publicis abstinuit. Catullo, Cicerone, Attico familiariter usus est, quorum primus carmina evulgaturus neminem illo digniorem invenit, cui libellum addiceret:

Plin. III. Nat. Hist. 22. 2; Plin. Iun. IV. Epist. 28. Cic. XV. ad Fam. 16. 1.

Plin. IX. Nat. Hist. 39. 137.

Quoi dono lepidum novum libellum
Arida modo pumice expolitum?
Corneli, tibi; namque tu solebas
Meas esse aliquid putare nugas.

Cicero autem haec in epistula ad Atticum facete scribit: *Nepotis epistulam exspecto. Cupidus ille mearum? qui ea, quibus maxime* γαυριῶ, *legenda non putet. Et ais* μετ' ἀμύμονα. *Tu vero* ἀμύμων *ille quidem* ἄμβροτος ». Epistularum magnam quidem copiam Arpinas ad Cornelium misit, siquidem Macrobius eas in libros duos exactas legisse testatur. De amicitia, quam cum Attico habuit, suavissimum ipse monumentum reliquit; etenim in Pomponii vita, quam scripsit, illius liberalitatem, sapientiam, doctrinam, mores ingenuos peramanter officioseque laudibus cumulat. A muneribus pu-

Cic. XVI. ad Att. 5. 5.

Macr. II. Satur. 1. 14.

blicis alienissimum fuisse videtur, vel suapte natura ingenioque, vel propter tempora reipublicae libertati adversa, quamquam causam popularem in scriptis tecte defendere non dubitet. Hac de causa ne in ordine quidem senatorio fuisse inscriptum censemus, etsi honore propter rerum multarum notitiam, quam habuit, dignissimus esset.

Plin. Iun. V. Epist. 3.

LXXII. Eius « *Liber de excellentibus ducibus exterarum gentium* » superest; nam complures libri, quos scripsit, inter deperditos desiderantur. Viginti tribus imperatorum vitis constat, Graecorum maximam partem, in quibus Miltiadis vita est, Themistoclis, Aristidis, Alcibiadis, Lysandri, Epaminondae, Pelopidae, Agesilai, aliorum; tum etiam Carthaginiensium duorum, Hannibalis atque Hamilcaris, quibus accedunt clarorum Romanorum civium duae, quarum altera Attici. Unus hic Nepotis libellus claris in viris laudandis imagines et statuas aliquomodo superat: non enim formam atque lineamenta corporis repraesentat, sed mores potius ea mente depingit, ut virtutes laudet, vitia exprobet. Labentibus in dies Romanorum moribus, exemplaria non a se ficta imitanda proponere voluit, quae communem hominum naturam superare viderentur, sed hominibus homines humanitate, probitate, iustitia, innocentia, virtute praeditos sine labore et cum delectatione imitandos indicavit.

Liber de excellentibus ducibus

LXXIII. Hanc ob causam sapientibus sententiis, quas de clarorum virorum vita desumit, orationem, tamquam in fabularum clausulis, illustrat et ornat. Thrasybuli audaciam laudans, quod Phylen, cum triginta tyranni servitute oppressas tenerent Athenas, non plus triginta de suis secum habens confugisset, ita sententiam ad omnes dilatat audaces: « *Quae quidem res et illis contemnentibus perniciei et huic despecto saluti fuit. Haec enim illos segnes ad persequendum, hos autem, tempore ad comparandum dato, fecit robustiores. Quo magis praeceptum illud omnium in animis esse debet, nihil in bello oportere contemni, neque sine causa dicitur matrem*

Trasyb. cap. 2.

timidi flere non solere». Cuius Thrasybuli in vita, Pittaci, qui in sapientium numero est habitus, illud refert, quo Mytilenaeis respondisse traditum est multis iugerum milibus agri eum donari cupientibus: «*Nolite, oro vos, id mihi dare quod multi invideant, plures etiam concupiscant*». Quod quidem ipse naturam ad universam hominum generatim revocat: «*Nam parva munera diutina, locupletia non propria esse consuerunt*». Concinnae acutaeque sententiae aliae sunt, quas, data occasione, de rebus diversis enunciat. «*Omnes autem*» ait «*et dicuntur et habentur tyranni, qui potestate sunt perpetua in ea civitate, quae libertate usa est*». Cuius causa populus, etsi in Miltiade esset cum summa humanitas tum mira communitas, ut nemo tam humilis esset, cui non ad eum aditus pateret «*maluit illum innoxium plecti quam se diutius esse in timore*». In locis quibusdam de veteribus loquens cum temporibus suis comparationem instituit.

Trasyb. cap. 4.

Milt. cap. 8.

Milt. ibidem

LXXIV. Narrationes tabulis pictis conferri posse videntur, in quibus colorum pigmenta non fucata sunt, sed domesticis inusta notis veritatis. Quae cuiusque virorum illustrium, quorum vitam et mores exponit, singularia et propria sunt, facile secum illius memoriam perpendens deprehendit, et formam et naturalem cuiusque notam invenit. Ex hac commentandi scribendique ratione fit, ut ipso in narrationis exordio, de laudibus, de vitiis iudicium ferat idque paucis verbis summatim significet, deinde notitiis illustret. Alcibiades suis moribus praeditus, primis paene verbis, penitus cognoscitur: «*In hoc natura quid efficere posset videtur experta. Constat inter omnes qui de eo memoriae prodiderunt, nihil illo fuisse excellentius vel in vitiis vel in virtutibus. Natus in amplissima civitate, summo genere, omnium aetatis suae multo formosissimus ad omnes res aptus consiliique plenus — namque imperator fuit summus et mari et terra — disertus, ut in primis dicendo valeret, quod tanta erat commendatio oris atque orationis, ut nemo ei posset resistere, dives, cum*

Alcib. cap. 1.

tempus posceret, laboriosus, patiens, liberalis, splendidus non minus in vita quam victu, affabilis, blandus, temporibus callidissime serviens: idem simulac se remiserat neque causa suberat quare animi laborem perferret, luxuriosus, dissolutus, libidinosus, intemperans reperiebatur, ut omnes admirarentur in uno homine tantam esse dissimilitudinem tamque diversam naturam» Clarorum virorum imagines alibi depingit. Aristidem tanta abstinentia et virtute fuisse ait, ut unus post hominum memoriam cognomine *Iustus* sit appellatus. Cuius innocentiae nullum esse certius iudicium affirmat quam quod, cum tantis rebus praefuisset, paupertate tanta decessit, ut qui efferretur vix reliquerit. De Thrasybulo autem haec animadvertenda maxime esse dicit: « *Si per se virtus sine fortuna ponderanda est, dubito an hunc primum ponam. Illud sine dubio: neminem huic praefero fide, constantia, magnitudine animi, in patriam amore* ». Epaminondae vero imaginem vitae haud melius exprimere potuit, quam verbis quae pro patria pugnante vulnerato, ab eo prolata refert: « *At Epaminondas, cum animadverteret, mortiferum se vulnus accepisse simulque, si ferrum, quod ex hastili in corpore remanserat, extraxisset, animam statim emissurum, usque eo retinuit quoad renuntiatum est vicisse Boeotios. Id postquam audivit "Satis,, inquit "vixi: invictus enim morior,,. Tum ferro extracto confestim exanimatus est* ». Quae quibus poeticis coloribus ad viri occumbentis fortitudinem significandam quantaque et dignitate et animi serenitate illustretur nemo est qui non videat.

Arist. cap. I.

Trasyb. cap. I.

Epam. cap. 9.

LXXV. Liber de excellentibus ducibus, per summam auctoris iniuriam, cum anno millesimo quadringentesimo uno post Christum natum typis editus est, sub alieno nomine in lucem venit, propterea quod in chartulis membraneis, in quibus repertus est, Aemilio Probo cuidam addicebatur: at hic Theodosio imperante floruit. Errorem, in quem codicis auctoritate inciderant, qui evulgaverant, critici recentiores

lugendus. De Camilla autem virgine quid? nam una mulier in carmine arma cum catervis in hostem gerens conspicienda stat et insurgit, cuius in Homerico parem aut similem nullam reperies. Iis haec moribus suis et propriis et singularibus utitur, ut quid revera sit nescias eamque, si intuearis, mireris et diligas. Bellatrix assidue ad mortem invicta, mulebria non aspernatur ornamenta; eodem animo se ipsam colit et pugnat, arma gerit et pharetram Lyciam, umeros velat regiis ornamentis crinemque auro adnectit. Item equitum agmina, insidens in equo, in hostem gaudet ducere, cum ventisque cursu contendere eosque praevertere laetificatur. Quam cum intueamur inter pavidas mulierum turmas viriliter agentem edentemque adversa per agmina strages, oculi recreantur; gratia enim et animo ceteris praestat non minus quam ceteros aetate et virtute antevertat. O decus Italiae virgo! o alma nemorum cultrix Latonia virgo! Cum hac in armis pari gloria nonnulli versantur adulescentes, alii alia de causa conspicui et insignes. En Euryalum et Nisum memorando quodam animi amore et amicitia coniunctos, cuius fatum unum idemque, animus unus, idemque pectus, qui patriam venerantur non minus quam inter se colunt, quorum alter alterum circumventum ut defendat, sanguinem profluens concidit, innumerabilibus ab hostibus oppressus. Fatum eheu quoddam immotum — mirum nam iuvenes amat Virgilius — istorum imminet aetati; Palinuro, Miseno, Bitiae, Pandaro, Pallanti, Lauso, ceteris heroibus adulescentibus instat, ut eos annis et animo, valetudine, pectore vigentes intercipiat: hos Virgilium dixerim iuvenes immaturis fatis devovisse, quia ex sapientia poetarum Graecorum ἀποθνήσκει νέος, ὃν οἱ θεοὶ φιλοῦσιν et quia neque pulchrius neque miserabilius quam qui adulescens sit et forma, decora facie, corpore praestet, virentem fortiterque in pugnis pro aris atque focis pugnantem occumbere. Neque cum dolore vel nolentes adverso suo corripiuntur fato, sed ignari appetunt extrema, ceu

Eurialus et Nisus, ceteri adulescentes heroes

inscribitur, secundum occupat locum. Partes eius duae, ut ita dicam, diversae, laudatio funebris soceri Agricolae, et Britanniae insulae descriptio, perbelle quidem apteque in eo connectuntur, ut aureus ab omnibus libellus habeatur. Adumbratis in exordio atque descriptis imperii condicionibus, mores et vitam Agricolae ea animi commotione effingit et repraesentat ac si per elogium patrem suum mortuum defleat. In altera vero parte res Agricolae in Britannia gestas enarrat, captaque occasione notitias multas populorum prodit, qui in insula penitus orbe divisa incolebant. In postrema libri parte Agricolae atque temporum suorum imaginem depingit: « *Quod si habitum quoque eius posteri noscere velint, decentior quam sublimior fuit; nihil metus in vultu; gratia oris supererat. Bonum virum facile crederes, magnum libenter. Et ipse quidem, quamquam medio in spatio integrae aetatis ereptus, quantum ad gloriam longissimum aevum peregit. Quippe et vera bona, quae in virtutibus sita sunt, impleverat, et consulari ac triumphalibus ornamentis praedito, quid aliud adstruere fortuna poterat? Opibus nimiis non gaudebat; speciosae contigerant. Filia atque uxore superstitibus potest videri etiam beatus, incolumi dignitate, florente fama, salvis affinitatibus et amicitiis, futura effugisse. Nam sicut ei [non licuit] durare in hanc beatissimi saeculi lucem ac principem Traianum videre, quod augurio votisque apud nostras auris ominabatur ita festinatae mortis grande salacium tulit evasisse postremum illud tempus, quo Domitianus non iam per intervalla ac spiramenta temporum, sed continuo et velut uno ictu, rem publicam exhausit. Non vidit Agricola obsessam curiam et clausum armis senatum et eadem strage tot consularium caedes, tot nobilissimarum feminarum exsilia et fugas. Una adhuc victoria Carus Metius censebatur, et intra Albanam arcem sententia Messalini strepebat, et Masso Baebius [iam] tum reus erat: mox nostrae duxere Helvidium in carcerem manus; nos Mauricum Rusti-*

De vita et moribus Agricolae

Tac. Agric. 44 - 45

adversus. Iucundum utrumque per iocum ludumque fluitantibus, ut flexerint cursum, laborem otio, otium labore variare. Ripae fraxino multa, multa populo vestiuntur, quas perspicuus amnis velut mersas viridi imagine adnumerat. Rigor aquae certaverit nivibus, nec color cedit. Adiacet templum priscum et religiosum. Stat Clitumnus ipse amictus ornatusque praetexta. Praesens numen atque etiam fatidicum indicant sortes. Sparsa sunt circa sacella complura totidemque di. Sua cuique veneratio, suum nomen, quibusdam vero etiam fontes». Plinianae epistulae quae de iisdem rebus agunt, solent cum Ciceronianis epistulis conferri, quibus non ita longe inferiores sunt, ut orationibus illius huius Panegyricus. In Ciceronianis stilus nulla arte, nisi quae optimi scriptoris nativa sit, nullo studio exquisitus delectat; non enim Arpinas litteras scribebat ut ederentur. In Plinianis epistulis genus dicendi floridum est, concinnum, expolitum, necessario longe limatius, neque tamen satietatem facit, quin potius litteratos homines eruditione ipsa delectat. Litteras suas Plinius vel dedita opera edendas exaravit, vel ad umbelicum retractavit et limavit, antequam foras emitterentur. Iudicium ex comparatione ipse de se protulit: « *Praeterea nec materia plura scribendi dabatur. Neque enim eadem nostram condicio quae M. Tulli, ad cuius exemplum nos vocas. Illi enim et copiosissimum ingenium, et par ingenio qua varietas rerum qua magnitudo largissime suppetebat, nos quam angustis terminis claudamur, etiam tacente me, perspicis, nisi forte volumus scholasticas tibi et, ut ita dicam, umbraticas litteras mittere* ». Plin. IX. Epist. 2. 2.

SAPIENTES VIRI PHILOSOPHIQUE SENECA

LXXIV. In exiguo sane sapientium numero, qui saeculo primo p. Chr. n. fuerunt, viri quidam clarissimi honoris causa nominandi sunt, qui cum nulla praecepta atque inventa

LXXV. Ex scripturis philosophorum, quos modo memoravi, vel pauca admodum fragmenta apud veteres rerum scriptores alligata repperiri possunt. Sed ecce in manibus, varia quidem atque ponderosa eorum principis *L. Annaei Senecae* volumina, quae non eius sapientiam tantum referunt sed imaginem istorum etiam temporum atque curam satis effingunt. Cordubae L. Annaeus Seneca circa tertium a. Chr. n. annum ortus est, patre Annaeo Seneca rhetore, quem paulo supra memoravi, matre autem Helvia nobili genere et egregie cordata foemina. Puerulus cum fratribus a parentibus Romam translatus in parietibus domesticis patre magistro optimo usus est, quem multa variaque eruditione superavit statim. Quamvis ab eloquentia prorsus alienus non esset, a foro tamen eum avocarunt periculum vitae, in quod Caligula imperante incurrit atque corporis infirmitas. Hac de causa vitae pertaesus, de morte inferenda, cum secum perpendere coepisset, philosophiae studium saluti fuit, in quod impense laudatissimos nanctus magistros incubuit, inter quos Attalum Stoicum, Sotionem Alexandrinum, Demetrium Cynicum, Papirium Fabianum invenio. Eodem tempore familiariter Lucilio, Nonio Prisco, Fabio Rustico usus est, quorum amicitia ad eius salutem contulit. Ex uxore, quam primam habuit, duos filios excepit, quorum prior in Helviae manibus infra vigesimum vitae diem obiit, alter puer amabilis fuit, pro quo vota fundebat, ut sibi post mortem superesset. Domestica tamen dum felicitate fruitur et Helviae matris amore gaudet et materterae maximeque Pompeiae Paullinae, quam in matrimonium, post prioris uxoris obitum, iuvenili aetate duxerat, per vesanam Messalinae invidiam, in Corsicam exilio missus est, velut si conscius adulteriorum esset, vel quod adulterii cum Iulia Germanici filia accusaretur. Post octo annos Agrippinae favore inde revocatus est, quae ei Neronem, quippe qui imperator futurus esset, instituendum atque erudiendum commisit. In sua disciplina septem annos Neronem

Senec. de Ira 19.

Senec. Cons. ad Helv. 2 et 16.

Schol. ad Iuven. 509; Suet. Claud. 29; Tacit. VIII. Ann. 42; Dion. 60. 8.

et quaestione hac eruditi multis argumentis emendaverunt, neque ullus hodie est, qui a nostro illum abiudicandum esse censeat. Inter Nepotis libros, maiores numero et rebus praestantiores erant, qui deperditi desiderantur. In istorum numero « *Liber de Latinis historicis* » quo Catonis et Attici vitae, quae manent, continebantur; tum alter « *De grammaticis* » multique alii, qui uno nomine « *Exempla* » inscribebantur. In his libris, ut titulus idem significat, eadem ratione, qua usus est in libro, qui exstat de excellentibus ducibus, maiorum probitatem, integritatem, virtutem corruptis suae memoriae civibus, tamquam exemplaria imitanda, proponebat. Alia quoque Nepotis scripta hominum incuria evanuerunt, in quibus « *Epistulae ad Ciceronem* » quas quidem memorat Lactantius, tum « *Geographicus liber* » de quo apud Plinium mentio est, « *Libri chronici* » denique, in quibus omnium saeculorum memoriam docte quidem et laboriose breviter complecti ausus est; unde Catulli versus :

Lact. 3. 15. 10; Plin. in elench.

> . . . . . *unus Italorum*
> *Omne aevum tribus explicare chartis*
> *Doctis, Iuppiter, et laboriosis.*

Cat. Carm. I. verss. 5-7.

Multis attenuantibus virtutes et laudes orationis Forcellinum sequor qui hoc iudicium profert : « *Eius nitorem, elegantiam, et puritatem qui laudare velit, actum egerit, cum vel unius pagellae lectio Romani sermonis amatorem satis superque alliciat, et in sui admirationem trahat* » Corneliumque aureae aetatis scriptorem vere aureum appellat, cuius scriptis Latina lingua illustrata est. Equidem narrationes istae — liceat mihi, doctissimo proboque viro mihi familiarissimo contradicente, sententiam meam proferre — quae simplicitate ipsa vehementer probantur et ad altiora intelligenda sternunt viam, pueris a prima aetate instituendis atque ad meliorem vitae cultum educendis, quam maxime opportunae videntur ; incorruptos et antiquos mores redolent, virtutem, sapientiam Romanorum

Forcell. in Lexico totius Latinitatis.

disciplinam spirant, artem quandam nativam et in animo insitam uno simul tempore sapiunt.

LXXVI. Rationem, qua in componendis libris usus est, ex quodam Nepotis ipsius loco colligimus. In Hannibalis enim vita, quae postrema est, narrationem his verbis concludit: « *Sed nos tempus est huius libri finem facere et Romanorum exsplicare imperatores, quo facilius collatis utrorumque factis, qui viri praeferendi sint, possit iudicari* ». Hinc apertissime patet eum quaedam quasi virorum clarorum genera, ex convenientia et similitudine morum, rerum gestarum, studiorum constituisse, et in libros alios èxcellentium Graecorum exempla, in alios exempla Romanorum, ea mente exegisse ut, comparationem tacite instituens, alteros alteris vel aequasse vel praestitisse probaret. Cum autem traditum sit, praeter librum de excellentibus ducibus exterarum nationum, et librum de Latinis historicis, in quo Catonis et Attici vitae continebantur, tertium de regibus Graecis scripsisse, et quartum de rerum scriptoribus Latinis, quintumque de poetis deque grammaticis, propter geminationem illam, quam modo notavimus, decem saltem libros, binos videlicet de eadem re, in lucem edidisse licet inferre.

Hann. 13.

Dio. X. 3. 2.

C. CRISPUS SALLUSTIUS

LXXVII. Omnibus rerum scriptoribus, qui cum Cicerone fuerunt, ex communi virorum eruditissimorum sententia, longe praestitit C. Crispus Sallustius, qui primus Romanorum historiam ad Graecorum dignitatem et gravitatem provexit. Unde Martialis versiculus rei significandae opportunus:

Primus Romana Crispus in historia.

Mart. XIV. *Epigr.* 191.

Amiterni in Sabinis ex familia plebeia, quae divitiis abundabat, Calendis octobribus anno sexcentesimo sexagesimo octavo

post Urbem conditam in lucem editus est. Romam adulescens venit, quo facilius, in urbe omnium disciplinarum officina, litteras et ceterarum rerum sapientiam edisceret; at, in Urbe, quae perniciosa vitiorum sentina facta erat, mox in libidines prolapsus est. Civitatis corruptela depravatus, neque per luxum et ignaviam aetatem egit, neque turpibus flagitiis se dedecoravit, neque languori ac desidiae se penitus dedit. Quin immo stimulis gloriae atque honorum ambitione concitatus, cum ingenium, quod a natura acre et sollers habuit, bonis artibus et studiis excoluisset, ad magistratus et imperia petenda se vertit. Ad hoc aetatis tempus spectant, quae de moribus suis sui ipsius patefaciendi causa sunt in prooemio: « *Sed ego* » ait « *adulescentulus initio sicuti plerique studio ad rem publicam latus sum, ibique multa advorsa fuere. Nam pro pudore, pro abstinentia, pro virtute, audacia, largitio, avaritia vigebant. Quae tametsi animus aspernabatur insolens malarum artium, tamen inter tanta vitia imbecilla aetas ambitione conrupta tenebatur*: *ac me, quom ab reliquorum moribus dissentirem, nihilo minus honoris cupido eadem, qua ceteros, fama atque invidia vexabat* ».

Sall. Catil. cap. 3, 3.

LXXVIII. Muneribus publicis etiam tunc vacuus Catilinae coniurationem spectavit, pauloque post, cum annum vix vigesimum iniisset, quaestor creatus est, subinde cum tribunus plebis una cum Munatio Planco et Pompeio Rufo, factus esset, belli civilis incendium in Milonem, suum adversarium, atque etiam in Ciceronem, huius patronum, movit et excitavit. Cum enim Clodius, homo seditiosus atque probris omnibus infamis, cuius suffragio tribuniciam dignitatem consecutus erat, una cum eius asseclis in via Appia a Milone esset occisus, orationem ad populum vehementissimam habuit qua multitudinem adeo concitavit, ut rempublicam ipsam perturbare visus sit. Nam non privatorum tantum civium domus, qui Milonem defenderant, eversae et deletae sunt, sed Hostilia curia etiam, quo patres convenire consueverant,

Ascon. in Mil. 37.

incendiis vastata. Quam ob causam senatus ne quid detrimenti respublica caperet, Pompeium consulem sine collega, dictatoris instar, eligendum curavit. Qui quidem, cum Milonem propter Clodianam necem exilii poena multasset, in ius cives etiam vocavit, qui plebem ad facinora et incendia sollicitaverant. Hoc iudicio Sallustius absolutus est. Post duos annos tamen patrum rogatu, in crimen de pravis moribus vocatus est et ex ordine senatorio exactus. Civili autem bello commoto, in maximis turbinibus atque fluctibus rei publicae, cum Caesaris partes amplexus esset, in eius castra se contulit. Cuius rei causa in senatum mox eum Caesar restituit, nec ita multo post cum imperio contra Scribonium Libonem et Octavium et Pompeianos misit, qui post Pharsalicam pugnam magna classe in sinum Illyricum confugerant; deinde secum eum in Africam tulit. Pompeianis ad Thapsum devictis, provinciam illam proconsularem ei administrandam concessit quam malis artibus atque iniquissimis tributis vectigalibusque iussis vexavit, ut ingentem divitiarum copiam compararet. Hinc cum, munere functus, Romam rediit, in Quirinali colle aedes villasque sumptuosissimas sibi aedificavit, amplissimosque hortos arboribus consitos, statuis, diaetis, ambulationibus ornatos extruxit, qui propter magnificentiam etiam nunc fama celebrantur. Post Caesaris obitum a negotiis publicis semotus in historiarum libros conscribendos novem annos incubuit. « *Igitur* » de se scribit « *ubi animus ex multis miseriis atque periculis requievit et mihi reliquam aetatem a re publica procul habendam decrevi, non fuit consilium socordia atque desidia bonum otium conterere, neque vero agrum colundo aut venando, servilibus officiis, intentum aetatem agere; sed a quo incepto studioque me ambitio mala detinuerat, eodem regressus statui res gestas populi Romani carptim, ut quaeque memoria digna videbantur, perscribere, eo magis quod mihi a spe metu partibus rei publicae animus liber erat* ». E vita septingentesimo duodevicesimo post conditam Urbem anno annos quinquaginta natus migravit.

Tac. XIII. Ann. 47; Hist. 62.

Catil. cap. IV.

LXXIX. Maximas rerum perturbationes eius aetatis, quae populariter concitae rempublicam primo concusserunt postea funditus everterunt, duobus libris summa diligentia narrare sibi statuit; alter istorum « *De coniuratione Catilinae* » seu « *Bellum Catilinarium* » inscribitur, alter autem « *Bellum Iugurthinum* »; uterque ipsius diligentiam summam testatur. Thucydidem, in historiis condendis principem, magistrum secutus est; etenim, ut Graecus bellum Peloponnesiacum, cui interfuerat, quodque Graeciae exitio fuerat, enarrare e republica esse arbitratus est, ita Latinus, ne socordia atque desidia bonum otium contereret, verum ut commodum reipublicae afferret, res praecipuas eius aetatis carptim perscribere instituit, quae memoria digna videbantur. Memorabilem in primis sceleris atque periculi novitate Catilinae coniurationem existimavit, quod facinus quamquam se quam verissime absoluturum profitetur, ita tamen coloravit, ut civitati populari patrocinium suum praebuisse facile pateat.

De coniuratione Catilinae

LXXX. Tribus partibus commentarius constat de Catilinae coniuratione, in quarum prima, tamquam in prooemio, ad explicandam consilii sui rationem Sallustius ingressus, quattuor capita adhibet. Famae et gloriae cupidine commotum se ad historias conscribere nos docet, quas homines, « *qui sese student praestare ceteris animalibus* », aliquo negotio intenti ex praeclaro facinore aut arte bona expectant. « *Quo mihi* » inquit « *rectius videtur ingeni quam virium opibus gloriam quaerere, et, quoniam vita ipsa qua fruimur brevis est, memoriam nostram quam maxume longam efficere* » In secunda parte coniurationis semen et originem a corruptis civitatis universae moribus repetens, inter Catilinae et maiorum tempora ea mente praesertim comparationem instituit, ut civitatem *ex concordia* multitudinis non tantum ortam esse ostendat, sed prae ceteris populis finitimis legibus, moribus, institutis, bellis eiusdem concordiae gratia incredibiliter viguisse. Exactos reges, qua, cum conservandae libertatis

Catil. cap. I.

atque augendae reipublicae causa creati essent, imperium legitimum in superbiam dominationemque converterant; cives iura et libertatem adeptos *tantam gloriae cupidinem* incessisse ut incredibile memoratu sit, quantum brevi civitas creverit. « *Iam primum* » inquit « *iuventus, simul ac belli patiens erat, in castris per laborem usum militiae discebat, magisque in decoris armis et militaribus equis quam in scortis et conviviis lubidinem habebant. Igitur talibus viris non labor insolitus, non locus ullus asper aut arduus non armatus hostis formidulosus: virtus omnia domuerat. Sed gloriae maxumum certamen inter ipsos erat: pro se quisque hostem ferire, murum ascendere, conspici, dum tale facinus faceret, properabat* ». Catil. cap. 7.

LXXXI. Iam vero temporibus illis Atheniensibus Romanos rerum gestarum magnificentia praestitisse credit, quamquam illorum facta, quia apud illos scriptorum magna ingenia provenere, pro maximis per terrarum orbem celebrantur. Notat videlicet Romanos facere habuisse potius quam dicere et « *sua ab aliis bene facta laudari quam* » ipsos « *aliorum narrare* » Privatos domesticosque mores quoque integros tunc fuisse docet: « *Boni mores colebantur* » « *ius bonumque apud eos non legibus magis quam natura valebat. Iurgia, discordias, simultates cum hostibus exercebant, cives cum civibus de virtute certabant. In suppliciis deorum magnifici, domi parci, in amicos fideles erant* ». Quas maiorum laudes stricta verborum comprehensione ita concludit: « *Duabus his artibus, audacia in bello, ubi pax evenerat aequitate, seque remque publicam curabant* » Non desunt qui haec e communibus locis, qui dicuntur, hausta ab eo esse dicant, ut rhetorum more populum Romanum Romanus laudaret. Sit sane id quidem; mihi tamen ita rebus haec cohaerentia esse videntur, itaque cum consequenti oratione connexa, ut non tamquam citharoedi prooemium affictum quoddam, ad legentem sibi aut benevolum aut docilem faciendum, memorata Catil. cap. 9.

credam, sed cohaerens cum toto corpore membrum. Elogium enim, quo nullus rerum scriptor praeclarius de Romanorum ingenio scriptum reliquit, morum corruptorum descriptio sequitur, et teterrime ponitur contra. In hac corruptela civitatis exemplum insigne suis pictum coloribus, ac si in eo uno pertristis perditissimorum hominum imago appareat, eminet Catilina, iuventutis corruptor, malorum causa, innumerabilibus sceleribus onustus et quasi gravatus.

Catilinae ingenium et mores. cap. 5.

LXXXII. « *L. Catilina* » ait « *nobili genere natus, fuit magna vi et animi et corporis, sed ingenio malo pravoque. Huic ab adulescentia bella intestina, caedes, discordia civilis grata fuere, ibique iuventutem suam exercuit. Corpus patiens inediae algoris vigiliae supra quam quoiquam credibile est. Animus audax, subdolus, varius, quoius rei lubet simulator ac dissimulator, alieni adpetens, sui profusus, ardens in cupiditatibus; satis eloquentiae, sapientiae parum. Vastus animus inmoderata incredibilia nimis alta semper cupiebat. Hunc post dominationem L. Sullae lubido maxuma invaserat rei publicae capiundae, neque id quibus modis adsequeretur, dum sibi regnum pararet, quicquam pensi habebat. Agitabatur magis magisque in dies animus ferox inopia rei familiaris et conscientia scelerum, quae utraque iis artibus auxerat, quas supra memoravi. Incitabant praeterea conrupti civitatis mores, quos pessuma ac divorsa inter se mala, luxuria atque avaritia, vexabant*». Eosdem ac Catilinae etiam civitatis universae mores fuisse; eadem et vitia, avaritiam et ambitionem, quae malorum omnium causam putat. « *Nam avaritia fidem probitatem ceterasque artis bonas subvortit; pro his superbiam, crudelitatem, deos neglegere, omnia venalia habere edocuit. Ambitio multos mortalis falsos fieri subegit: aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptum habere, amicitias inimicitiasque non ex re sed ex commodo aestumare, magisque voltum quam ingenium bonum habere. Haec primo paulatim crescere, interdum vindicari; post ubi contagio, quasi pestilentia, invasit, civitas immutata, im-*

Civitatis vitia, cap. 10.

perium ex iustissumo atque optumo crudele intolerandumque factum ». Ex his civitatis condicionibus ignavissimi iuvenes profluxere, malis artibus imbuti, luxui, lasciviis, ventri dediti, qui, familiaribus opibus deficientibus, ad facinora quaeque paratissimi, ut immodicam divitiarum et libidinum sitim probris, stupris, latrociniis sibi fas extinguere fecerint.

LXXXIII. Coniurationis vices in tertia parte narrantur. Catilina improbis sociis amicisque confisus, quos multis modis inlexerat cum opprimendae reipublicae consilium cepisset, primo singulos appellat, hortatur alios, alios temptat, omnes convocat. Senatorii ordinis multi convenere, multi ex coloniis et municipiis; complures praeterea paulo occultius consilii huiusce participes nobiles erant. Congregatos in abdita parte aedium, remotis arbitris, proscriptionem locupletium, tabulas novas, magistratus, sacerdotia, rapinas, alia victorum praemia pollicitus, vehementi oratione inflammat, iisque iure iurando devinctis humani corporis sanguinem vino in pateris permixtum bibendum circumtulisse dicitur. In coniuratis Q. Curius fuit, haud obscuro loco natus, cui cum Fulvia, muliere nobili, stupri vetus consuetudo erat. Hic, ut in amicae gratiam rediret, cui propter inopiam minus gratus erat, repente maria montes polliceri et minari interdum ferro coepit. At Fulvia, insolentiae Curii causa cognita, quae de coniuratione audierat, auctoris nomine sublato, pluribus narravit.

Coniuratio iure iurando firmatur, capp. 16-23.

LXXXIV. Coniurationis fama per Urbem vagante contra Catilinam, qui consulatum popularium suffragiis petebat, habitis comitiis anni sexcentesimi nonagesimi post conditam Urbem, consules Cicero et Antonius declarati sunt. Neque id Catilinae furorem minuit, sed in dies plura hic agitare, arma parare, socios excitare, totam Italiam commovere. Mulieres etiam aliquot, luxu et lascivia corruptas, sibi coniurationis socias ascivisse dicitur, in quibus erat Sempronia, quae multa saepe virilis audaciae facinora commiserat. Huius ita imaginem Sallustius depingit, ut in foemina hac Catilinam

Coniurationis suspicio per Urbem serpit, cap. 24.

alterum deprehendas, tantum utriusque mores, additis iis quae mulieris haud ignobilis propria sunt, inter se congruunt et conveniunt. « *Haec mulier* » ait « *genere atque forma, praeterea viro atque liberis satis fortunata fuit; litteris Graecis et Latinis docta, psallere et saltare elegantius quam necesse est probae, multa alia, quae instrumenta luxuriae sunt. Sed ei cariora semper omnia quam decus atque pudicitia fuit: pecuniae an famae minus parceret, haud facile discerneres; lubido sic accensa, ut saepius peteret viros quam peteretur. Sed ea saepe antehac fidem prodiderat, creditum abiuraverat, caedis conscia fuerat: luxuria atque inopia praeceps abierat. Verum ingenium eius haud absurdum: posse versus facere, iocum movere, sermone uti vel modesto vel molli vel procaci; prorsus multae facetiae multusque lepos inerat* ».

Semproniae effigies cap. 25.

LXXXV. Auxilio improborum hominum auctus, consulatum in posterum annum sibi petendum esse statuit. Quem quo facilius consequi posset, ratus ex voluntate se Antonio uti posse, Ciceroni omnibus modis insidias parat. Atqui cum dies comitialis adesset, neque res ex sententia evenisset, constituit bellum facere et extrema omnia experiri. In diversas Italiae urbes coniurationis capita mittit. Ipse interim Romae multa simul moliri: consulibus insidias tendere, parare incendia, opportuna loca armatis hominibus obsidere, dies noctesque festinare, vigilare, neque labore fatigari. Coniurationis principes per M. Porcium Laecam convocat, omnia ad bellum parata esse docet, si prius Ciceronem oppressissent. Ad id operam suam C. Cornelius eques Romanus et L. Varginteius senator polliciti sunt, qui eadem nocte se cum armatis hominibus, sicut salutatum, ad Ciceronem ituros ac de improviso eum imparatum necaturos promittunt. Ubi haec Curius intelligit, per Fulviam dolum Ciceroni renuntiat; coniurati, ianua prohibiti, tantum facinus frustra suscipiunt. rem ad senatum postridie Cicero rettulisset, graviter decretum:

Coniuratorum consilia deprehenduntur, capp. 26-30.

« *darent operam consules, ne quid respublica detrimenti caperet* ». Consules reipublicae saluti ita prospiciunt ut patrum voluntate iussum erat; interim prodigia et portenta, ut in tali re solet, undique ex urbibus Italiae nuntiantur.

LXXXVI. Hoc narrationis loco universae civitatis metum Sallustius summa arte describit. « *Permota civitas atque immutata urbis facies erat. Ex summa laetitia atque lascivia, quae diuturna quies pepererat, repente omnis tristitia invasit: festinare, trepidare, neque loco neque homini cuiquam satis credere, neque bellum gerere neque pacem habere, suo quisque metu pericula metiri. Ad hoc mulieres, quibus rei publicae magnitudine belli timor insolitus incesserat, adflictare sese manus supplices ad caelum tendere, miserari parvos liberos, rogitare omnia, omnia pavere, superbia atque deliciis omissis sibi patriaeque diffidere* ». In magna animorum perturbatione Catilinae crudelis animus neque movetur, neque angitur, neque patriae dolore cruciatur, neque praesidiorum periculo adflictatur. Dissimulandi causa, sicut iurgio lacessitus foret, in senatum venit. Quem ut consul in medios patres venientem conspexit, orationem habuit luculentam atque utilem reipublicae. Catilina autem simulator et dissimulator qui erat, postulare a patribus, ne quid de se inconsulte crederent. At eo loquente omnes obstrepere, hostem atque parricidam vocare. Tum ille furibundus « *quoniam quidem circumventus* » inquit « *ab inimicis praeceps agor, incendium meum ruina restinguam* ». Quae cum dixisset, et e curia domum proripuisset, ex Urbe nocte intempesta discedens in Manliana castra se contulit. Sollicitatis in itinere hominibus, cum fascibus atque aliis imperii insignibus, in castra devenit. His rebus Romae compertis, senatus Catilinam et Manlium hostes iudicat, simulque decernit, uti consules ad defendendam reipublicae dignitatem et libertatem tuendam dilectum habeant, Antonius cum exercitu Catilinam persequi maturet, Cicero urbi exspectatione et pavore vehementer concitatae praesidio sit et munimento.

Magnitudine periculi civitas permovetur; Catilina in senatum audacter venit, Urbe egreditur, capp. 31-36.

Quibus de causis coniuratio delituit capp. 36-37.

LXXXVII. Hac narrationis parte, incredibilitate rei permotus, causam exquirit, cur nemo inventus sit qui, ne praemio quidem inductus, coniurationem patefecisset vel a senatu duobus decretis invitatus ab armis sine fraude discessisset. Cuius rei causam nullam aliam invenit, praeter quam quod perditorum hominum inceptis cuncta Italiae plebs faveret. « *Nam semper* » inquit « *in civitate quibus opes nullae sunt, bonis invident, malos extollunt, vetera odere, nova exoptant, odio suarum rerum mutari omnia student, turba atque seditionibus sine cura aluntur, quoniam egestas facile habetur sine damno* ». Item multi quoque ex plebe urbana Catilinae coniurationem probabant, alii propter ingenium suum ad mala facinora natum, alii propter spem divitiarum cumulandarum, multi denique quod, cum post Sullanas victorias ex gregariis militibus nonnullos aetatem regio cultu atque victu agentes viderent, ex victoria sibi quisque eadem proventura sperabant. Hinc ad narrationem rerum ad finem producendam et properandam revertit.

Lentuli litterae ad Catilinam intercipiuntur, capp. 38-48.

LXXXVIII. Lentulus igitur coniuratorum, qui in urbe manserant, princeps, Allobrogum legatos, qui de avaritia magistratuum Romanorum questum venerant, multis pollicitationibus sollicitat, urget, impellit, sperans illos facile spe civitatis aere alieno liberandae in belli societatem adduci posse. Sed Allobroges praemia certa ex Romanorum amicitia si coniurationem detegerent, sibi capienda esse rati sunt, cum victoria ab incertis rerum eventibus penderet; quam ob causam Q. Fabio Sangae, cuius patrocinio eorum civitas plurimum utebatur, rem omnem, uti cognoverant, aperiunt. Cicero per Sangam coniurationis certior factus Allobrogum legatis praecipit, ut studium coniurationis simulent. Lentulus hoc modo deceptus, nihil suspicionis veritus, litteras ad Catilinam per legatos mittit. Cicero, ex cuius consilio coniuratis insidiae extruebantur, praetoribus imperat, ut, collocatis praesidiis, in ponte Milvio Allobroges proficiscentes per

simulationem deprehendant. Aperto litterarum iudicio senatus de coniuratione a Cicerone certior factus immediate decernit ut Lentulus ceteri que in liberis custodiis habeantur. Mutabilitatem Romanae plebis hoc loco acute notat Sallustius: « *Interea plebs coniuratione patefacta, quae primo cupida rerum novarum nimis bello favebat, mutata mente Catilinae consilia exsecrari, Ciceronem ad caelum tollere: veluti ex servitute erepta gaudium atque laetitiam agitabat* ».

LXXXIX. Cicero, convocato senatu, qui paulo ante illos contra rempublicam fecisse iudicaverat, refert quid de eis fieri placeat, qui in custodiam traditi erant. Ex orationibus, quae a patribus habitae sunt, duas refert, alteram Caesaris, alteram Catonis, quarum utramque non verbis iisdem relatam esse censeo. Ex utraque tamen amborum virorum mens animusque mihi spirare videtur; etenim Caesar, qua erat et clementia et humanitate, non aliam poenam sumendam esse censet, praeter quam ut eorum bona publicentur, ipsi vero in vinculis per municipia habeantur. Cato contra periculum a republica non averti posse censet, nisi capitis poena coniuratis irrogetur. Ex huius sententia senatus decernit. A re sua hoc loco iterum Sallustius digrediens, Catonem et Caesarem memoria sua viros duo ingenti virtute maioribus digna, diversis tamen moribus fuisse animadvertit; quorum naturam moresque instituta iudicatione comparativa ita depingit, ut quae cuiusque propria sint, probe distinguat et notet; quae alter cum altero communia vel similia habeat, componat et illustret. Sunt haec elegantissime scripta, ut nihil genere in eo a rerum narratore ultra obtineri possit.

Senatus in coniuratos graviter decernit, capp. 49-53.

Catonis et Ciceronis ingenium, indoles, mores, cap. 54.

LXXXX. In postrema libri parte belli vices, tamquam in fabula tragica effingit, ut ad finem quam celerrime currant. Vindices de coniuratis, qui Romae in vinculis erant, rerum capitalium supplicium sumunt. Manlius et Catilina, duabus legionibus institutis, patriae arma inferre parant. Antonius cum exercitu adventat, Catilinam per montes iter in Galliam

Coniuratorum quorundam supplicium

facientem intercipit. Maxima coniuratorum pars, cum in castra nuntiatum esset supplicium Romae de sociis sumptum, ordines deserunt, fugiunt, dilabuntur. Catilina cum reliquis copiis circumvenitur, milites in rerum desperatione adhortatur; acieque statuta, signa canere iubet. Manlius in primis pugnans cadit, Catilina cum fusas copias videret, « *memor generis atque pristinae suae dignitatis in confertissimos hostes incurrit, ibique pugnans confoditur* ». Coniuratorum virtus in mortuis conspicitur. Omnes amissa anima in loco iacent, quem vivi ceperant, omnes adversis volneribus pectora decorata ostendunt, Catilina vero longe a suis inter hostium cadavera reperitur paululum etiam spirans ferociamque animi, quam vivus habuerat, in vultu retinens.

Coniuratio morte Catilinae terminatur, capp. 56-61.

LXXXXI. Eadem narrandi ratione atque distributione sententiarum in ordinem quendam ante statutum Sallustius usus est in libro componendo, qui « *Bellum Iugurthinum* » inscribitur. Rem suam arrepturus quaedam praemittit; omnia quae corpori inhaerent et ad corpus spectant, claram faciem, vim et robur, magnas divitias, alia huiusce modi fluxa et caduca esse, quae cum corpore dilabantur; at ingenii egregia facinora, quae ab aeterno incorruptoque animo promanant, immortalia manere. Ex negotiis, quae ingenio exercentur, temporibus inspectis, nullum sibi reipublicaeque utilius esse putat, quam rerum gestarum scriptis memoriam mandare, quae vehementer solet animum ad virtutem accendere. In multitudine rerum memorabilium bellum Iugurthinum duabus de causis sibi narrandum assumit; primum quia magnum atque atrox variaque victoria fuit; deinde quia homines in populari ratione florentes superbiae nobilitatis obversari ausi sunt. Iugurtha igitur Mastanabalis filius, cum ex concubina natus esset, hereditate a patre exclusus est. In narrationis exordio Iugurthae imaginem his verbis adumbrat: « *Ubi primum adolevit, pollens viribus, decora facie, sed multo maxume ingenio validus, non se luxu neque inertia corrum-*

Bellum Iugurthinum

Narrationis prooemium et Iugurthae imago, capp. 1-7.

pendum dedit, sed, uti mos gentis illius est, equitare, iaculari, cursu cum aequalibus certare, et cum omnis gloria anteiret, omnibus tamen carus esse: ad hoc pleraque tempora in venando agere, leonem atque alias feras primus aut in primis ferire: plurumum facere, minumum ipse de se loqui ».

LXXXXII. Hunc igitur Masinissa eius avus, Numidarum rex, moriens privatum dereliquit, quod Manastabal filius e concubina eum genuisset. At Micipsa qui, Manastabale et Gulussa fratribus morbo absumptis, in regnum solus suffectus est, existimans virtutem Iugurthae regno suo gloriae fore, eum adoptavit, eundemque domi suae eodem cultu ac liberos, Adherbalem et Hiempsalem, habuit. Attamem veritus postea, ne ob imperii cupidinem aut in se, aut post mortem suam in filios seditionem commoveret, ratus per vim et insidias hominem tam acceptum popularibus opprimi non posse, statuit eum obiectare periculis et eo modo experiri fortunam; Iugurtham ideo in Hispaniam in sociorum Romanorum auxilium misit. In obsidione Numantiae, Scipione duce spectante, memoranda eximiae virtutis specimina edidit. Eum inde in Africam reversum Micipsa, regno in tres partes diviso, heredem aeque cum filiis constituit. At nec beneficii memor, nec gratus, totius regni potiendi cupidine post Micipsae obitum arsit: Hiempsalem necat, Adherbalem e regno armis oppressum depellit. Hic Romam profugiens a patris sociis amicisque auxilia petit. Quod cum Iurgutha novisset, legatos suos ad senatum misit, qui magnis muneribus, qui in senatu gratia et auctoritate pollerent eos allicere devincire et in suam causam trahere conarentur. Senatus tamen decem legatos in Africam mittit, qui regnum inter Aderbalem et Iugurtham dividerent. Profectis in Urbem legatis, Iugurtha Aderbalem repente petit, necat, regnum eius occupat.

Iugurtha heres constitutus exitium fratribus machinatur, capp. 7-12.

Romanorum legatio de regno dividendo, capp. 13-26.

LXXXXIII. Quibus Romam nuntiatis, res est in senatu agitari coepta. Alii in eum graviter animadvertendum esse dicere, alii Iugurthae pecunia donisque corrupti verba facere, negotium in longum trahere, atrocitatem sceleris minuere

atque lenire. Optimatum favore nisus, interposita publica fide, Romam ipse venit, ubi, corrupto Babio tribuno plebis, Massivam, Gulussae filium atque Masinissae nepotem, per Bomilcarem interficiendum curat. Hoc facinore patrato Roma discedere iussus, proficiscens fertur exclamasse: « *Romam venalem et mature perituram, si emptorem invenerit* ». Bellum, quod leniter gesserat ad id tempus Calpurnius Bestia, renovatur. Romani primo Sp. Postumium Albinum cum imperio mittunt, quem victum Iugurtha sub iugum mittit; deinde Q. Caecilium Metellum, qui, strenue rebus gestis, bis regem profligat. At Iurgurtha fuga ad Bocchum socerum elapsus, resumptis viribus, bellum redintegrat. Romae Metello triumphus decernitur. Demum in Iugurtham vir novus et popularis bellica laude insignis mittitur Marius, qui proeliis duobus copias regis et soceri fundit et fugat. Regem fugientem Sulla, Marii quaestor, capit eumque ad Marium vinctum adducit. Bello confecto Iugurtham Romam vinctum adduci nuntiatum est, ut triumphum imperatoris ornaret.

Scelus a Iugurtha in Urbe patratum Romanos ad bellum commovet, capp. 27-34.

Bellum Iugurthinum a Mario Sullaque hominibus novis conficitur, capp. 35-113.

LXXXXIV. Sallustii auctoritas magna apud multos est et in primis gravis. Res enim ita narrat, ut reapse fuere, si errores quosdam excipias, in quos incaute nolens incidisse videtur. Quidam tamem vitio ascribunt, quod studio partium benevolentiorem in Caesarem voluntatem suam declaret, quam in Ciceronem ostendat. Nam illum crimine coniurationis accusatum defendit; in Cicerone, qui rempublicam salvam fecit, ut nihil reperit, quod vituperet, ita nihil deprehendit, quod multa laude dignum censeat. At ne huius quidem in patriam merita occultat. Nam eius industriam in detegenda coniuratione notat, si non laudat, coniuratorum in illum invidiam refert; Ciceronis eiusdem demum gaudium et timorem vi illa atque ardore describit, quanta in homine populari de adversario atque inimico esse poterant. « *At [Ciceronem]* » ait « *ingens cura atque laetitia simul occupavere. Nam laetabatur intellegens coniuratione patefacta civitatem periculis ereptam esse, porro autem anxius erat dubitans, in ma-*

Rerum scriptoris auctoritas

Catil. capp. 26 et 28.

Catil. cap. 46.

xumo scelere tantis civibus deprehensis, quid facto opus esset: poenam illorum sibi oneri, impunitatem perdundae rei publicae fore credebat»; nemo est qui in verbis Ciceronis humanitatem et rei publicae studium depicta ad aequabilitatem narrantis, qui neutri parti faveat apprime non videat.

LXXXXV. Ex his, quae in libro de bello Catilinario insunt, ad Caesarem defendendum omnia rettulisse suspicari liceret, nisi ex ceteris id, quod ei erat in proposito, satis aperte pateret. Oculos enim mentisque aciem in malam nobilitatis avaritiam intendit, quod ex altero perfectiore opere facile liquet, quod de bello Iugurthino exaravit. In hoc libro Marium, popularium principem quasi atque auctorem, summis cumulat laudibus, idemque e contrario, ut par est, optimates, qui omnia venalia haberent, offendit et urget. Civilia tamen studia parum veri laudi officiunt, quam aequo animo assiduoque prosequi nititur, etsi interdum ob veri in huiusmodi rebus noscendi difficultatem falsa aut inquisita diligenter minus inveniantur. Praecipua utriusque operis laus in cuncto rerum ordine contextuque consistit in aequataque partium distributione et convenientia, ex quibus mirificam illam formam et quasi temporum imaginem exprimit, quae in utriusque prooemiis, Catonianis coloribus, adumbratur. Quibus si addas industriam et diligentiam in exquirendo quibus causarum nexibus res omnes eveniant, quae ex ipsis necessario consequantur, tum aequum et sincerum animum, quo de hominum cogitationibus atque consiliis acerrime iudicat, tum germanam multitudinis motus indagandi facultatem, facile eum rerum illarum pronunciatorem grandem dices, et Quintiliani sententiae assentieris in historiarum scribendarum laude Thucydidi Sallustium opponenti.

Partis studium cum veritate coniungit

LXXXXVI. In eius genere orationis multa verba reperiuntur vetustatem redolentia, quae lepore quodam dicendique elegantia narrationem suffundunt; nam scriptor ac si profligatae vitae infamia qua adulescens laboravit se purgare queat, ut antiquorum morum innocentiam multis laudibus

Orationis lumina et genus dicendi

prosequitur, ita maiorum quoque nativa loquendi facultate delectatur. At emendata generatim est et vere Latina eius locutio, ita ut Ciceroni proxime accedat: verbis inquam, quibus utitur genuinis, non eorum quidem copia et abundantia. Strictum, acutum, pressum dicendi genus Sallustius insectatur, quod si hoc quaedam parum aperta aut etiam subobscura facit, rebus plerumque et sententiis, nervos et vires et dignitatem addit, quibus ex Latinis ipse vehementer probatur. Verum hoc presse omnia dicendi studio impulsus verba modo altius translata adhibet, modo alia ex Graeca imitatione exprimit aut excudit, alia nimia modo iam antiquitate desueta ad alia significanda novat; quam ob causam saepius fit, ut nec mollis sit, neque ad omnia flexibilis profluat oratio, immo cum non sine aliqua difficultate mentem quocumque se vertat sequatur, verborum nimium elaborato astrictoque ambitu gravatur et impeditur quasi.

Historiarum libri

LXXXXVII. Sallustii opus ponderosum quidem et grave, quod eius praecipuum habetur, quinque « *Historiarum libris* » constabat, quod extrema aetate, cum scribendi artem penitus noverat, summa adhibita industria, confecit. Hanc ob causam vehementer dolendum est iniuria temporum intercidisse insigne hoc eius memoriae documentum: ex fragmentis enim quae exstant, non res in illis carptim hinc illinc decerptas et summis labiis delibatas rettulisse colligitur, sed patet scriptorem a bello sociali et civili profectum, quod Sisenna narraverat, res ad id aetatis et causas omnes, quae reipublicae conversionem fecerant, continua narratione esse prosecutum. Sub Sallustii nomine epistulae etiam duae de republica ordinanda atque regenda, quas ad Caesarem misisset, nec non quaedam in Ciceronem declamatio circumferuntur; at stilus diversus atque verborum color non idem profecto ac in ceteris, quae iure Sallustio addicuntur, prohibet omnino, quominus eiusdem auctoris esse censeantur. Equidem eas recentioris rhetoris cuiusdam pensum artificiose compositum

Epistulae et declamatio translaticia

dixerim in declamationibus componendis sese exercentis. Praeter Quintilianum, qui eum cum Thucydide confert, et multa verba illum a Catone furatum esse notat, alii, quos inter Suetonius, Velleius, Martialis alia de causa eum laudant.

Quint. VIII. Inst. 3. 29; Suet. Aug. 86; Vellei. II. Hist. Rom. 36; Mart. XIV. Epig. 191.

ORATORES CICERONIS AEQUALES

LXXXXVIII. Oratores, qui Ciceronis memoria fuerunt, tantum vi atque dicendi facultate valuerunt, ut optimo iure perfectam omnique ex parte cumulatam eloquentiae laudem sibi vindicent. Ad id enim tempus ex defendendae reipublicae libertatis contentione et desperatione extrema, clarissimorum virorum orationum copia ea provenit, qua neque maiorem neque illustriorem, neque ad discrimina omnia et iudicia paratiorem ulla aut superior aut posterior aetas viderit. Tunc enim in civibus bella civilia machinantibus necdum etiam armis exercitibusque gerentibus, oratores multi et nobiles exstiterunt, qui athletarum instar, in fori pulverem et solem, in senatum, in iudicia, in comitia ad populum, modo de reipublicae libertate servanda, de iure legibusque defendendis, de petendis honoribus et magistratibus, modo de re familiari, de suo, vel de aliorum capite in maximis rerum discriminibus et angustiis tuendo, ex militaribus quasi partium et dissentionum tentoriis ad decertandum vel dimicandum de omnium salute processerunt. In oratorum quasi laudabilium numero recensendi: *Licinius Crassus Dives*; duo *Caecilii Metelli*, alter adnomine *Celer*, alter *Nepos*; *Marcius Censorinus*, *L. Torquatus*, *M. Acilius Glabrio*, *C. Calpurnius Piso*, *M. Calidius*; ex eadem familia quattuor, *Cn. Cornelius Lentulus Marcellinus*, *P. Cornelius Lentulus Sura*, *P. Cornelius Lentulus Spinther*, *L. Cornelius Lentulus Crus*; alii innumerabiles fere, quorum Cicero in Bruto suo meminit; eloquentiae denique universae lumina *L. Licinius Calvus*,

Cic. Brut. passim multis in locis

C. Asinius Pollio, *C. Iulius Caesar* — de quo etiam ut oratore supra locuti sumus — *M. Caelius Rufus*, *M. Iunius Brutus*, *Q. Hortensius Hortalus* exstiterunt; eorum non modo, sed clarissimorum omnium facile princeps *M. Tullius Cicero.*

LXXXXIX. Ex germana dicendi facultate et copia, qua sine litteris et arte, sine doctrinis ad prudenter sapienterque dicendum de omnibus rebus, quaecumque in disceptationem cadebant, sapientes Romani antiqui illi ducebantur; importatis artibus et Graecorum litteris, tria eloquentiae genera, valde inter sese distantia Ciceronis aetate floruerunt. Primum neque nimis fusum erat, neque nimis pressum, sed prudens, acutum, sincerum, quod, cum in incorrupta sanitate orationis Atticorum propria situm esset, *Atticum* genus nuncupatum est. Secundum tumidum, redundans, inflatum, *Asiaticum* est. Nam cum Asianorum ingenia, ut apud Livium est, inaniora esse soleant, « *ut eloquentia e Piraeo evecta est, omnes peragravit insulas atque ita peregrinata tota Asia est, ut se externis oblineret moribus omnemque illam salubritatem Atticae dictionis et quasi sanitatem perderet ac loqui paene dedisceret*». In ubertatem verborum nimis luxuriantem Romae quoque degeneravit. Huius generis duplex species fuit; una in sententiis non tam gravibus et severis, quam concinnis et venustis posita; altera non tam sententiis abundans, quam copia verborum exornata fluminis instar profluentium. *Rhodium* denique tertium eloquentiae genus mediam inter utrumque partem tenebat; neque enim nimis pressi neque nimis redundantes oratores Rhodii erant, sed saniores et, ad elocutionem quod attinet, Atticorum similiores.

Liv. XLV. ab Urb. cond. 23.

Cic. Brut. 13. 51.

Cic. ibidem 95. 325.

Cic. ibidem 13. 51.

C. Dicendi genere attico igitur C. Licinius Macer Calvus usus est, quem in poetarum lyricorum numero paulo supra memoravimus. Lysiam Atticum prae ceteris quam maxime oratorem sibi imitandum proposuit, cuius unus in orationibus stilus est exilis pressusque atque subtilis. Tantum Macer in dicendo praestitit, ut non modo cum Cicerone de principatu

eloquentiae contenderit, sed a nonnullis etiam eruditis hominibus, qui Quintiliani saeculo fuere, Lisiae praelatus sit. Tacitus auctor est eum non minus viginti orationes scripsisse, ex quibus tres in Vatinium potissimum celebrabantur, quem, cum per vim et factionem praeturam primum, postea ceteros quoque honores per ambitum petiisset, vehementissime accusavit. Severius de eo, ne dicam iniquum, iudicium Cicero tulit in Bruto: « *orator fuit et cum litteris eruditior quam Curio, tum etiam accuratius quoddam dicendi et exquisitius afferebat genus; quod quamquam scienter eleganterque tractabat, nimium tamen inquirens in se atque ipse sese observans metuensque, ne vitiosum colligeret, etiam verum sanguinem deperdebat. Itaque eius oratio nimia religione attenuata doctis et attente audientibus erat illustris; a multitudine autem et a foro, cui nata eloquentia est, devorabatur* ». In ipso aetatis flore et virium mortuus est anno post conditam Urbem septingentesimo sexto.

Quint. X. Inst. 1. 115.

Cic. Brut. 82. 283.

CI. C. Asinius Pollio historiam, poeticam, oratoriam coluit simul. Adulescens in Gallia sub Caesare stipendia meruit, cui constantissime in omnibus belli civilis vicissitudinibus fuit addictus; nam numeratur inter eius familiarissimos, qui cum eo Rubiconem transierunt; cum eoque in Africa contra Pompeianos fuit. Caesare interfecto, Antonii partes eodem constanti animo secutus est, quo cum Lepido Octavianoque pro viribus conciliare conatus est; inito triumvirorum foedere, missus est ab Antonio in Parthinos, Dalmaticam gentem, quae Bruti partibus faverat. In itinere cum esset, a Virgilio, qui eius beneficio — praeerat enim agris dividendis — praedia non amiserat, celebratissimam eclogam octavam accepit. In Dalmatos bellum deinceps illaturus ab Helvio Cinna carmine celebratus est, quod Propempticon Pollionis inscribebatur, de quo paulo supra mentionem fecimus, ab Horatioque post triumphum laudatus. Deinceps cum se a reipublicae curis remotus in privatam vitam abdidisset,

Plut. Caes. pag. 723. D. E.

Horat. II. Carm. 1.

Augusto ab eo percontanti, ut secum ad Actiacum bellum proficisceretur « *Mea* » inquit « *in Antonium maiora merita sunt; illius in me beneficia notiora; itaque descrimini vestro me subtraham et ero praeda victoris* ». Bibliothecas primum sumptibus suis « *Graecas simul atque Latinas* » Romae fecit « *additis auctorum imaginibus in atrio, quod de manubiis magnificentissime instruxerat* ». Anno aetatis octogesimo in villa sua Tusculana obiit, decimo post Christum natum.

Vellei II. Hist. Rom. 86.

CII. Primum oratoris curriculum vix viginti duos annos natus iniit oratione in C. Porcium Catonem habita; Augusti vero temporibus pro Nonio Asprenate de veneficio accusato eximie dixit, posteaque Moschum rhetorem et Appollodorum eodem crimine accusatos defendit, alios praeterea aliis de causis patrocinatus est. De eo Quintilianus protulit iudicium: « *Multa in Asinio Pollione inventio, summa diligentia, adeo ut quibusdam etiam nimia videatur, et consilii et animi satis: a nitore et iucunditate Ciceronis ita longe abest, ut videri possit saeculo prior* ». Eius aetatis quoque scriptorum criticus acerrimus fuit; etenim Sallustio obsoletorum verborum studium obiecit; Caesari narrationum veritatem infirmavit: *Patavinitatem* Livio vitium attribuit. Adversus Ciceronem iniquior exstitit, cuius dictionis vitia quaedam asperius insectatus est. Amissa libere dicendi facultate post reipublicae cladem, coetibus hominum domum suam convocatis, primus scripta sua recitare consuevit, ex qua consuetudine declamantium recitationes in scholis et in porticibus invaluerunt.

Isid. VI. Orig. 5.2.

Quint. X. Inst. 1. 113.

CIII. In clarissimorum oratorum numero habitus est M. Caelius Rufus, qui Ciceroni puer ingenuis erudiendus artibus a patre traditus est. Adulescens natura proclivis ad vitia sine modo in flagitia se ingurgitavit; id tamen nihil impedivit, quominus honorum quoque cupiditate inflammaretur. C. Antonium, Ciceronis collegam in consulatu, de maiestate accusavit, L. Atratinum de ambitu; rursus et ipse ab huius filio in iudicium vocatus est de auro, quod a Clodia

Cic. pro Cael.

— eius enim amator exstiterat — sumpsisset et de veneno, quod eidem paravisset. In iudicio, etsi pro eo Cicero dixit causam oratione quae exstat, ipse pro se ad populum oravit. Tribunus plebis creatus, Milonis causam ad populum egit, subinde aedilis curulis concionem «*de aquis*» habuit, quam laudat Frontinus. Cum inter Caesarem et Pompeium bellum civile exarsisset, parum constans sibi, quippe qui ad id tempus cum senatu bonisque civibus stetisset, popularem illius partem secutus est. Statim praetor creatus, cum tabulas novas de re aliena remittenda legesque alias iniquas tulisset, omnium in se odium concitavit, ut Servilius eius anni consul concionantem eum de rostris deduxerit. Urbe pulsus, cum Milone, qui fugitivorum exercitum contraxerat, se coniunxit; at cum uterque bellum inferre moliretur, interfectus est. Multum in eo oratoris ingenium fuisse novimus ex Quintiliano, multam praecipue in accusando urbanitatem, qua de causa Cicero bonam quidem eum dexteram, malam autem sinistram habere dicere solitus erat. Exstant nonnulla eius orationum fragmenta, quorum pulcherrimum apud Quintilianum, in quo C. Antonii, Ciceronis collegae, pertristes bacchationes describuntur. In eius orationibus verba quaedam satius antiquitatem redolentia notat Tacitus, verum nitorem in quibusdam saltem partibus laudat et altitudinem atque eorum temporum artem undique expletam in hoc quoque oratore dignoscit. Caelii ad nostram memoriam septendecim litterae ad Ciceronem missae pervenerunt, quae in libro octavo huius ad familiares continentur. Valde perurbano et acuto facetoque sermone probantur, adeo ut secundum post Tullianas locum tenere censeantur, primum si cum Plinianis conferantur. Caesar quoque inter huius aetatis Atticos oratores ponendus est, quem hoc loco missum faciam — de eo paulo supra locuti sumus — dummodo eius eloquendi facultatem imperatoriam fuisse dixerimus.

Suet. de clar. Rhet. 2; Cic. pro Mil. 33.

Front. de Aquaed. 76.

Liv. Epit. CXI.

Quint. X. Inst. I. 111; VI., 3, 69.

Tac. de Orat. 21.

CIV. Eodem dicendi genere, quod Atticum nuncupatum

est, orator nobilissimus alius, M. Iunius Brutus, ille qui Caesarem interfecit, ingenio suo atque natura non minus quam familiae institutione est usus. Pueritiam satis tristem egit; nam septem vix annos natus patrem amisit, quem a Cn. Pompeio interfectum esse traditum est. Adulescens non litteris tantum Latinis et Graecis se tradidit, sed philosophiae etiam et eloquentiae sedulam operam navavit. Audivit enim Pammenem rhetorem, Aristum academicum et Antiochum Ser. Sulpicium. Pugnae Pharsalicae, ut senatus populique libertatem defenderet, cum Pompeianis interfuit. Quod vero haud impedivit quominus, his profligatis, peramanter quidem, sed callide, tamquam filium eum Caesar exceperit, et Galliae Cisalpinae administrandae praefecerit. Nihilominus spe libertatis civitati restituendae iterum inflammatus, facta coniuratione cum Cassio, patrem adoptivum nefarie necavit. Interfecto Caesare Brutus ex Urbe Lanuvium discessit, deinde in Macedoniam profugit. Commissa ad Philippos pugna, qua sors popularium demum exagitata est, cum non temere neque propter ignaviam de se desperaret, de libertate, de republica, contuens cum illis omnia praecipitare atque corruere, certo animo firmatoque, tamquam si adversis sibi et patriae fatis irridere vellet, in gladium pulchre incumbere placuit ac protinus extremum halitum vinculis liberatum in auras tandem efflare.

Val. Max. VI. Mem. 2.8.

Cic. Brut. 24 et 97; I. Acad. 3; V. Tusc. 8; XIII. ad Att. 25.

Vellei. II. Hist. Rom. 70; Flor. IV. Epit. 7.

CV. Multis eum locis laudat Cicero, de eius vero eloquentia fusius loquitur in Bruto, quem ei cum libris compluribus aliis dicatum addixit. Pro temporum ordine eius adnumerantur orationes de dictatura Pompeii, pro T. Annio Milone, pro Appio Claudio Pulchro, in eiusdem laudem, pro rege Deiotaro, laudatio M. Porci Catonis Uticensis, oratio Capitolina, conciones. Postridie eius diei, quo Caesar est interfectus, causam suam et interfectorum ad populum dicere ausus est idque Cicero in epistula ad Atticum memorat: « *Brutus noster misit ad me orationem suam habitam in*

Cic. Brut. 6.24; 97. 331-333.

concione Capitolina, petivitque a me, ut eam sine ambitione corrigerem antequam ederet. Est autem oratio scripta elegantissime sententiis, verbis ut nihil possit ultra. Ego tamen si illam causam habuissem, scripsissem ardentius. Ὑπόθεσις *vides quae sit et persona dicentis. Itaque eam corrigere non potui* ». Quibus statim addit de Bruti dicendi facultate iudicium. « *Quo enim in genere Brutus noster esse vult* » — loquitur de genere illo Attico quod supra memoravimus — « *et quod iudicium habet de optimo genere dicendi, id ita consecutus est in ea oratione, ut elegantius esse nihil possit. Sed ego secutus aliud sum, sive hoc recte sive non recte* ». Bruti nonnulli quoque librorum tituli circumferuntur, in quibus « *De virtute ad Ciceronem* » « Περὶ καθήκοντος » « *De patientia* ».

Cic. XV. ad Att. 1. b.

Cic. I. de Fin. 3; V. Tusc. 1.

CVI. Ex oratoribus, qui Asiatici appellati sunt, auctor et princeps Q. Hortensius Hortalus fuit, qui quidem non industria aliqua et studio factus orator, sed quasi natus statim sine multo usu eius memoriae hominibus visus est. Adulescens undeviginti annorum orationem illam pro provincia Africa dixit maxima omnium admiratione et consensu, qua praetores eius provinciae de pecuniis repetundis accusavit. Munera publica omnia gessit; tribunus militum fuit, quaestor, aedilis curulis — aedilitatem hanc Cicero magnificentissimam fuisse testatur — deinde praetor; cum Q. Caecilio Metello, consul demum. Optimis ita auspiciis curriculum eloquentiae ingressus, saepe in iudiciis adversarius Ciceronis fuit, saepius etiam cum eo causas partitus est, non in reis defendendis modo, sed in incusandis quoque ita tamen, ut perorandi locum, ubi plurimum pollet oratio, semper Ciceroni relinqueret. Nec eo gloriosi tantum laboris aut adversario, aut collega in foro usus est Cicero, sed in accipiendis quoque communicandisque studiis et officiis familiaritate et consuetudine cum eo coniunctissimus fuit.

Sen. ep. 95. 43.

Cic. II. de Off. 16.

Cic. Brut. 51. 190.

CVII. Orationes plurimas, quarum autem ne particula

quidem reliqua est, dixisse multis in causis satis constat. Orationes eius ad sex et viginti apud scriptores memorantur, in quibus praeter illam pro provincia Africa, quam mox nominavimus, sunt pro Nicomede, rege Bithyniae, pro Cn. Pompeio, pro M. Canuleio, pro Terentio Varrone, pro Verre adversante Cicerone, et dissuasiones Gabiniae et Maniliae legum. Germano quodam et recitandi et agendi genere, ac si in scaenis et in theatro miro artificio fabulam doceret, vehementer qui audiebant delectabat. In agendo ei erant pares cum Cicerone virtutes, in scribendo inferiores, quo facilius factum est, ut a posteritate negligeretur. Abundantia rerum ut vivere domi ita verborum copia loqui voluit. Traditur enim primus in mensa pavones posuisse, piscinas extruxisse primus, praeterea multas villas habuisse. Ergo rerum quoque copiam in dicendo insectatus est et verborum abundantiam, qua sententiarum mediocritatem quandam occultabat; oratio tamen et mollis et volubilis, multis luminibus exornata, verborum frequens suoque arbitrio, copiosioris fluminis iustar quod rapiditate ipsa aquarum vix ripis contineri posset, ex eius ore profluebat lateque in audientium auribus usque resonabat. Cum huic dicendi generi nimis indulsisset, suo tamquam genio correptus, miserrime obiit in rostris, ac si in prima acie miles acriter et gloriose decertans morti, suo in munere fungendo, occubuisset. Etenim, cum Appii Claudii causam vehementius ac solitus esset et contentius diceret, propter nimium animi ardorem incredibilemque mentis animique concitationem, rupta venula quadam in pectore, in suggestum concidit, allatusque lectica domum post paucos dies mortuus est. Eius casum Cicero suavissima oratoris perempti recordatione commotus peramanter deflevit in libri prooemio, qui Brutus inscribitur; quod, quem bene cordatum hominen legentem non ad miserationem et ad pietatem movet? « *Cum e Cilicia decedens* » ait « *Rhodum venissem et eo mihi de Q. Hortensii morte esset allatum, opinione*

Brut. passim et praesertim, 88. 301-303.

omnium maiorem animo cepi dolorem. Nam et amico amisso cum consuetudine iucunda tum multorum officiorum coniunctione me privatum videbam et interitu talis auguris dignitatem nostri collegi deminatum dolebam; qua in cogitatione et cooptatum me eo in collegium recordabar, in quo iuratus iudicium dignitatis meae fecerat, et inauguratum ab eodem; ex quo augurum institutis in parentis eum loco colere debebam. Augebam etiam molestiam, quod magna sapientium civium bonorumque penuria vir egregius coniunctissimusque mecum consiliorum omnium societate, alienissimo rei publicae tempore exstinctus, et auctoritatis et prudentiae suae triste nobis desiderium reliquerat; dolebamque quod non, ut plerique putabant, adversarium aut abtrectorem laudum mearum, sed socium potius et consortem gloriosi laboris amiseram ». **Fortunatum! qui talem praeconem invenerit.**

M. TULLIUS CICERO

CVIII. Restat ut ad M. Tullium Ciceronem veniamus, qui non totius modo Latinae eloquentiae lumen et quasi portentum fuit, sed ceterarum quoque disciplinarum auctor et quasi magister omniumque temporum in primis laudabilis scriptor. In agro Arpinati honestissima familia, quam ex regio Volscorum genere fuisse Eusebius tradit, patre vero equestris ordinis a. d. III. Nonas Ianuarias anno sexcentesimo duodequinquagesimo post conditam Urbem ortus est. Etiam adulescentulus Romam in urbem omnium disciplinarum sedem venit, ut honorum stadium, si sibi omnia ad id munimenta necessaria comparavisset, quam maximis viribus quamque citissime posset currere eniteretur. Ingenuarum litterarum magistros Archiam poetam Aeliumque Stilonem nanctus est, quorum ab altero adeo poeticae studio inflammatus est, ut vix sedecim annos natus de Glauci fabula Anthedonii pisca-

Cic. VII. ad Att. 5. 3; II. de Leg. I. 1.

Cic. pro Archia; Brut. 56.207.

toris poematium concinnaret; ab altero vero, equite romano egregioque viro atque eruditissimo, litteras omnes et Graecas et Latinas, antiquitatemque omnem una cum Terentio Varrone Rheatino perstudiose didicit. Ut autem ius civile edisceret multum operae dedit Q. Mucio Scaevolae, qui est *Augur* appellatus, multumque oratoribus cotidie audiendis, qui tunc principes erant, ut Antonius, ut Crassus, ut postea autem Hortensius; quos cum acriter causas dicentes aut inter sese disputantes audiret, et maximo gaudio afficiebatur et ea admiratione tenebatur, ut iam acres in se de eloquentiae principatu contendendo cum illis aculeos sentiret.

CIX. A studiis eum bellum sociale distinuit, cui miles interfuit. Militia vero functus statim ad studia, quae intermiserat, ardentiore animo se contulit. Tum a P. Sulpicio in tribunatu cotidie contionante totum genus dicendi penitus cognovit, eodemque tempore admirabili quodam ad philosophiam studio concitatus Philoni, Academiae principi, qui Romam venerat, totum se tradidit. Eodem anno etiam Moloni Rhodio et actori summo causarum et magistro operam dedit, itemque Diodoto stoico, a quo in dialectica assidue exercebatur. Quibus studiis ita erat deditus, ut et noctes et dies in omnium doctrinarum meditatione versaretur; tamen, ut ab exercitationibus oratoriis nullus dies vacuus esset, et Latine, sed Graece saepius scriberet. In causis partes tunc primas Hortensius agebat; cuius aemulandi studio impulsus, ad causas et privatas et publicas cum adire coepisset anno sexcentesimo sexagesimo tertio pro P. Quinctio herciscundae familiae causam primo dixit. Postero anno, Hortensio adversante, pro Roscio causam publicam primam dixit, tantumque ob eam commendationis habuit, ut nulla esset quae non digna suo patrocinio videretur, idemque maximam de se futurae gloriae expectationem concitaret. Attamen cum summa laboraret gracilitate et infirmitate corporis — nam valetudinem nimio disciplinarum omnium studio amiserat — ut convale-

Cic. Brut. 89. 305-307; I. ad Fam. 13.16. 4; V. Tusc. 39. 113; Brut. 90. 309.

Cic. Brut. 90. 312.

sceret edisceretque aliud remissius et moderatius dicendi genus in Graeciam profectus est. Athenis ergo cum esset biennium versatus, Antiochum academicum, Demetrium Syrum, non ignobilem dicendi magistrum, audivit. Hoc tempore vero arcto amicitiae vinculo sibi T. Pomponium Atticum adiunxit, quem deinceps in amicissimis constantissime habuit, cumque eo simul operam dedit Phaedro et Zenoni epicureis atque Eleusiniis sacris initiatus est. Athenis profectus Asiam totam cum summis oratoribus, quibuscum exercebatur, peragravit. Inde venit Rhodum ad eundemque quem Romae audiverat, se Molonem applicavit. Huius opera dicendi genus penitus mutavit repressa iuvenili quadam dicendi impunitate, qua redundans et supra modum fluens extra ripas interdum crescere solebat. Nimirum cum discessisset ab illa Asiaticorum oratorum copia et verborum abundantia neque ad siccam et nudam et pressam Atticorum orationem penitus accessisset, suum quasi dicendi genus constituit illud, quod medium inter reliqua duo Rhodium nuncupatum est.

Cic. Brut. 91 313-315.

Cic. Brut. 91. 316.

CX. Romam cum rediisset in foro cum claris oratoribus habitare coepit, cum Cotta Hortensioque contendere; gestum et vocem a mimis Q. Roscio Aesopoque, qui placebant in scaenis, ediscere. Quo eodem tempore uxorem duxit Terentiam, et causas nobiles egit, cum quaesturam ipse, consulatum Cotta, aedilitatem peteret Hortensius. Quaestor omnibus suffragiis dein renuntiatus, Siciliam provinciam in annum regendam sortitus est, quam vero ea fide aequitateque administravit, ut patrocinium insulae verius quam imperium nominari posset. Itaque post aliquot annos, cum eius rei gratia eorum patrocinium in Verrem de repetundis accusatum, actionem instituit, quam in omnem memoriam litteris dedit. Anno sexcentesimo duodenonagesimo aedilis creatus ludos ita publice apparavit, ut de industria et sumptibus immodicis parceret et simul illiberalitatis nota vacaret. Praeturam post tres annos adeptus, ultimum ad consulatum gradum fecit;

Cic. Brut. 92. 318.

nam cum legem Maniliam de imperio belli in Mithridatem Pompeio assignando enixe suasisset, popularem auram in se concitavit; cui cum optimatum quoque favor accessisset, quo iam plurimum valebat, tertium quadragesimum annum agens consul in posterum annum omnium gratia primus inter sex adversarios est designatus. Quo consulatu inito, cum Catilinae coniurationem detectam oppressisset, tantam sibi laudem comparavit, ut *Pater patriae* a senatu appellatus sit. Attamen cum patricios quosdam Catilinae socios in coniuratione reos fecisset, eosque ex senatus consulto in vinculis necandos curavisset, et huius rei invidia, postquam consulatu abiit, et privato etiam Clodii tribuni plebis odio — in hunc enim accusatum, quod deae Bonae sacra violasset, testis acerrimus fuerat — hoc ipso ferente lex condita est, qua aqua et igni civibus interdiceretur, si quis sine iudicio capitis poena civem multavissent. Hac de causa, cum legem in se latam esse intellexisset, Roma profugit. Postero die, quam discesserat, cum gravis lex illa sancita esset additaque in eum peculiaris, Thessalonicam in exilium se contulit. Illinc sexto decimo mense ex decreto senatus, suffragiis cunctis totius Italiae Romam rediit, exceptusque ac si triumpharet ad Capenam portam, magno hominum concursu in Capitolium adductus est. Deinceps a publicis muneribus vacuus, cum in studiis sine intermissione versari in foroque frequentior esse coepisset in pristinamque apud cives omnes dignitatem atque honorem rediit; ita factum est ut, turpiter in Asia a Parthis Crasso interfecto, in augurum collegium in demortui locum cooptaretur et inaugurareretur in eodem ab Hortensio. Hoc tempore in iudicio Milonis causam non sine ullo timore dixit; nam oratoris oculos armati milites terrebant et arma, centuriones et cohortes, quibus undique se stipatum et cinctum videbat. Non exstat oratio, quam Cicero recitavit — etenim quae in manibus omnium est, eam scripsit postea — quae perfecta ita est, ut e Quintiliani sententia prima haberi possit.

Cic. Brut. 1. 1.

CXI. Septingentesimo tertio anno post conditam Urbem proconsul in Ciliciam missus est, ibique cum in hostes res bellicas nonnullas egregie gessisset, imperatoremque eum milites dixissent, sperare visus est fore ut triumphus a senatu decerneretur; qua in voluntate vis desiderii quaedam inerat ad sanandum vulnus iniuriae, quam Clodiana lege acceperat. Hinc cum Romam revertit belli civilis incendium extinguere conatus est, quod inter Pompeium Caesaremque simultates excitaverant. Frustra tamen, nam cum vehementius exarsisset, diu anceps fuit utrius partes sequeretur. A Pompeio tandem cum sibi standum esse censeret, anno septingentesimo quinto Dyrrhachium se contulit; at morbo laborans neque pugnae ad Pharsalum, neque ceteris in rerum omnium desperatione strenue quidem a Pompeianis pugnatis interfuit In summis rerum discriminibus satius duxit se Brundisium recipere, quo ei Caesaris victoriae nuntium allatum est; nihilominus a Caesare veniam impetravit, factaque ei Romam redeundi facultate, in studia, tamquam in portum, e civilibus fluctibus perfugium invenit. Temporibus tamen haud penitus cessit; beneficia enim, quae a Caesare acceperat, non eum prohibuerunt, quominus, praesente Caesare, pro Marcello pro Ligario, pro Deiotaro rege, qui arma pro Pompeio sumpserant, libere causam diceret.

Cic. II. ad Fam. 10; XV. 4; V. ad Att. 18. et 20.

CXII. Hoc tempore domesticis quoque curis vexatus est; nam Terentiae uxori — qua quidem de causa incertum est — nuntium remisit; deinceps Publiliam pupillam in matrimonium duxit, aut pupulae amore captus, ut Terentia dictitabat, aut potius pupulae divitiarum desiderio, quibus aes alienum persolveret, ut maledice Tiro libertus aiebat. Attamen amissa paulo post Tulliola filia, in qua effigiem oris et sermonis et animi sui viderat, quamque in oculis habuerat, cum aut aequo aut etiam laeto animo id funus tulisset Publilia, huic quoque repudium scripsit. In reipublicae nocte, quae tristibus umbris offudit omnia et forum libera oratoris

Cic. I. ad Quint. fr. 3. 3.

cuiusque voce penitus orbavit, cum se in Tusculanam villam in litterarum sapientiaeque studia contulisset, eloquentiam, quam vehementissime adamaverat, liberali custodia saeptam domi continuit, ac si eam tamquam adultam virginem ab ignotis ac imprudentibus procis caste tueretur atque ab amatorum impetu, quantum posset, prohiberet.

Cic. Brut. 96. 330.

CXIII. Interfecto Caesare, rempublicam tyranno liberatam ratus, propediem se in fori lucem venturum iterum speravit, quam spem simulac Antonius decepit, qui rempublicam in suum arbitrium atque potestatem facile redigere autumabat, cum bene beateque vivendi esset amantissimus, erecto animo iterum in aciem descendit Antonioque senatus iura usurpanti atque populi libertatem opprimenti, iisdem viribus eadem ratione, qua Philippo Demosthenes, bellum indixit. Ex rostris inquam; nam in Antonium sunt orationes quattuordecim, quae Philippicae appellatae sunt. His reipublicae fortunam iterum inclinantem restaurare visus est adeo ut, nuntio Mutinensis proelii Romam allato, cunctus populus eum domo in Capitolium ovantes adduxerit atque in rostra conscendere iusserit. At nihil id collabentis reipublicae fortunis profuit; nam icto foedere inter Antonium atque Lepidum Octavianumque, hic imperium se unum assequi posse exspectans a popularibus ad optimates defecit; rerum triumviri potiti sunt, Caesarisque nece causa interposita, vim et mortem in adversarios adhibuere. Antonii iussu, quem Philippicis suis orationibus irritaverat, proscriptus est Cicero. Quod cum novisset, properavissetque Italia fuga decedere, dum a villa sua apud Capuam, in quam secesserat, ad mare lectiga defertur, in itinere vi interceptus ab Antonii sicariis necatus est. Caput manusque trunco praecisa Romam ad Antonium delata sunt, qui, femineis execrationibus ex ore lingua excisa a Fulvia eius uxore, in rostris ad credulae et inconstantis multitudinis ludibrium collocari iussit.

Cic. XII. ad Fam. 13.

Respublica Ciceronis eloquentiae flore ac robore orbatur

CXIV. Atroci Ciceronis obitu flos eloquentiae omnis

intercisus exaruit roburque reipublicae intercidit. Etenim interiit ex Romanis postremis haud ultimus vir, qui sane leviculus fuit, neque per adversa usque sibi publice constans; attamen cum in dies omnia corrumperentur, cum morum probitate tum singulari filiae, fratris, amicorum amore floruit; qui temporibus non magis tanto servivit quantum sapienti conceditur; qui in muneribus publicis gerendis, in suadendis legibus vel dissuadendis, utilitatem reipublicae unice spectavit; qui cum provincias administrandas accepisset, a rapacitate et rapinis sese penitus abstinuit, neque deorum templa nudavit, sed humanitate ea usus est, qua sibi plausum conciliaret; qui tanto libertatis studio tantaque in patriam caritate flagravit, ut his unis mentem et doctrinam dicaret; qui cum in terris omnia publico fato iacentia spectaret, non ignobili sui ipsius privato vindicavit fato. Mira qua fuit ingenii celeritate; idem navus natura et industrius, a puero ad extremam aetatem, litterarum et genera disciplinarum fere omnia aut ex aliis delibavit, aut meliora fecit, aut pertractavit. Statim adulescens in poeticam cum se contulisset, praeter poemata, quae ad litterarum quasi usum assequendum ex Graecis primus Latine reddidit, alia nonnulla composuit, aliaque multa aetate provectus; quae quidem, etsi divino poetarum afflatu carerent, tamen concinnitate quadam versuum locorumque varietate adeo distinguebantur, ut a veteribus rerum scriptoribus vehementer laudarentur. De poematis his, quantum ex reliquiis quae ad nos pervenerunt, aut ex monumentis colligi potuit, fusius iam suo loco diximus. Quae oratione soluta conscripsit, longe plura quam quae sermone numeris adstricto exaravit, tum libris, qui de philosophia deque rhetorica sunt, tum epistulis, tum orationibus maximam partem continentur.

Ciceronis indoles et natura

CXV. Christi asseclis secundis, vel abundantia quadam fortunae, accidit ut, clarissimi scriptoris tot hodie exstent monumenta, quae cetera deperdita vehementius desiderare

prohibeant; nam ex orationibus septem quinquaginta, eaeque integrae, prae manibus sunt; fragmenta ex viginti aliis adde nonnulla; adde ceterarum nomina ad triginta. In utroque eloquentiae genere summa cum laude versatus est Cicero; in altero enim, quod forense dicitur, non rabulas modo veteratoresque, quibus forum abundabat, et legum iurisque scientia et oratorio dicendi genere longe valde praestitit, sed clarissimos quoque inter patronos, ut Cottam, ut Hortensium statim princeps exstitit. In altero autem genere, ad quod civiles orationes spectant in primis, quae aut de universa republica, aut de legibus, aut singulis de rebus feruntur, suadendis vel dissuadendis aut abrogandis vel prorogandis, equidem unum Romanorum Ciceronem oratorem summum dixerim atque fama immortalem.

Forense et civile orationum genus

CXVI. Ante consulatum multas privatas causas in iudiciis dixit; in his adnumerantur orationes quae exstant, «*pro P. Quinctio*» de re domestica huic a Caio fratre restituenda, quam pecuniae creditae titulo usurpaverat; tum «*pro Sex. Roscio Amerino*» qui de parricidio a L. Cornelio Chrysogono per C. Erucium quendam in falsam insimulationem vocabatur: nimirum Chrysogonus, quem Cicero in sua oratione acri dente lacerat, hoc iudicio in tutum se recepturum vaferrime sperabat, quod Roscii patrem ipse a Sulla proscriptum necavisset et in auctione patrimonium parvi emisset. His accedunt tum oratio «*pro Q. Roscio Comoedo*» qui Ciceronis in pronunciationis atque gestus exercitatione praeceptor fuerat, tum «*pro M. Tullio*» in Fabium, obscurum de plebe hominem, cuius familia vim fecisse Ciceroni traditur. Celebratissimae autem in hoc genere *actiones duae in Verrem* sunt, qui eximia latrocinia in Sicilia fecerat et «*Divinatio in Q. Caecilium*» quae re et tempore iudicium Verris praecedit. Huius accusandi facultatem sibi attribuit iure multo meliore, quam Q. Caecilius Niger Siculus, Verris assecla, ad se pertinere contenderat, quo accusationem ita

Orationes, quas ante consularem annum habuit

Actio in Verrem

factitaret ut evanesceret. Sexcentesimo octogesimo quarto post conditam Romam anno « *Prooemium primae actionis* » summa vi pronuntiavit, instrumentisque causarum lectis testibusque praeterea quam plurimis productis, ita reum Verrem esse planum fecit, ut Hortensius ipse, cui tunc in causa Cicero multo et aetate et auctoritate inferior adversarius exstiterat, indicta ex sua parte causa de iure patrocinii sua sponte decesserit, Verres autem citius exilium susceperit neque quid de eo iudices ferrent expectaverit. Nihilominus Cicero, ne gloriosi laboris fructu cives defraudaret, actionem secundam conscripsit, quam non recitavit. Haec orationibus quinque constat, quae « *de Praetura urbana* » « *de Praetura Siciliensi* » « *de Frumento* » « *de Signis* » « *de Suppliciis* » inscribuntur. Miram apparet ex his orationibus dicendi maturitatem Ciceronem esse assecutum; earum enim vis ac robur non minus in uberrima rerum copia atque veritate consistit, quam in ipso dicendi genere soluto, perspicuo, vehementi, quod imaginibus, lepidis deverticulis, verborum translationibus frequentissime distinguitur et illustratur.

CXVII. Postero anno « *pro M. Fonteio* » orationem in iudicio habuit. Verres alter hic, tota eum Gallia de repetundis accusante, in Gallia Narbonensi fuisse dicebatur. Verumne id an falsum fuerit ex Ciceronis oratione parum constat; nam nec tota est, nec in partibus, quae supersunt, adversariorum argumenta refelluntur; Galli potius facetissime ridentur qui, capite erecto in foro deambulantes, urbi ferro ignique minitantur. Ceterum sententiam, quam de eo tulerint subsellia, ignoramus. Reliquis annis, qui ante consularem annum fuerunt, ascribitur oratio, quam « *pro A. Caecina* » de iure hereditario habuit; et quam « *pro A. Cluentio Habito* » qui quidem non solum veneficii crimine in vitricum suum Oppianicum indiciis et signis insimulabatur, sed etiam quod in priore iudicio quaestibus iudicum sententias corrupisset, quod quidem et ipse Cicero in defendendo Scamandro quo-

dam liberto aliquomodo probaverat. Quare ut accusationem alteram facile propulsavit, ita artificia excogitanda fuerunt, ut ex altera quoque culpa eum liberaret. His privatis causis alia et re et genere diversa accedit oratio, quam praetor de imperio contra Mithridatem regem Pompeio conferendo ad populum ex rostris dixit. Nam cum lata esset a Manilio, oratione « *pro Lege Manilia* » Pompeius laudibus ornandus fuit; quamquam temperate ornandi copiam est prosecutus. Hac oratione, quam ad consularem annum magnificentissime in posteritatem omnem illustrandum pronuntiavit, gradum ad civilem eloquentiam primum fecit.

Orationes, quas consul habuit

CXVIII. Eodem die quo consulatum iniit, qui dies fuit Calendae Ianuariae sexcentesimi nonagesimi primi anni post conditam Urbem, orationem habuit « *de Lege agraria* » in senatu; ceteras quattuor, quarum ultima non exstat, diebus subsecutis in concione ad populum dixit. Lex agraria, seu Servilia, quam de agris Italiae, Syriae, Asiae, Libyae vendendis et provinciarum, quas Pompeius subegerat, Rullus plebis tribunus tulerat, ut civibus pauperibus lucrum ex agrorum venditione divideretur, Cicerone acriter dissuadente, perlata non est. Eodem anno « *pro C. Rabirio perduellionis reo* » a iudicibus renuntiato causam dixit, quod Appuleium Saturninum, turbulentissimum tribunum plebis, septem triginta annis ante in curia conclusum interficiendum curaverat; neque Rabirium tantum, senem iam, poena exemit, verum optimates quoque et tribunos necis suspicione atque infamia liberavit. Nam tribuni ipsi, sacratis violatis, Saturnino contra ius divinum atque humanum vim atque necem intulisse credebantur. Orationem istam splendidam et civilis sapientiae laude praestantem in contione ad populum dixit, ad quem, contra sententiam magistratuum, provocationem Rabirius fecerat; nihilominus sententia iudicum populi suffragio confirmata atque rata fuisset, nisi Q. Metellus Celer, eius anni praetor, idemque augur, citius dimitti comitia iussisset.

CXIX. Postridie Nonas Novembres eiusdem anni divino quasi nuntio Catilinae coniurationem detexit, alteroque ab his die in turpissimum facinoris auctorem, in Iovis aedibus inter patres sedentem, subita mentis animique inflammatione percitus, quam vehementissime invectus est, ut eum Urbe exterminatum illico in exilium proficisci coegerit. Proxima die iterum in concione, civitate affluente, quae per insidias reipublicae pararentur facinora, civibus ostendit. Coniuratorum consilia coram populo a. d. III. Nonas Decembres tertium repetivit addiditque arma a perfugis apud Allobroges parata iam in patriam inferri. Qua habita oratione ita civium mentes commotae sunt, ut statim oratorem patrem patriae appellarent, statimque in posterum diem senatus in aedes Concordiae vocatur sententiam de coniuratis laturus. In senatu primus Caesar sententiam dixit: placere sibi bona coniuratorum publica populi Romani fieri. At consul, idem suadente Catone, vehementissima oratione, memoratis Catilinae sceleribus, quasi in animo omnia reipublicae mala a Catilina tantum ventura praesagiret, cuius audacia in tot rerum praesentium discrimina civitas venerat, ratus se et suum consulatum ad salutem populi Romani prope fatalem exstitisse, per omnia patres est precatus, si patriae prospicere, si se, si coniuges, liberos, fortunas suas, populi Romani nomen salutemque defendere vellent, supplicium de coniuratis pro nefandissimo scelere sumendum esse decernerent. Quae Ciceronis consulis sententia cum maiori senatus parti placuisset, indicta causa, in vinculis vespere coniurati iugulati sunt. Tenebris ad concubiam noctem offusis, eius rei nuntius cum a Cicerone illo uno verbo « *vixerunt* » ad populum in viis expectantem esset allatus, clamores omnium et admirationes excitavit. Catilinam arma in patriam nefarie inferentem disperatissimeque pugnantem paucis diebus post consul alter Antonius ad Pistorium interfecit. His rerum eventibus, quibus sua tempora dominari visus est. Ciceronis illud:

Orationes quattuor in Catilinam

« *Cedant arma togae concedat laurea laudi* » scite dictum apparet. Sunt quattuor istae in Catilinam orationes, quae optimo iure totius Latinae eloquentiae quasi lumina celebrantur; nam non orationis genere oratorem tantum principem probant, sed vehementi reipublicae studio atque in patriam amore ardentem virum, atque virum plane Romanum, fuisse Ciceronem ostendunt.

Orationes, quas post consulatum ad exilium dixit

CXX Extremo consulatus anno « *pro L. Murena* » causam dixit, qui cum in comitiis consul in annum esset renuntiatus, et a Ser. Sulpicio Rufo, iurisperito haud ignobili, et M. Catone stoico, adversariis eius, de ambitu accusaretur, liber ex iudicio discessit. Deinceps inde ad exilium tres ab eo in iudiciis orationes habitae memorantur, quae quidem exstant. Primam « *pro P. Cornelio Sulla* » dixit, quem aut falsa proditionis insinuatione, ac si Catilinae coniurationi favisset aut quod falsam ipse duceret, facili defensione liberavit. Secundam causam « *pro A. Licinio Archia* » quo magistro puer usus erat, quam venustissime egit; huic enim Archiae homo quidam ignotus, Gratius nomine, ius civitatis negabat, eumque ex lege Papia non alia, ut videtur, causa praeter invidiam cum ceteris peregrinis urbe exterminandum autumabat. In re levicula novo defensionis genere usus est Cicero: nam, facta poetarum laudatione, facunda sane atque concinna, magistrum in integrum restituit. Equidem iudices, arbitror, quibus Quintus, Ciceronis frater, eius anni praetor, praeerat, consularis patroni gratia poetae satis claro, nullo nisi per nefas obstante, civitatem voluisse gratificari, qua iamdiu utebatur. Tertiam vero causam, satis quidem difficilem « *pro L. Valerio Flacco* » suscepit qui post propraeturam, quam in Asia gesserat, de repetundis a D. Laelio postulabatur. Hunc, quamvis multis testibus astrictum, nugis quibusdam adhibitis, quas ab oratione, cum eam edidit, detraxit, gravi periculo lepidissime liberavit.

CXXI. Postquam vero ex populari rogatione ab exilio

revocatus summa cum dignitate in Urbem triumphans ingressus est, quattuor orationes pronuntiavit, quae « *post Reditum in senatu* » « *post Reditum ad Quirites* » « *de Domo sua ad pontifices* » « *de Haruspicum responso* » inscribi solent. Tribus prioribus statim post reversionem senatui, populo, pontificum collegio beneficii accepti gratias peramanter agere voluit et se suaque facta in consulari anno defendere, quae ansam ad eum reprehendendum in exiliumque mittendum adversariis ob odia privata praebuerant. Pontificibus, in oratione ad eos habita, dedicationem domus suae deae Libertati nullam esse ostendit. Quam sententiam senatui quoque proximo anno adversus P. Clodium comprobavit, qui omina ab auguribus accepta atque infausta quaedam prodigia religioni domus Ciceroni redditae vertebat. Non defuerunt, qui orationes istas tamquam subditicias a Tullianis expungendas esse censerent easque recentiori cuidam ignoto declamatori, qui exercitationis causa eas fortasse conscripsisset, ut suas addicerent. Equidem contra eorum sententiae minime assentiendum esse credo; unus enim sonus est istarum cum ceteris certe Tullianis orationibus, atque idem stilus. Neque rursus mihi ab eius ingenio alienum videtur, oratorie gratias egisse civitati, quae cum ipse ad portam Capenam venit, gradus templorum compleverat, ut gratulationem maximo plausu significaret, quae incredibili multitudinis frequentia eum usque ad Capitolium celebraverat. In Capitolio autem, eo loquente, miranda multitudo fuit. Ceterum testis in criticos acres pro se Cicero ipse exhiberi solet, qui eodem anno ad Atticum scripsit: « *postridie [reditus] in senatu qui fuit dies Nonarum Septembr., senatui gratias egimus* »; proximoque anno ad eundem: « *Secuta est summa contentio de domo. Diximus apud pontifices pridie Kal. Octobres. Acta res est accurate a nobis, et si umquam in dicendo fuimus aliquid, aut etiam si numquam alias fuimus, tum profecto doloris magnitudo vim quandam nobis dicendi dedit. Itaque oratio iuventuti nostrae*

Orationes, quibus post reditum ab exilio senatui populoque gratias egit

Cic. IV. ad Att. 1. 5 et 2. 2.

deberi non potest, quam tibi, etiam si non desideras, tamen mittam cito ». Ex quibus manifesto liquet orationes illas non dixisse tantum, sed scripsisse atque ad Atticum sua sponte neque invitatus legendas misisse.

CXXII. Splendorem simul forensem recuperavit; causas enim ad septingentesimum nonum annum post Urbem conditam multas dixit: primam « *pro P. Sestio* » de vi, quam armis, cum esset tribunus, intulisse accusabatur; secundam « *pro M. Caelio* » quem, Clodia instigante, pecuniae, fraudis, veneficii L. Sempronius Atratinus postulaverat; tum tertiam « *pro L. Cornelio Balbo* » de civitatis iure, quod usurpavisse dicebatur; quartam « *pro Cn. Plancio* » qui a Juventio Lateranense, cum quo aedilitatem petiverat, de sodaliciis accusabatur; quintam « *pro C. Rabirio Postumio* » quem socium cum A. Gabinio et reum de repetundis Memmius Gemellus in iudicio fecerat; sextam denique causam celebratissimam « *pro T. Annio Milone* » eo modo egit, quem supra memoravimus. Vicissim inter haec ne ab accusationibus quidem, iustis de causis invitatus, se penitus abstinuit; etenim cum Vatinium quendam, profligatissimae vitae hominem — qui antea in iudicio P. Sextii testis in reum productus fuerat — in manifesto falsi crimine deprehendisset, non modo acerbissime in eum, cum causam diceret, invectus est, sed falsarum tabularum coarguit. In eum itaque postea, cum in iudicio adesset, ita rursum, oratione illa, quae exstat, quaeque « *in Vatinium* » inscribitur, acerbius, si fieri potuit, invectus est, ut patefactis eius flagitiis summum in eum populi Romani odium concitaverit et Ciceronis in eum odium proverbio fuerit; hinc natum illud *Vatinianum odium* quod pro implacabili in hominem quemlibet odio sumebatur.

Orationes, quas extremo aetatis tempore habuit

CXXIII. Ad eloquentiam civilem ceterae orationes pertinent, quas, quotiescumque ei occasio oblata est, aut ad Caesarem, aut ad populum dixit. Perspecto temporum ordine omnes huius generis orationes illa praecedit, quam septingen-

tesimo anno post conditam Urbem «*de Provinciis consularibus*» habuit — nam de his in posterum annum assignandis senatus habebatur —. Non eadem erat patrum sententia: vehementer reipublicae utilitate motus Cicero, ut imperium Galliarum Caesari propter maximas res ab eo gestas prorogandum esse patribus demonstravit, ita A. Gabinio Syriae munus, ita etiam Pisoni Macedoniae abrogandum contendit, propterea quod avare superbeque atque crudeliter provincias administravissent. Auctoritate et gratia, qua post reditum apud bonos cives plurimum valebat, satis facile obtinuit, ut maiorem senatus partem suam in sententiam traheret. Erat in hac re Ciceroni cum Gabinio et Pisone etiam domestica causa. His enim consulibus, Clodius legem illam tulit, ex qua vir consularis et pater patriae in exilium est actus; et praeterea cum senatus frequentissimus a Gabinio atque Pisone quotidie flagitaret, ut de Ciceronis reditu referrent, negotii prorogandi causa hi se rem negabant improbare, sed Clodii lege impediri dicebant, quominus a senatu sententiam rogarent. Adversariorum odia utrimque, post orationem de provinciis habitam, vehementius exarserunt. Piso de provincia cum esset reversus apud patres quotidie conqueri, quod Cicero inique se consectatus esset, in eumque omnibus locis acrius invehi; Cicero vero, occasionem nanctus quam primum potuit propitiam, maledicentius quam ille quidem atque maiore qua in dicendo utebatur dicacitate, oratione publice ei in senatu respondit, quae «*in L. Pisonem*» inscribitur; vehementissime, inquam; nam Piso hic, vir consularis, Caesaris socer, *barbarus*, *Epicurus*, *Clodianus canis*, *volturius provinciae*, *homo deterrimus*, *teter*, *truculentus* appellatur, velut si ut moribus et natura infimam suburbii faecem oleret, eadem haec in genus ipsum et familiam redundaret.

Orationes de rebus ad rempublicam pertinentibus

Oratio de provinciis consularibus

Actio in Pisonem

CXXIV. Ab otio studiorum atque silentio, in quibus, ut diximus, postquam Caesar de Pompeio triumphavit, ex civilibus tempestatibus tamquam in amoenum hortum sese

concluserat, victoris moderatio abduxit. Non enim inertia aut animi desidia, sed desiderio pristinae dignitatis in perpetuum tacere statuerat; at eius consilium fregit et Caesaris magnitudo animi et senatus officium. Itaque cum in senatu iterum esse coepisset vidissetque eandem clementiam, quam ipse expertus erat, in M. Claudium Marcellum, se cunctoque senatu rogantibus, gratiose a Caesare adhibitam, id vehementer miratus, ita Marcelli nomine oratione illa, quae « *pro Marcello* » inscribitur, Caesari dictatori publicas gratias multas egit, ut pro acceptis a se beneficiis eas etiam reddere visus sit. Similitudinem enim rerum suarum cum Marcello videbat. Etenim etiam hic in bello civili ardentius secutus erat Pompeium, quo devicto, ne reipublicae ruinas praesens conspiceret, Mytilenas exul concesserat. Huiusmodi generi duae praeterea orationes accedunt, quarum alteram «*pro Q. Ligario*» alteram vero « *pro rege Deiotaro* » eadem veniae obtinendae causa ad Caesarem dixit; res tamen alteri aliter successit. Priore enim oratione ita ad moderationem et misericordiam Caesarem inflexit, ut Q. Ligario — cui iratus erat, quod etiam post eius victoriam rebus novis obstitisset — cum in praesens reus de vi a Q. Tuberone fieret, et culpae veniam dederit et Romam redeundi facultatem fecerit. Res autem, Deiotari regi venia denegata, non ita prospere processit. Ad irritum tamen penitus non cecidit, siquidem Caesarem continuit, ne poenam a rege sumeret graviorem propter insidias, quas hic illi instruxisse accusabatur.

Orationes pro Marcello, pro Ligario, pro Deiotaro rege.

CXXV. His profecto orationibus, quibus *Dictatoris* laudes maximas celebravit, viro sapienti non minus temporibus quam levitati aliquantum indulgendum fuit. Neque enim honestum litterarum otium aequo animo ferre poterat, quod in publicis malis solacio sibi futurum esse speraverat, neque curia, iudiciis, foro, concionibus, ad quae natura sua trahebatur, omnino carere assueverat. At Caesare interfecto tamquam nihil in victoria moderatius eo novisset, rem publicam

in pristinum statum revertisse ratus fortunae civilium se contentionum denuo commisit, cumque animum viresque recepisset, in Antonium, qui renascentem reipublicae libertatem regie seu tyrannice potius opprimebat, eloquentiae armis de iure publico summa cum dignitate disceptaturus, quattuordecim orationes, quae « *Philippicae* » ab ipso seu etiam « *Antonianae* » appellatae sunt, magna morituri voce conclamavit, iisque nobilissimum oratoris curriculum et vitam finivit. Antonius, qui principem civitatis post Caesaris necem se futurum sperabat, Ciceronem in suam partem trahere, quo posset modo, conatus in senatum invitavit; at hic eo die in senatu esse noluit; postero in eum orationem primam dixit. Civilem sapientiam adhibens, alia Antonii consilia laudavit, alia exprobavit, seque tamen liberae reipublicae fautorem et defensorem exhibuit et apertissime ostendit. In secunda oratione, se ipsum contra Antonium defendit, qui eum participem coniurationis in Caesarem fecisset; dein quae Antonii vitia, crimina, mores a puero fuerint, describit. In ceteris orationibus consules, senatum, populum incitat, urget, ut liberae reipublicae rationibus prospiciant, arma parent, reipublicae hostem Antonium renuntient, bellum indicant, si rempublicam servare velint, a Bruto Cassioque salutem civitatis expectent. Orationem ultimam a. d. XI Kal. Febr. anno septingentesimo undecimo dixit.

Oratio in Antoni, quibus curriculum vitae finivit

Cic. II. ad Brut. 5. 4.

CXXVI. Neminem credo, ex temporum omnium memoria oratorem in iudiciis et concionibus, in foro et in curia, in senatu aut maiore assiduitate habitasse, aut maiore gaudio et contentione in omni eloquentiae genere esse versatum. Ius omne civile et naturale in forensibus iudiciorum disceptationibus aut deliberationum non attigit, sed pertractavit eiusque et usum et scientiam et studium ad reipublicae moderandae rationem sapienter contulit. Quam et quantam rerum ac disceptationum in eius orationibus varietatem! quot publicas et privatas multifariam pertractatas civium causas!

Incredibile in Cicerone eloquentiae studium fuit

quot de legibus condendis, de iure publico, de maiorum institutionibus integris servandis nobilissimas contentiones! Romanorum profecto aut magis eo dixit, aut melius nemo; nemo ex honestissima defensione eorum, qui in ius innocentissimi vocarentur favorem tantum, aut famam ardentius cupiit; nemo in hoc munere fungendo maiorem artem, aut studium, aut firmiorem elatioremque animum posuit. Civili ratione et sapientia orationes illae refertae sunt, quibus rempublicam adversus Catilinam Antoniumque defendit; ob hanc causam cum Demosthene Ciceronem tum animi, tum ingenii, tum eloquentiae civilis laude, non conferendum modo, sed etiam adaequandum puto. Sit nervis et orationis lacertis, quibus se Graecus commendat, Cicero longe inferior; careat hic sententiarum fulminibus et claris quasi verborum ignibus, quibus ille — Iovis instar ex Olympo in homines fulgurantis — fulgurat et micat, adversarios petit et exterminat. At habet vicissim suos impetus noster atque vim et ardores; odiis ex improviso concitatur et indignatur; variis animi motibus non minus exardet quam ille inflammatur. Quis cum in Verrem, cum in Clodium invehitur ardentior illo, cum Pisonem aggreditur, cum Antonium, incitatior quis? vicissim tanti sententiarum copia fluentique verborum ambitu Demosthenem superat, quanti ad Platonem proxime accedit; eundemque suavitate et concinnitate orationis, tum omnium artium atque disciplinarum scientia praestat. Quid? si non eadem in omnibus orationibus aequabilis rerum granditas et magnificentia sententiarum reperitur? Nonne sermones quasi familiares, quibus eos, qui audiunt, docere videtur, et dissimulationes facetissimae, quibus carpit; nonne ioci, fabulae, exempla ad id, quo intendit orator, magno opere valent? Hac ratione Cicero animorum conciliationem et sensuum permotionem in perpetuis orationibus ita fundit, ut sanguis est in corporibus fusus; in iisque quasi sanguis ad molliendos animos incitandosque perenniter fluit.

Ciceronis cum Demosthene comparatio

CXXVII. Maxima fuit in eo, in contexendis exordiis, benevolentiae conciliandae facultas, incredibilis in refellendis adversariorum probationibus subtilitas, mira in rebus narrandis exhibendisque rationibus facilitas. In exordiis plerumque dicendi genere utitur temperato, quod medium rhetores dicunt; at floridior in his quoque et fluens oratio est, atque clarissimis verborum luminibus ornata atque ad mensuram cadens, quae aures delectet. Interdum tamen sine exordio et insinuatione in mediam rem dirumpit, ut in orationibus quas in Vatinium, in Pisonem asperrime dixit. A rhetoribus in exemplum initium primae orationis in Catilinam solet afferri, quo nihil incitatius: «*Quo usque tandem abutere, Catilina, patientia nostra? quam diu etiam furor iste tuus nos eludet? quem ad finem sese effrenata iactabit audacia? Nihilne te nocturnum praesidium Palatii, nihil urbis vigiliae, nihil timor populi, nihil concursus bonorum omnium, nihil hic munitissimus habendi senatus locus, nihil horum ora vultusque moverunt? Patere tua consilia non sentis? constrictam iam omnium horum scientia teneri coniurationem tuam non vides? Quid proxima, quid superiore nocte egeris, ubi fueris, quos convocaveris, quid consilii ceperis, quem nostrum ignorare arbitraris? O tempora! o mores! senatus haec intellegit, consul videt: hic tamen vivit. Vivit? immo vero etiam in senatum venit, fit publici consilii particeps, notat et designat oculis ad caedem unum quemque nostrum. Nos autem, fortes viri, satis facere rei publicae videmur, si istius furorem ac tela vitemus. Ad mortem te, Catilina*», et reliqua. Mira est ceterarum partium convenientia et consensus. Rem enim, de qua senatus vel iudices sententiam laturi sunt, ita exponit, ut verisimilis narratio sit, ut omnibus aperta, ut brevis. Pulcherrimae narrationes in orationibus habentur, quas in Verrem dixit. Omnia non solum ordine componit, sed privata a controversia omnia ad universam vivendi rationem dilatat atque convertit. Causam proponit,

Orationum partes et contextus

Exordium orationis primae in Catilinam

dividit, omnibus ex partibus inquirit, argumentis ac rationibus confirmat; deinde contraria refutat. Admniculis omnibus utitur, exemplis ex historiis desumptis illustrat, iocis, facetiis levat, interpretatione legum et commentatione adversarios perstringit; donec, dicendi genere crebo mutato, urgendo et iocando, irridendo et execrando, ad extremam orationis partem accedit. In peroratione omnes facile vincit. Multis uno tempore motibus concitatur: ira, odio fremit; humanitate, miseratione placatur; iustitiae studio inflammatur et incenditur, pietate restinguitur; sensibus vero et affectibus quam maxime splendescit, qui cum quodam coniunguntur dolore. Perorationes multae laudantur; verum in praecipuis habentur illae, quae orationes pro Sulla, pro Milone, pro Murena concludunt. Insignis est quoque, qua Philippica secunda terminatur; in hac suavis enim recordatio rerum, quas ab adulescentia, ad consularem annum, ad illam diem fecerat, pro republica cum dolore iungitur animi instantem mortem praesagientis atque quasi divinantis: « *Defendi rempublicam adulescens, non deseram senex; contempsi Catilinae gladios, non pertimescam tuos. Quin etiam corpus libenter obtulerim, si repraesentari morte mea libertas civitatis potest; ut aliquando dolor populi Romani pariat, quod iamdiu parturit. Etenim si abhinc annos prope viginti hoc ipso in templo negavi posse mortem immaturam esse consulari, quanto verius nunc negabo seni! Mihi vero, patres conscripsti, iam etiam optanda mors est perfuncto rebus iis, quas adeptus sum quasque gessi. Duo modo haec opto: unum, ut moriens populum Romanum liberum relinquam — hoc mihi maius ab Diis immortalibus dari nihil potest —; alterum, ut ita cuique eveniat, ut de republica quisque mereatur* ». His laudibus, quae ad inventionem atque compositionem spectant, adde orationem imaginibus ac translationibus tamquam stellis illustratam; adde genus dicendi planum, varium, concinnum, numerosum; adde agendi artem, quam a Roscio comoedo

Ciceronianae perorationes

Peroratio ex Philippica secunda

Orationis virtutes et adiumenta

noverat; nihil profecto in eo, quod est perfectissimi oratoris, desiderabis aut mendosum invenies. Hinc accidere solebat, ut simul ac in subsellia locuturus consurgeret, omnes in se audientium oculos mentesque converteret; ut suspensos primo eos incertosque teneret, ut varios in iis animi motus odium, iram, gaudium, pietatem, miserationem, indignationem percieret atque expromeret; hinc denique ut, contracta vi dicendi in extrema peroratione usus, non indoctos modo et plebem, cum in concionibus diceret, sed patres et magistratus atque ipsum Caesarem, et sapientissimos ex Romanis homines, vehementer permotos ad se alliceret, devinciret, in suam, ac si de bonis hostibus triumpharet, traheret sententiam.

Levitatis famam amore libertatis et morte emendavit

CXXVIII. Criticos nonnullos, qui acriore in Romanas res animo utuntur, iudicium ferentes de Ciceronis laudibus haud parum officere nominis eius famae putant, quod non satis sibi constans fuerit. Equidem verum, quod hi uni viri vitio tribuunt, id hominum condicioni, qui tunc fuerunt, ascribo; nam parta adversariorum victoria, quae in bellis civilibus semper insolens est, qui vi quadam aut necessitate novis oboedire rebus debuerunt, temporibus facile indulsisse existimantur. Fortissimi eius memoriae viri, cum rerum omnium conversio facta est, ab adversariorum iniuriis aut morte, suapte sibi manu illata, se eripuerunt, aut in proeliis de reipublicae libertate decertantes procubuerunt; fortissimi autem iidemque sapientissimi, quoad fieri potuit, iniurias omnes atque dolorem aequo animo tulerunt. Libertatem tamen rebus omnibus potiorem Cicero duxit, tranquillitateque optabiliorem. «*Et nomen pacis*» ait «*dulce est et ipsa res salutaris; sed inter pacem et servitutem plurimum interest. Pax est tranquilla libertas, servitus postremum malorum omnium, non modo bello, sed morte etiam repellendum*». Quam ob causam in extrema rerum omnium desperatione, cum civitas sine legibus, sine iure, sine ulla dignitate esse coepisset iamque ad mare fugam iniisset «*taedium tandem [Ciceronem] et*

Liv apud Senec. Suasor. 7.

fugae et vitae coepit, regressusque ad superiorem villam, "moriar,, inquit "in patria saepe servata,,. Satis constat servos fortiter fideliterque paratos fuisse ad dimicandum; ipsum deponi lecticam et quietos pati quod sors iniqua cogeret, iussisse. Prominenti ex lectica praebentique immotam cervicem caput praecisum est».

Liber de Inventione rhetorica

CXXIX. Syntagma de rhetorica arte accuratissime octo, conscripsit, in quibus varia et multiplici ratione omnes eloquentiae partes pertractavit. In libro « *de Inventione rhetorica* » quem vixdum adulescens confecit, Hermagoram rhetorem Rhodium, Cornificium Romanum, qui rhetoricam ad Herennium scripsisse traditur, magistros potiores sequitur. Duobus libris his prima rhetoricae pars, quae est de inventione, continetur. Hos commentariolos postquam magis experiendo quam discendo rerum inveniendarum artem penitus cognovit, aetate iam provecto, vix se dignos et usu existimavit, itaque, iisdem rebus retractatis, expolitissimos atque perfectissimos libros tres composuit, qui « *De oratore* » inscribuntur. In his Crassum, Antonium, oratores superioris aetatis principes, cum oratoribus minoribus eorum aequalibus familiariter colloquentes de eloquendi usu atque praecepta tradentes inducit. In primo libro Quinto fratri disceptationem addicit, ut eius sententiam refellat: hic ad nullam oratoris partem litterarum studia ceterarumque disciplinarum utilia esse censebat; deinde quibus atque quam multis artibus instructus esse debeat orator, copiose docet. In secundo libro de rerum inventione et dispositione agit; altera in argumentis inspiciendis posita est, quae non excogitantur ab oratore, sed e rebus eruta ratione tractantur atque in inveniendis locis atque rationibus, quae in argumentatione ponuntur; altera vero ad ordinem collocationemque rerum ac locorum spectat. In tertio libro figuras orationis, ornamenta, quae ad elocutionem pertinent, agendi rationem, oratoris motus, gestum, vocem locupletissime pertractat. A commu-

Libri tres de Oratore

nibus praeceptis abhorret, scilicet usum, quem ex causis tot tantisque sex viginti annos actis consecutus erat, auctorem veluti praecipuum prosequitur; at Aristotelem Isocratemque non aspernatur, sed ad morem suum et patrium institutum eos interpretatur, et quae antiquorum Romanorum oratoria ratio reapse fuit, eam complectitur, exponit et illustrat. Has ob causas de oratoris arte praecepta tradens, non quid ineptum, nullis coloribus vel fucatis pictum, sed mirum artis opus e grammaticorum et rhetorum quaestiunculis condidit. Nimirum Cicero, non fictam celeritate quadam mentis ad veri similitudinem oratoris imaginem descripsit; sed, se ipsum, quasi exemplar quoddam imitandum poetarum in modum contueri et contemplari desiderans, a semet ipso reapse causas agenti et defendenti in foroque quotidie versanti et assidue sedenti, persimilem sui oratorem ex marmore vel fusili ex metallo effingendum mirum in modum expressit.

CXXX. Rem oratoriam duobus aliis libris continuavit, quorum alter «*Brutus*» seu «*De claris oratoribus*» alter «*Orator ad Brutum*» inscribitur, quibus, ut tractationem expleret tres addidit alios mihi paulo post indagandos. In Bruto ab incunabulis per gradus atque aetates Graecorum primum, Romanorum deinde oratorum omnem memoriam prosecutus, in notam et aequalem incurrit. In historiarum notitiis e veterum annalium monumentis colligendis diligentissimum investigatorem et criticum se exhibet; singulorum oratorum non tempora tantum describit, sed quid in unoquoque probandum sit, quid rursus improbandum notat; de maximis autem oratoribus satis copiose edisserit inter eos comparationem instituens. Summi vero et perfectissimi oratoris imaginem, cui nihil addi possit, quae, in bonorum dissimilitudine oratorum, sit optima species quaedam et figura quasi, liber ad M. Brutum perbelle exprimit; huiusmodi vero orator is habetur, qui multis artibus et multis litteris instructus, ita sententias illustres et grandes inveniat, ita eas

Brutus seu de claris oratoribus

Orator ad M. Brutum

verborum luce, splendore distinguat, ut doceantur ii, apud quos dicat, ut delectentur, ut vehementissime moveantur. *Erit igitur eloquens* » ait « *is, qui in foro causisque civilibus ita dicet ut probet, ut delectet, ut flectat. Probare necessitatis est, delectare suavitatis, flectere victoriae* : *nam id unum ex omnibus ad obtinendas causas potest plurimum. Sed quot officia oratoris, tot sunt genera dicendi* : *subtile in probando, modicum in delectando, vehemens in flectendo, in quo uno vis omnis oratoris est* ».

Cicero Orat. 21. 69.

CXXXI. Reliqui libri tres, quorum paulo supra mentio facta est, « *Partitiones oratoriae* » « *Topica* » « *De optimo genere oratorum* » ceteris longe orationis laude et disserendi ratione inferiores sunt. Primus enim breviter ac summatim praecepta de arte dicendi ea ratione complectitur, qua in scholis tradebantur. Cicerones inter se, pater et filius, colloquentes inducuntur, ut filius a patre sententiam roget, pater respondeat. Ob similem hunc et unum eundemque dicendi modum, ob artem et rationem praeceptorum tradendorum, quae ad tabulas et quasi leges exiguntur, non sine fastidio et molestia a litteratis ipsis hominibus leguntur. In libro, qui de topicis est, inveniendorum argumentorum ars et disciplina continetur; ex Aristoteleis topicis, topica sua memoriter, dum iter in Assiam facit, ex ipso novimus enucleasse et Trebatio misisse, homini in iure prudentissimo, qui in Tusculano, in Ciceronis bibliotheca cum versaretur, cumque fortuite in Topica Aristotelis incidisset inscriptione permotus, ab ipso librorum sententiam sciscitatus erat. In prima parte libri, qui de optimo genere oratorum est, criticorum eorum sententias refellit, qui oratorum genus multiplex et varium esse dicunt tamquam poetarum. Cum enim poematis tragici, comici, epici, melici, dithyrambici, genus quoddam singulare est, suum unicuique proprium et diversum a reliquis; contra unum est genus dicendi perfectum, unus orator summus, qui et docet et delectat et permovet. Docere autem debitum est, delectare

Syntagma minora, Partitiones oratoriae, Topica.

Cic. VII. ad Fam. 19.

De optimo genere oratorum.

honorarium, permovere necessarium. Hinc vero ad id, quod maxime intendit, gradum facit. Etenim cum oratores Romani qui Attici appellantur, Ciceronem exprobarent, quod verborum ornamentis in dicendo copiosior esset, et quaerentes in quo revera genus Atticum tandem consisteret, inter se sine acerbitate disceptarent, adversus eos acutissime quidem de illo genere ita disputavit, ut a disputandi subtilitate ad exempla, quae ratiociniis potiora sunt, controversiam traduceret. Ideo ex Atticis duorum eloquentissimorum, Aeschinis et Demosthenis, nobilissimas orationes « *de corona* » inter se contrarias, ob hanc causam Latine convertit, ut homines Romani *quid ab illis exigant, qui se Atticos volunt, et ad quam eos quasi formulam dicendi revocent intelligant.* Dolet summopere orationes a summo oratore conversas aetatibus exesas evanuisse. Rhetoricis libris, praesertim illis qui de oratore sunt, Ciceronem credo, quae de tota arte dicendi a Graecis acceperat, fecisse meliora; omnia enim tot orationis luminibus illustravit, tantaque arte et studio explicavit et limavit, ut oratio et mollis et perlucens atque flexibilis sit, eademque ad subtilissima quaeque abstrusis de rebus significanda scriptoris arbitrio detorqueatur et effingatur.

Cic. de Opt. gen. orat. 5.

CXXXII. Sapientiae monumenta Latina ante Scipionis quoque et Laelii aetatem fuisse apud Romanos non certis quidem antiquitatis testimoniis, sed indiciis quibusdam atque vestigiis ex Ciceronis sententia suspicamur. Nam cum in Italia floreret Graecia, quae Maior dicta est, a Pythagora primum, deinde etiam ab eius asseclis atque discipulis prope infinitis eae sapientiae voces doctissimae prolatae sunt, quae aures Romanorum quoque non penitus clausas percellerent. Pythagoreus profecto, ut traditum est, immo Pythagorae auditor, rex Numa, fuit quem aequitatem, disciplinam, instituta, religionem civitati mox conditae donasse constat. Carminum originem, quae in conviviis canebantur, auctor in Originibus gravissimus Cato, a Pythagoricis occultius traditis praeceptis

Antiqua Romanorum sapientiae vestigia

a cantu fidibusque repetivit, quibus sapientissimi homines mentes suas a cogitationum intentione ad tranquillitatem traducere soliti erant. At de his hactenus; nam inveniri apud Ciceronem possunt. Sapientiam vero, quae amplissima illa bene beateque vivendi disciplina continetur, longum quidem saeculorum spatium, populus Romanus, quo erat ingenio et instituto ad rerum usum procliviore, vita magis quam litteris prosecutus est. Hanc ob causam profecto accidit ut, cum, bello Tarentino vix confecto, litterae, artes, ceterae Graecorum disciplinae Romae floruerint, philosophiae contra studia vel neglecta vel multos per annos ab omnibus spreta plane defuerint; ab iis enim rerum magnitudine occupationeque distinebantur, sive etiam quod, nullis propositis praemiis, nulli esse usui sapientiam arbitrabantur; idcirco non ab imperitis modo, sed a doctis quoque et doctrina imbutis vehementer sapientia improbabatur. Catonem novimus recusantem, cum tres philosophos illos Carneadem academicum, Diogenem stoicum, Critolaum peripateticum, Romam legatos missos pro iustitia dicentes audivisset, eandemque rursum impugnantes, ita in eos in senatu stomachatum egisse, ut re habita Urbe dimitterentur. Nihilominus his Graeculorum studiis, nihil prohibente Catone, cum ad id tempus delectari coepissent Romani, in suas domos doctissimos peregrinos illos receperunt, qui sibi liberisque sapientiam traderent. Hoc modo, quae philosophorum scholae, clarorum sapientium oblivione in Graecia extinguebantur, eaedem tentoriis aliena in urbe constitutis, revixerunt. In maximis huiusmodi philosophorum disputationibus, nulla certa aut definita ratio et disciplina prae ceteris in Urbe superior discessit, quoad epicureorum inventa, cum praecones Romanos maximos Lucretium, Amafinium, Rabirium, Catium invenissent, hac illac in hominum eruditorum coetus discurrentia Italiam totam occupaverunt.

Cic. IV. Tusc. 1-3.

CXXXIII. Hoc tempore igitur, Graecorum sapientiae cognoscendae causa, poemata illorum Latine reddita sunt,

vel ex doctrinis ipsorum nova confecta, quae paulo supra recensuimus. Hoc loco ea liceat mihi tantummodo nominare. In his praecipua sunt « Φαινόμενα » atque « Προγνωστικά » quae de Arato Cicero vertit, tum « *Empedoclea* » quibus Sallustius Empedoclem interpetratus est; tum duo illa poemata « *De rerum natura* » ab Egnatio et a Varrone Reatino ex iisdem doctrinis composita. Philosophorum Graecorum sapientiam libris sermone soluto compositis scriptores duo hac aetate complexi sunt, Cicero et Brutus, eius aequalis et familiarissimus. Hic enim in illa philosophiae parte, quae de hominum moribus agit, praecipuus stoicorum interpres fuit; in illa autem, quae rerum contemplatione continetur, academicos veteres secutus est. Ex libris, quos « *De virtute* » « *De officiis* » « *De dolore ferendo* » hic scripsisse memoratur, inscriptiones tantum a grammaticis antiquis referuntur; ceterum parum auctoritate valuit apud aequales si Catonem Uticensem excipias, qui cum totam aetatem ad stoicorum praecepta accommodavisset, nobilissima morte vita in extrema eorum imaginem perfectam expressit. De Lucretii vero poemate hoc loco nihil dicendum; nam supra, quantum ad rem nostram spectat, fusius locuti sumus.

Poemata de rebus ad philosophiam spectantibus

CXXXIV. Igitur Cicero epicureorum sapientiae, quae mentes Romanorum occupaverat, minime assentitus — nam adulescens ab Antiocho atque Philone philosophis, qui ex academicorum scholis profecti erant, adiumenta sapientiae ad oratoriam quaesiverat — cum in philosophiae studiis a republica paene remotus extremam aetatem beatam agere statuisset, institutum suum ita tenuit ut, nullis unius disciplinae legibus adstrictus, quid esset in quaque re maxime probabile, semper requireret. Ergo cum Graecorum doctrinas philosophorum, quae ab ipso probarentur, Romanos docere statuisset, ut nihil suum invenire contendit, ita quae ab illis tradita acceperat, ad Romanorum ingenia accommodavit. Hac de causa, praetermissa illa philosophiae parte, quae in rerum

Cic. XIII. ad Fam. 1, 2.

Cic. IV. Tusc. 4.

contemplatione tantum versatur, atque etiam parte altera, quae philosophia naturalis appellatur, summam assecuturum se laudem ratus est, si sapientiam eam, quae tota in actione est, quaeque quid in moribus bonum sit quidque malum, una homines docet, e Graecorum disciplinis et inventis erutam ad artem et rationem quandam exactam in Romanorum utilitatem evulgaret.

CXXXV. Huiusce generis igitur decem libri illi sunt, quos extremo aetatis tempore auctor ipse se conscripsisse testatur. A servanda temporum ratione, quam etiam in enumerandis ex ordine libris, quo editi sunt, sedulo instituimus, hoc loco mihi discedendum arbitror; neque enim omnes exstant, neque integri qui sunt; ceterum potius re ipsa quam tempore alii ad alios propius accedunt. Re inspecta, alii de moribus singulariter hominum sunt, deque eorum officiis, alii de religione; in aliis denique de hominibus generatim et universe inter sese coniunctis, videlicet de societate disputatur. Ad primum genus libri quinque spectant in primis, qui « *De finibus bonorum et malorum* » inscribuntur : tum « *Tusculanae disputationes* » quas cum quinque continuisset dierum scholis — hoc nomine Graeci disceptationes huiusce modi appellant — in totidem libros eas redegit; tum etiam, libri tres « *De officiis* » quos ad Marcum filium misit; tum libelli duo, quorum alter « *Cato maior* » seu « *De senectute* » alter « *Laelius* » seu « *De amicitia* » inscribitur; uterque ob germanum et purum orationis genus ob venustatem, qua illustratur, aureus inter ceteros habendus; demum libellus « *Paradoxa ad M. Brutum* ». His vero omnibus et alii accedebant, qui temporum edacitate, praeter eorum inscriptiones et vestigia quaedam, ex integro evanuerunt. In eorum numero primum locum « *Hortensius* » tenebat; — in hoc enim tamquam in universo prooemio, mirifica quaedam inerat totius sapientiae laudatio in sinum homines invitantis — secundum, liber « *De Virtutibus* » qui rem ad iura et officia pertinentem

explebat; tertium, libellus « *De gloria* » quem pervolutatum a Petrarcha novimus; quartum; opusculum « *De Consolatione* » quod post Tulliae filiae obitum composuit.

CXXXVI. At revertamur ad libros « *De finibus* » in quorum singulis singulae diversarum scholarum sententiae explicantur eaedemque aut exploduntur aut pro Romanorum ingenio comprobantur. In primo itaque libro epicureorum inventa et praecepta penitus perspiciuntur, in altero eadem refutantur ac diluuntur; in tertio probabilis stoicorum de eadem re doctrina ostenditur esse; in quarto item academicorum — ita tamen ut, comparatione inter utramque scholam instituta, eadem esse concludatur academicorum de hac re doctrina ac stoicorum — de utraque fusius in quinto libro disceptatur. In « *Tusculanis disputationibus* » autem disceptatio tota est de bene beateque in his terris vitam agendo: res ergo humanae omnes in controversiam cadunt, quae nos perpetua felicitate spoliare, aut ab illa prohibere videntur; in primisque metus mortis et corporis dolores animique, perturbationes reliquae, in quibus omnibus, cum vicissim, vel uno simul tempore, esse possimus, neminem beatum esse posse satis perspicuum est. A sapientibus est contemnenda mors quia, cum quasi migratio quaedam sit et vitae commutatio, in claris viris et feminis dux in caelum ad deos esse solet, cum quibus perpetuo aevo perpetuaque felicitate post mortem fruuntur. Item a viro sapiente dolor malorum omnium maximus contemnendus et despiciendus est, aut aequo animo ferendus; quod si magnitudine sua tolerari nequeat, morte voluntaria est arcendus. Effrenatae vero cupiditates, desideria, furores, animi anxietates et curae, aut perenni sui quodam imperio moderanda sunt, aut ratione cohibenda, aut sapientia omnino fugienda. Virtutem contra unam ut assequatur, summopere eniti debet, qui sapiens esse velit; haec sola homines et bonos et beatos reddere potest; haec aut non esse mala docet, quae generatim mala esse ducimus,

De finibus bonorum et malorum

Tusculanae disputationes

paupertatem, solitudinem, omissionem suorum, caecitatem, perditam valetudinem, interitum patriae, exilium, servitutem, aut nobis fortitudinem, ut arma, subministrat. Ex conlatione virtutis cum malis ad vitam cunctam agendam legem valere credamus *aut bibat, aut abeat* quae in Graecorum conviviis obtinebatur: atque recte deinde, quas fortunae iniurias ferre nequeamus, eas fugiendo relinquamus. Librorum argumentum ipse ita enucleatim alibi exponit: *Libri Tusculanarum disputationum res ad bene vivendum maxime necessarias aperuerunt. Primus enim est de contemnenda morte, secundus de tolerando dolore, tertius de aegritudine lenienda, quartus de reliquis animi perturbationibus, quintus docet ad beate vivendum virtutem se ipsam esse contentam* ».

Cic. II. De div. 2.

CXXXVII. In disputatione, quam « *De officiis* » instituit, rerum seriem continuat, cui fecerat initium de finibus disceptans. Nam cum officiorum quaestio duplex sit, altera, quae pertinet ad finem bonorum, altera, quae in praeceptis posita est quibus usus vitae conformari possit, ex prima, de qua libris illis iam disputaverat, ad alteram explicandam progreditur. In rebus agendis honestumne quid factu sit, an turpe primum exquirendum; tum utrum id ad vitae commoditatem conducat, necne, inspiciendum; demum an pugnet cum honesto, quod utile esse videtur. Quae quidem quaestiones tres tribus libris continentur; in iisque explicandis praeceptisque tradendis stoicos potissimum non ut interpres, sequitur, sed ut solet, e fontibus eorum iudicio arbitrioque suo quantum quoque modo videtur haurit. Praecipuam huius operis illa in parte laudem invenio, in qua reipublicae regendae rationem arctissimo vinculo coniunctam cum moribus privatorum ac disciplina esse docet; qua de causa, memoratis maiorum exemplis, aetatis suae exagitat homines, qui specie quadam omnium utilitatis privata iura pervertunt atque pessumdant.

Disputatio de officiis ad filium

CXXXVIII. In libro autem qui « *De senectute* » inscribitur, Cato, vir integris maiorum moribus ac vigente repu-

blica, praeclarissimus, mirificum senectutis elogium profert. Quattuor hic, animo complectens, reperit causas, cur senectus misera videatur: «*unam, quod avocet a rebus gerendis, alteram, quod corpus faciat infirmius, tertiam, quod privet omnibus fere voluptatibus, quartam, quod haud procul absit a morte*». His vituperationibus explosis, quibus generatim senectus incusari solet, non omnium modo aetatum eam auctoritate, dignitate honoratissimam esse et haberi ostendit, sed multis quidem atque iustis de causis adulescentia ipsa animosiorem et fortiorem esse contendit, dummodo bonis adulescentiae fundamentis sit constituta. Amicitiae in libro « *De amicitia* » pulcherrimam laudationem Laelius facit; nam primum eam omnium divinarum humanarumque rerum cum benevolentia et caritate summum consensum esse ducit; tum quibus causis inter homines nascatur, docet; deinde, a quo quibusve rationibus sit expetenda, disceptat; demum quae munera, quae officia, quae gaudia, quae bona inter amicos pariat, copiose atque elegantissime ostendit. In ultimo libro, ad hoc genus philosophiae spectante, qui « *Paradoxa* » inscribitur, stoicos imitatus philosophos, qui sententias a communi sensu abhorrentes proferunt et minutis interrogatiunculis veras esse probant, illa ipsa communia, quae vix in gymnasiis et in otio stoici probant, ludens in communes locos libello coniecit, de quibus et sapientes disputant. Sex itaque in hoc continentur sententiae, quarum unaquaeque, ut prima illa « Ὅτι μόνον τὸ καλὸν ἀγαθόν » seu *quod solum bonum honestum* in disceptationem vicissim cadit; atque etiam illa postrema « Ὅτι μόνος ὁ σοφὸς πλούσιος » quae, cum idem sonet atque *quod solum sapiens dives*, perbelle opusculum iocosum concludit.

De senectute

Cic. de Senect. 5. 15.

De amicitia

Paradoxa

CXXXIX. Ad secundum autem sapientiae genus, quod supra statui, libri tres « *De natura deorum* » pertinent, duo praeterea « *De divinatione* » denique unus « *De fato* »; in quibus de universa re religiosa disputatur. Quae de natura deorum ab epicureis, a stoicis, ab academicis tradebantur

De natura deorum

inventa, ea in primo opere refert, ut nonnulla delirantium somnia dicat, alia non penitus absurda esse ducat, alia ad veritatis similitudinem propensiora censeat. Quid vero ipse de deorum natura sentiat, haud facile patet, quamvis pro certo deos esse credat, eosque pie sancteque venerandos esse doceat. In secundo, quod est de divinatione, praesensionem aut certam rerum scientiam futurarum ex signis et ex prodigiis, quae dicuntur, colligi posse negat, lepidissimeque homines ridet, qui in arte assidue versantur, quam Graeci « μαντικήν » appellant. In libris de fato sententias stoicorum, praesertim refellit, qui omnia aut honesta aut scelerosa quae hominum voluntate fieri dicuntur, ita fato quodam contineri arbitrantur, ut, causis liberis semotis, ex necessitate causarum ante deorum numina constituta, in suum quaeque tempus certissime eveniant. Quibus rursum philosophorum deliramentis refutatis, quam pro patrio iure atque sapientia praestitutam agendi potestatem esse noverat, eam hominibus inesse docet, ut quidquid agere velint, id libere ex voluntate queant neque ad ea, quae nolint, ullo modo intrinsecus cogantur. Patet ergo ex disceptatione occasionem libenter captavisse, ut legum sanctitatem, poenarum atque praemiorum, quibus homines pro rebus actis afficiuntur, quibusque respublicae florent, totam in certis quibusdam philosophorum ratiocinationibus verisque sententiis consistere probaret.

De divinatione

De fato

CXXXX. Ad tertium genus libri de civili sapientia pertinent, quorum alteros « *De re publica* » alteros « *De legibus* » inscripsit. Platonem de hominibus mente sua fictis disserentem secutus est — rempublicam hic illam perfectam sane, sed caelicolis in nubibus insidentem excogitaverat — non tamen Cicero speciem perfectae reipublicae sibi ad Platonicum exemplar effingendam constituit; sed qualem et rerum usu et germana clarissimorum virorum sapientia rempublicam sensim sine sensu, novis usque legibus conditis, veteres illi patres civitatis imagini consentientem conformaverant, eam

Libri de Republica

Ciceronis propositum

sanc et optimam esse et perfectissimam omnium populorum qui aut tunc essent, aut ante eos floruissent, rerum tabulis ac testibus planum facere aggressus est. Non igitur ad eam rempublicam, in qua pauci iique optimates dominabantur, qualem propter bella civilia tunc evasim videbat, intentionem convertit; sed integrae maiorum disciplinae desiderio quodam commotus, oculorum aciem potissimum in eam defixit, quam ex rerum domi bellique gestarum monumentis summopere viguisse noverat. Scipionis enim Africani Minoris aetate, dissensionibus omnibus de iure aequando inter cives sapientissime compositis, quae tot eam annos perturbaverant, cum ex iure aequo a bonis civibus una cum popularibus leges civitati describerentur, facta omnium in republica gerenda conspiratione, civitas illa bene constituta orta est, ut Scipionis iussu publicae deorum rogationes immutarentur; neque in posterum dii de republica, quae esset conservanda potius quam amplificanda, rogarentur. Videlicet descriptio illa civitatis tunc primum facta est, eaque instituta, eaeque leges conditae, quibus populus universus ex patribus et plebe mixtus rempublicam maxima ordinum concordia administraret. Quae quidem aequabilis in republica civium compensatio, cum Ciceronis memoria novis rerum eventibus procubuisset atque in optimatum beneficium civitatis detrimento vertisset, ea rerum omnium commutatio evenit, ut non libera respublica modo, sed et civitas ipsa magis magisque in dies proclivius in perniciem collaberetur. Consularis homo et in republica exercitatissimus in pristinum eam statum a corruptione revocari posse ratus est se, patriae patrem, etsi muneribus orbatum, sua sapientia reipublicae incolumitati profuturum sperans, spissum opus et operosum exarare instituit, quo cives reipublicae bene regendae artem doceret.

Val. Max. IV. Mem. I. 10.

Cic. IV. ad Att. 16; II. ad Quint. fr. 14.

CXXXXI. Quo in conficiendo cum in Pompeiano, in Cumano, in Tusculano assidue elaboraret, de totius eius contextu et in libros distributione consilium rationemque

mutavit. Nam sermonem, quem in novem et dies et libros primum de republica exigere statuerat, in sex libros et dies tres contraxit. Item dubitavit sermonemne alternum sibi Platonice adhibendum necne et clarissimos eiusdem aetatis viros de republica inter se loquentes faceret, aut ipse in hac sua memoria primas ageret disceptantis partes. Etenim in Tusculano cum esset, legissetque, audiente Sallustio, duos primos libros « *de optimo statu civitatis et de optimo iure* » admonitus est ab illo multo maiore auctoritate illis de rebus dici posse, si ipse loqueretur de republica, praesertim cum non esset Heraclides Ponticus, sed consularis et is, qui in maximis versatus rebus esset: neque ea, si ita id ageret, visum iri ficta esse, quod tam antiquis hominibus attribueret. In hanc Sallustii sententiam et ipse per se movebatur, quod essent aetate inferiores, quam illi qui loquerentur. Ab hoc tamen consilio ineundo eum timor distinuit, ne, in sua tempora incurrens, offenderet quemquam. Hanc ob causam quae ipse de republica sentit, Scipionis ore praeclarissimi viri cum Philo, Laelio, Manilio, Mummio disputantis, audientibus vero adulescentibus quibusdam, Tuberone, Rutilio, duobus Laelii generibus, Scaevola Fannioque, copiosissime exponit et incredibili disciplinarum omnium scientia, iuris, legum, institutorum, et historiarum notitiis explanat atque illustrat. Vexatissimos ab auctore libros media quoque, quae dicuntur, tempora crudelissime vexaverunt. Ab extrema internecione praeter « *Somnium Scipionis* » quod ultima parte libri sexti continetur, a Macrobio suis in libris integre relatum, praeter locos alios, quos a Lactantio, a Nonio, a Prisciano referuntur acerrimus ille veterum scripturarum indagator Angelus Mai nobis posteritatique omni librorum partem invenit atque servavit. Eorum enim duos fere integros miraculo quodam e palimpsesto Vaticano erutos in lucem edidit, in quo, novis super litteris inscriptis, in occulto latebant.

Cic. III. ad Quint. fr. 6.

CXXXXII. In huius operis prooemio Cicero sui ipsius

imaginem eo dignitatis sensu exhibet ac si praesentiat se, quamvis publicis honoribus omnibus in solitudine orbatum, immortalitatem ob merita sua in posteram memoriam esse assecuturum. « *Quamquam* » inquit « *casus nostri plus honoris habuerunt quam laboris, neque tantum molestiae, quantum gloriae, maioremque laetitiam ex desiderio bonorum percipimus, quam ex laetitia improborum dolorem* ». Se ipsum quoque extrema huius prooemii obscurata oratione designat: « *Neque enim est ulla res, in qua propius ad deorum numen virtus accedat humana, quam civitates aut condere novas et conservare iam conditas* ». Hinc novendialibus iis feriis, quae Tuditano et Aquilio coss. fuerunt, inter colloquentes, veluti in arce sapientiae collocati, sermo instituitur ut, quibusdam, Platonis more, de sole, de caelo astris adstricto, ineundae disceptationi praemissis, Laelium a Scipione ita de republica sententiam ex improviso sciscitantem inducit, ut sermonem in rem, de qua disceptare proposuerat, eleganter adducat. In primo itaque libro, quid sit respublica definitur, et quo modo inter coetus hominum potestas oriatur; tum cuius consilio regenda, ut diuturna sit, indagatur. Deinceps tria civitatis genera distinguuntur; primum, cum omnium rerum summa penes eum est, quem regem vocamus; secundum cum est penes delectos, ita ut civitas optimatum tantum arbitrio regi dicatur; tertium autem est civitas popularis, in qua apud populum omnia sunt. Quorum trium generum quodvis, si teneat commune iuris et utilitatis vinculum, quod homines inter se, reipublicae causa, primum in societatem devinxit, non perfectum illud quidem neque optimum est, sed tolerabile tamen, ut aliud alio possit esse praestantius. Memoratis inde uniuscuiusque mendis imperii et vitiis, quartum quoddam genus reipublicae maxime probandum et anteponendum esse concludit, quod est ex tribus his, quae in illis insunt, permixtum et ad aequabilitatem maximam moderatum.

Cic. 1. De rep. 4. et 7.

CXXXXIII. A perpiscua disputandi ratione ad exemplum

memorandum, quod ex vetustatis monumentis exprimere statuerat, in secundo libro disceptionem convertit; in quo ex ore eorum, qui disputant, quae quantaque fuerit maiorum respublica ostendit. In tertio libro de iustitia disceptatur, sine qua rempublicam nullo modo regi posse demonstrat. Philus enim, suscepto improbitatis patrocinio, vituperationes illas, quas multis subtilibusque ratiocinationibus Carneades, vir acutus sane, sed petulans, contra iustitiam dixisse tradebatur, tamquam si excogitaret ipse, Scipioni in contrariam partem disserenti opponit, quo facilius ex rebus contrariis verum et certum resultet. Ex disceptatione legem veram illam Scipio esse concludit, quae iubendo ad officium vocet, vetando a fraude deterreat; eam et sempiternam et constantem et ab ipsa natura cunctos in homines esse diffusam; ea tandem leges quae ab hominibus in republica fiunt, et iustitia, quae societatem humanae coniunctionis aeque administrat atque tuetur, tamquam solido in fundamento nituntur. Quarto autem libro, quantum paucis admodum ex fragmentis, quae ad nostram memoriam manent, colligere licet, materiam et silvam rerum quasi infinitam mores praebebant maiorum, domesticae laudes, publica privataque instituta, quae singillatim ad unum enumerabantur et iis laudibus afficiebantur quibus, si fieri posset, cives eius aetatis ad ea imitanda impellerentur. Frugalitas maiorum, animi moderatio, abstinentia, ceterae virtutes praedicabantur; de re domestica, de sumptibus, de amore coniugali, de reliquis inter coniuges officiis, parentum in filios, rursu sliberorum in parentes, multa pro maiorum institutis tradebantur praecepta. Hinc in quinto libro sermonem ad eam puerorum instituendorum rationem trahebat, ex qua cives et domesticis probissimi moribus provenirent et in republica quoque regenda exercitatissimi; haec puerorum instituendorum ratio, quae legibus cognoscendis et breviloquentia servanda continetur, arma satis idonea ad munera publica obeunda videtur.

CXXXXIV. In ultimo denique libro, quo facilius ad sua tempora—hac enim mente disputationem inierat — rem totam perduceret, de rerum publicarum eversionibus quaestio fiebat; quibus eae de causis oriantur; qui ex nefandissima inter unius civitatis cives discordia, simultates, odia proveniant; quorsum postremo quantoque omnium salutis detrimento, exortis inde bellis civilibus, se vertant. Hinc sermo in explanandam legum describendarum rationem incidebat, qua adhibita, veteres illi rerum publicarum conditores et moderatores honestissimam suam quisque civitatem effecerant et fortissimam. Deinde de rebus ad religionem spectantibus multa docebat, de deorum pietate atque cultu, de sacrificiis, de precationibus, de diebus festis; de mortuorum denique manibus, quorum adiumento deorum numina placantur et respublicae ab hominibus conditae divino iure sanciuntur. Extremo vero libro celebratissimum «*Somnium Scipionis*» tamquam mirificum exodium adiecit; mirificum hercule somnium; nam cum Scipionibus ipse, quod rempublicam servavisset, ex his terris rutilantia ad astra scandere et in coelestem orbem invehi visus est stellis ornatum, a quo sermonis initium.

CXXXXV. His libris accedunt tres, quos «*De legibus*» composuit. Quorum in primo leges scriptas profecto a lege aeterna, quae ius universum dicitur, in hominum animis divinitus iniecta, depromendas esse contendit; in secundo libro de iure pontificum agit; in tertio de magistratibus et eorum muneribus disserit. Ad universam denique philosophiam generatim spectant, ut non uni potius magis quam alteri trium generum, quae diximus, ex integro addicantur, quaestiones illae de optimo philosophiae genere, quas primum in duos libros exegerat, alterum «*Catulum*» alterum «*Lucullum*» quos deinde ita in ipso perpoliendi labore dilatavit, ut in quattuor distribueret. Hos ad Terentium Varronem remisit et quia in villa sua ad Puteolos, quam exemplo Athenarum Academiam vocare solitus erat, eos ex integro refecerat

Libri De legibus

Cic. IX. ad Fam. 8.

«*Academicos*» cum retractatos iterum foras emisit, inscriptos voluit. Aetatem «*Luculli*» fragmenta pauca ad nostram usque memoriam tulerunt; at vero exstat «*Academicorum*» liber primus extrema parte in codice a tempore exesus. Res in eo continentur, quae non parum delectationis habent; etenim notitiam philosophorum Graecorum omnem a Socrate ad Carneadem Cicero per gradus complectitur.

Cicero Graecorum sapientiam evulgavit et oratione sua illustravit

CXXXXVI. In his libris de philosophorum sapientia conficiendis Graecorum morem imitatus, scholas et ipse habere instituit; nam cum ponere iussisset, de quo quis audire vellet, de eo aut sedens aut ambulans, ut est in prooemiis, aut ipse cum amicis disputabat, aut eos inter se disputantes faciebat. Ex disputationibus inde reapse habitis, ex iisque quae numquam habitae essent, ut mos dialogorum concedebat, sermones alternos conficiebat, ac si res non narraretur, sed ageretur. De laude quam omnium sententia in hoc quoque litterarum genere meritus est, parvam partem tantum sibi ipse adscribit; ad Atticum enim de his libris haec scribit: «Ἀπόγραφα *sunt, minore labore fiunt, verba tantum adfero, quibus abundo*». Verecundius mihi videtur iudicium, quod ipse de se profert: nam ea omnia, quae a Graecis deprompsit pumice Romana, idest Romana sapientia, perfecit, perpolivit, accommodavit. Multa quoque nova ex domestico rerum usu ipse adiecit, multa quoque minus Romanorum ingeniis, legibus, institutis congruentia subduxit, omnia denique iis coloribus pinxit et verborum luminibus propriis illustravit, ut suum germanum quid et peculiare, ex universa Romanorum stirpe natum, a legentibus scripsisse credatur. Quod ad orationem spectat, si Platonem excipias, pleniorem eam ac esset in Graecis, atque elegantiorem effecit. Id ipse in se facile agnoscit. «*Nec vero hoc arroganter dictum existimari velim. Nam philosophandi scientiam concedens multis, quod est ornate dicere, quoniam in eo studio aetatem consumpsi, si id mihi adsumo, videor id meo iure quodam modo vindicare*».

Cic. XII. ad Att. 52.

Quae quidem laus valde crescit, si modo prae oculis nobis verborum « *egestatem* » ponamus, qua se laborare Lucretius profitetur; rursusque Ciceronis abundantiam et copiam et concinnitatem, atque orationis venustatem et varietatem colorum consideremus, quibus, summa qua solet in ceteris operibus arte, poeticis verbis sententiarum granditatem illuminat.

CXXXXVII. Ciceronis aureae epistulae exstant complures, quas vivo quidem auctore et post eius mortem a M. Tullio Tirone liberto animo in patronum gratissimo in unum collectas esse memoriae proditum est. Hic, conquisitione hinc illinc facta, quam maximam potuit, centenas invenit easque ita distribuit, ut quas « *ad Familiares* » miserat in sedecim, quas « *ad Atticum* » quem vehementissime amabat, tamquam alterum fratrem, in totidem digesserit libros « *ad Quintum fratrem* » in tres « *ad M. Brutum* » demum in duo. De multis variisque rebus cum amicis pluribus, cum Terentia uxore, cum Tulliola filia in illa prima domesticarum litterarum corona peramantissime loquitur, in quibus rerum suarum et publicarum quoque notitia et silva quaedam latet infinita. Inter istas nonnullae inveniuntur commixtae, quae ad eum ab amicis quibusdam rescriptae sunt. In epistulis vero, quas ad Atticum misit, virum sane praeclarum et a reipublicae muneribus abhorrentem unisque eundem litterarum studiis deditum, non de suis modo rebus sermo est, sed de iis praesertim quae ad rempublicam spectant sententia fertur, idque tanta fit iudiciorum copia, ut eas dedita opera ita scripsisse suspicari liceat, quo et suam de his rebus tutius sententiam ferret et ab aequissimi animi homine prudentissimique ipse probaretur. Ex litteris vero ad Quintum fratrem missis memoratu in primis dignissima est ea, qua ei, cui Asiae imperium in tertium annum prorogatum erat, egregia de provinciarum administrandarum ratione praecepta tradit, eundemque cohortatur ut famae suae, quam minus secundam esse noverat, in posterum humanitate aequabilitateque in iure

Ciceronis epistularum libri

Cic. I. ad Quint. fr. I.

dicundo consulat magis. Libri autem epistularum duo, quas misit ad Brutum, eiusne sint necne, multis utrimque argumentis criticorum, qui dicuntur, in contentione adhuc positum est. Non enim desunt, qui eas a rhetore quodam recentiore ex Cicerone expressas imitatione esse censeant; nos autem, cum longum sit rem totam huc et referre et ex nostra sententia iudicare, in controversia doctissimorum relinquimus et humanistarum auctoritatem sequemur, qui illas Ciceronis esse ne in dubium quidem revocaverunt.

Somnium Scipionis

CXXXXVIII. Tractationem hanc non concludam, quin Scipionis somnium referam, quod cum legere solitus essem, incredibili delectatione afficiebar. Est enim in illo mirifica reipublicae species, qualis melioribus temporibus floruit, poeticis quibusdam coloribus picta et divino quasi lumine illustrata; est insatiabilis quaedam cupiditas et certa quasi expectatio immortalitatis, cui constantissime nobilissimus scriptor Romanorum omnium studuit. At non meis verbis somnium referam, ne deteriorem faciam rem, quae in litteris Latinis habetur in pulcherrimis. Scipionem Aemilianum somnium narrantem inducit, qui, Masinissae domo apparatu regio acceptus, postquam cubitum discessit, habuit in nocte: « *Africanus* » ait « *se ostendit ea forma, quae mihi ex imagine eius, quam ex ipso erat notior; quem ubi agnovi, equidem cohorrui, sed ille: Ades, inquit, animo et omitte timorem, Scipio, et quae dicam trade memoriae. Videsne illam urbem, quae parere populo Romano coacta per me, renovat pristina bella nec potest quiescere? — ostendebat autem Carthaginem de excelso et pleno stellarum illustri et claro quodam loco — ad quam tu oppugnandum nunc venis paene miles. Hanc hoc biennio consul evertes, eritque cognomen id tibi per te partum, quod habes adhuc a nobis hereditarium. Cum autem Carthaginem deleveris, triumphum egeris censorque fueris et obieris legatus Aegyptum, Syriam, Asiam, Graeciam, diligere iterum consul absens bellumque maximum*

conficies, Numantiam exscindes. Sed cum eris curru in Capitolium invectus, offendes rem publicam consiliis perturbatam nepotis mei. Hic tu, Africane, ostendas oportebit patriae lumen animi, ingenii consiliique tui. Sed eius temporis ancipitem video quasi fatorum viam. Nam cum aetas tua septenos octiens solis anfractus reditusque converterit, duoque ii numeri, quorum uterque plenus alter altera de causa habetur, circuitu naturali summam tibi fatalem confecerint, in te unum atque in tuum nomen se tota convertet civitas: te senatus, te omnes boni, te socii, te Latini intuebuntur; tu eris unus, in quo nitatur civitatis salus, ac ne multa, dictator rem publicam constituas oportet, si impias propinquorum manus effugeris. Hic cum exclamasset Laelius ingemuissentque vehementius ceteri, leniter arridens Scipio: St! quaeso, inquit ne me e sommo excitetis et parumper eius audite cetera. Sed quo sis, Africane, alacrior ad tutandam rem publicam, sic habeto : omnibus qui patriam conservaverint, adiuverint, auxerint, certum esse in caelo definitum locum, ubi beati aevo sempiterno fruantur: nihil est enim illi principi deo, qui omnem mundum regit, quod quidem in terris fiat, acceptius quam concilia coetusque hominum iure sociati, quae civitates appellantur ; harum rectores et conservatores hinc profecti huc revertuntur ». In secunda parte eadem orationis suavitate patrem suum Paulum sibi in somnio advenientem obtulisse narrat, quem ut vidit, vim lacrimarum profudisse. Hic filium ad se in caelum venire optantem properantemque ostendit piis omnibus retinendum animum in custodia corporis, nec iniussu eius, a quo ille est hominibus datus, ex hominum vita migrandum esse, ne munus humanum adsignatum a deo defugisse videantur. Deinde ad virtutes colendas eum adigit. « *Sed sic, Scipio, ut avus hic tuus, ut ego, qui te genui, iustitiam cole et pietatem, quae cum magna in parentibus et propinquis, tum in patria maxima est ; ea vita via est in caelum et in hunc coetum eorum, qui iam vixerunt, et cor-*

pore laxati illum incolunt locum, quem vides — erat autem is splendidissimo candore inter flammas circus elucens — quem vos, ut a Graiis accepistis, orbem lacteum nuncupatis». Pulchritudinem caeli describit et stellarum magnitudinem, quae terrae magnitudinem vincunt, dulcemque sonum, qui intervallis disiunctus imparibus, sed pro rata parte ratione distinctis, impulsu orbium efficitur et acuta cum gravibus temperans variis aequabiliter concentibus undique sonat auresque suavissime complet. « *Haec ego* » addit « *admirans referebam tamen oculos ad terram identidem. Tum Africanus "Sentio,, inquit « te sedem etiam nunc hominum ac domum contemplari; quae si tibi parva, ut est, ita videtur, haec caelestia semper spectato, illa humana contemnito. Tu enim quam celebritatem sermonis hominum aut quam expetendam consequi gloriam potes?*» Aeternam et infinitam gloriam in terris adsequi viros posse negat; terra enim ipsa angustis finibus continetur et fama oblivione posteritatis extinguitur; quocirca in praemiis humanis spem non ponendam esse ait, sed in melioris aevi exspectatione. Naturam propriam animi exercendam esse optimis in rebus, ut bene meritis quasi limes ad caeli aditum pateat. « *Sunt autem optimae* » concludit « *curae de salute patriae, quibus agitatus et exercitatus animus velocius in hanc sedem et domum suam pervolabit: idque ocius faciet si iam tum, cum erit inclusus in corpore, eminebit foras et ea, quae extra erunt, contemplans, quam maxime se a corpore abstrahet. Namque eorum animi, qui se corporis voluptatibus dediderunt earumque se quasi ministros praebuerunt impulsuque libidinum voluptatibus oboedientium deorum et hominum iura violaverunt, corporibus elapsi circum terram ipsam volutantur, nec hunc in locum nisi multis exagitati saeculis revertuntur* ». Divina haec sunt et praestantissimo viro digna. Socratem enim in eo alterum apud Platonem de animorum immortalitate disputantem deprehendunt; quae autem de loco claro et stellarum illustri

civitatum rectoribus assignando insunt, philosophorum laude oratoris et rhetoris laudes explent et cumulant. Hinc Quintiliani de Cicerone iudicium, quod litteratum hominem universum complectitur: « *Nam mihi videtur M. Tullius cum se totum ad imitationem Graecorum contulisset, effinxisse vim Demosthenis, copiam Platonis, iucunditatem Isocratis* ».

Quint. X. Institut. I. 118.

PUBLIUS VIRGILIUS MARO

CXXXXIX. Epicum poema, ut a Ciceronis temporibus ad memoriam Augusti progrediamur, hoc felicissimo saeculo ad maturitatem eam pervenit, ut Camoenae, Heliconiis sedibus relictis, in Italiam demigrare visae sint. Gentibus enim pacatis, expectata candida pax et quasi saeculorum tranquillitas, poëtarum florem, Virgilium fudit, qui, cum amplitudinem imperii et Romani nominis magnificentiam suis concelebravisset carminibus, beatissimi saeculi effigiem marmore expressam insculpsit. P. Virgilius Maró, clarissimus litterario in orbe poeta, natus est Ande, ignobili ante eum in Mantuae suburbiis pago, Idib. Octobr. anni sexcentesimi octogesimi quarti post Romam conditam. Ex tenebris ipse in lucem Italiae patriam ignotam atque familiam suam, quae obscura fuerat, apud omnem posteritatem vocavit. Memoriae traditum est opificem quendam figulum eius patrem fuisse, vel, ut alii putant, viatoris cuiusdam, Magii nomine, mercenarium mox ob industriam generum; qui cum silvis coemendis curandisque apibus esset a socero praepositus, rem familiarem quandam ex laboris sedulitate sibi comparavit. A patre itaque filii studiosissimo Cremonam viciniorem in urbem vix adulescentulus Virgilius deductus est, quo facilius ibi a bonis magistris ingenuis litteris et artibus imbueretur. Quas cum tota mente animoque didicisset, sumpta virili toga, ut initis studiis acrius insisteret, primum se Mediolanum contulit, hinc postea Romam, in

urbem orbis terrarum lucem, ubi eruditissimis viris, qui tunc temporis erant, magistris usus est. Nam, ut vita Virgilii codici antiquo praefixa testatur, apud Epidium magistrum et rhetorem clarum, eloquentiam cum Octavio adulescente didicit; at quo erat timido animo et candido, cum primam causam dixit, fori lucem haud facile tulit ideoque, iudiciis relictis, se ad ceteras disciplinas ediscendas convertit. Sironem philosophum, qui publice epicureorum doctrinas summo discipulorum concursu tradebat, morborum medendorum artem, mathematicarum, ceterarum disciplinarum, quae in rerum investigatione et contemplatione versantur, claros magistros alios audivit. Demum, cum se in poeticam procliviorem sentiret, Neapolim, in urbem Graecis litteris et disciplinis maxime affluentem, venit; cuius coeli locique amoenitate multos annos delectatus est. Hinc, tot disciplinis instructus, cum patriam in urbem rediisset, simulac se in ruris otiis ad carmina illa condenda, quae Bucolica inscribuntur, applicuit, largitione agrorum militibus Augusti iussu facta, patris praediis omnibus ab Arrio quodam centurione spoliatus est. Nihilominus ea, Asinii Pollionis beneficio, qui hoc tempore moderate Galliae citeriori praeerat et apud Octavianum multum gratia pollebat, non ita multo post recuperavit; huius rei, sub grata Tityri persona celatus, gratias Octaviano mirificas cumulatissime rettulit, quae in Ecloga prima leguntur. Attamen, cum in Pollionis locum Alfenus Varus proximo anno successisset, dispertitis iterum inter Augusti veteranos agris, cum suis ipse per vim esset denuo depulsus, capitis discrimine vix liberatus, incolumitati sibi suae consulendum fuit. Romam aegro animo profugit, ubi Asinio Pollione suffragante, ob carminum laudem, qua iam inclaruerat, in tutela Maecenatis cum esse coepisset, satis amplo ad Capuam fundo donatus est. Per eundem in coetibus poetarum versatus in Varii Rufi, Cornelii Galli, Aemilii Macri, aliorum familiaritatem insinuavit; subinde ad Augusti amicitiam ita

accessit, ut et ingentibus ab eo cumularetur divitiis et in deliciis haberetur. Beatam ergo reliquam aetatem egit, modo Romae, vicissim Neapolitanis praesertim in villis, fundendis et perpoliendis carminibus occupatus. Condito carmine epico, ut id ad unguem perficeret, regiones, litora, maria, insulas, quae in Italiam tendentes peragraverant Troiani, suis oculis conspecturus iter sibi futurum letale in Graeciam et in Asiam fecit. Athenas cum venisset et in Augustum Asia decedentem incurrisset ab hoc invitatus maria repetivit. In navigatione morbo tentatus est, quo statim ac Brundisium appulit e vita decessit septingentesimo tricesimo quinto anno conditam post Urbem. Iusserat se Neapolitana in villa humari. In sepulcro — quod hodie quoque magna religione inter Iacobi Leopardi comitis tumulum, qui tristia hominum omnia carminibus deflevit, asservatur, et Iacobi Synceri Actii Sannazarii qui, partu Virginis laudato, Mergellinarum piscatores et colonos celebravit — epitaphium inscriptum est. In radicibus Pausilypi collis vitibus, arboribus, herbis, dumetis virescentibus pluricoloribusque floribus luxuriantis atque vestiti, iacet sepulcrum; hinc Virgilius immortalitate donatus, sinum maris curvatum in arcum, undis caeruleis sub sole fulgentem, spectat Vesuviumque montem per noctes ignibus rubescentem ex cratere fluentibus; spectat et homines labore ac dolore defessos caelique serenitate exhilaratos, et, quos vivens amavit, miratur et amat; quod equidem adulescens sepulcrum visere solitus eram et epitaphium legere et ex eo poetam, ac si viveret, quasi mecum colloquentem et divina in perpetuum carmina voce ipsum sua canentem audire.

Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc
Parthenope: cecini pascua, rura, duces.

CL. Ex eius vita, quam multi scriptam esse a Donato putant, poetam «*corpore et statura fuisse grandi, aquilino colore, facie rusticana*», novimus at «*valetudine varia, nam*

Ap. Donat. in vita Virg. *plerumque a stomacho et a faucibus, ac dolore capitis laborabat; sanguinem etiam saepe reiecit* ». Notitiae vero, quae de eius vita traduntur et carmina ipsa sua animo et candido et molli et tenero fuisse ostendunt, itaque ad virginalem quandam suavitatem ingenio proclivi, ut a Neapolitanis vocaretur *Parthenias*. In perenni autem aegritudine atque dolore versabatur nulla umquam hilaritate conditis, ac si perpetuo praeteritorum malorum recordatione teneretur. Hinc fiebat, ut et ab inani superbia atque iactatione vehementer abhorreret et, si quando Romae publicis adesset multitudinis conventibus, ab oculis spectantium se timide occultaret. His tamen animi sensibus inconditis quasi, eaque, qua erat, rudi corporis forma, singulare ingenii lumen et mentis celeritatem eam tegebat, quae mirificis ex carminibus spirant et in iis splendescunt. Carus et iucundus omnibus eius aetatis poetis fuit, Horatio vero carissimus, cuius in illum teneri amoris eximium documentum exstat, molle, praeter ipsius naturam, et delicatum propempticum illud carmen:

Horat. 1. Carm. 3.

Sic te diva potens Cypri

in quo Venus geminique fratres Helenae et ventorum pater rogantur, ut navi, per maria procellis agitata cursum tenenti, atque Virgilio, gravi in periculo versanti, praesentes propitii adsint, quoad eum, *dimidium animae suae*, finibus Atticis incolumem reddant atque servatum. Neque gratia aut notitia apud populum inlitteratum caruit. « *Testis ipse populus, qui auditis in theatro Vergilii versibus surrexit universus et forte praesentem spectantemque Vergilium veneratus est sic quasi Augustum* ». In summam vero gloriam post mortem venit; quam ob causam Caligula, vecordi odio invidiaque in mortuum stulte inflammatus, e bibliothecis non eius imagines modo auferri iussit, sed et scripta eici ut nomen, poetae et memoria una perirent. At male rei consuluit; nam in privatis civium aedibus maiore, quo antea honore, illa asservari

Tac. de Orat. 13.

consueverunt. Memoriae proditum Silium Italicum, poetam haud ignobilem, illius natalem diem faustum celebrare solitum eiusque sepulcrum pro sacro venerari; item eius imaginem in larario pie cum aliorum clarissimorum poetarum atque heroum imaginibus ab imperatore Alexandro Severo custodiri. Apud Christi quoque asseclas maximo semper in honore habitus est, ac si generis hominum Salvatorem nasciturum mox ecloga quarta ipse humanitate sua et religione atque pietate antevertisset et divinitus concitatus praesagiisset.

Carmina bucolica

CLI. Virgilio — nam missa faciam nonnulla quorumdam criticorum deliramenta — « *Bucolica* » « *Georgica* » «*Aeneis*» ut sua ascribuntur; « *Copa* » praeterea « *Ciris* » « *Culex* » « *Moretum* ». De carminibus, quae « *Priapea* » « *Aetna* » « *Dirae* » «*Lydia*» vel uno nomine « Κατάλεκτα » inscribuntur, sintne Virgilii revera, an ei falso addicantur, satis inter doctos viros disputatum est. Ea hodie nemo est qui, argumentis inspectis, a Virgilio non abiudicet. Ad genus igitur poetarum, qui lyrici dicuntur, carminibus iis proxime accedit Virgilius, quae ex variis hominum sententiis, ab aliis « *Bucolica* » ab aliis « *Eclogae* » inscribuntur. Etenim in iis, quamvis versu heroico composita sint, suos saepius privatos animi sensus effundere solet, aut etiam amicorum refert, quos novit. Hos tamen sensus — fieri enim solet id a poetis — pastoribus quibusdam attribuit, se amicosque ita sub eorum nominibus occultans, ut hi de se sane loqui videantur. Hanc ob causam a Theocrito Syracusano, celebratissimo huius poesis generis auctore, discedit, in quo cum res sit plana ipsa per se et manifesta, nihil fictum per verborum translationem occultatur et poeta verus et rudis est ipse inter pastores pastor. Quae autem a Virgilio in agrestibus carminibus altiora, vel vitae pastorum et moribus parum accommodata de aliis adumbrantur, ea profecto maiore dignitate, quam habent, placent magis; at rursum ipso rei artificio veritati non parum obstant. Etenim urbaniores animi sensus, quibus altius natura sua

Theocriti εἰδύλλια cum bucolicis conferuntur

pastores moventur, non civem tantummodo, caprinis tectum pellibus, in agris deprehendunt fortuito quasi versantem, sed ne exprimi quidem possunt nisi qua ipse utitur arte, quae non sine vitio expolitior illa est, quam genus carminum per se rude ac inconditum propriam et quasi germanam expostulat. Ceterum si hoc praetermittas vitium, quod leve certo est et laudibus emendatur aliis, omnia quae canuntur, iis animi sensibus perfunduntur, iisque verborum luminibus illustrantur et distinguuntur, ut, qui legat, vehementissime delectetur et suavitate quadam infinita afficiatur. Silvestri enim avena in silvis, in agris divinum modulans carmen, pastorum amores, curas, gaudia, cantus, otia in mentem nobis reducit, in quibus antiquorum hominum vita posita erat, eosque vividioribus artis coloribus, ceu tabulam bene pictam, non fucatis pigmentis depingit, ut prae oculis illos conspicere veros canentesque audire putemus. Amantissimum agrorum, in carminibus, arborum, pecudum, agricolarum se praebet, et sensu doloris quodam commotum, velut si amoenitatem ruris nulla re alia usquam satiatus perpetuo desideret, vel pastoralis vitae innocentiam, tamquam si eam in perpetuum amiserit, exoptet et cupidissime exspectet.

Bucolicorum argumentum

CLII. Bucolica carmina decem sunt, in quorum aliis, dramatis ad formam, pastores inter se de suis disputantes rebus inducuntur, in aliis vero secum ipsi animo loquentes exhibentur. Hoc nomen indicat, nam *bucolicum* a Graeca voce cadit, quae idem ac bubulcus sonat. Istorum argumenta carminum, praeter primum, quartum, sextum, decimum, questibus aut certaminibus continentur. Queruntur enim pastores alii quod puella, quam quisque amat, vel a se procul absit, vel quod infidelis et minus in amore constans fuerit; alii carminibus ex improviso fusis aut de poetarum laude aut de puellarum amore certant, alii aliis de rebus inter sese contendunt. In ecloga quinta pastores duo, Menalcas et Mopsus, Daphnim crudeli funere extinctum, cantu certatim

concelebrant. Hic non matris tantum, sed etiam Nympharum et animalium dolorem laudatione quadam funebri, quae miserationem et pietatem movet, poetarum in modum describit:

Exstinctum Nymphae crudeli funere Daphnim
Flebant — vos coryli testes et flumina Nymphis —
Cum, complexa sui corpus miserabile nati,
Atque deos atque astra vocat crudelia mater.
Non ulli pastos illis egere diebus
Frigida, Daphni, boves ad flumina; nulla neque amnem
Libavit quadrupes, nec graminis attigit herbam.

Eclog. V. vers. 20-25.

Post obitum eius terra insigni ornamento et lumine orbatur, tristissimis offunditur umbris, neque flores vividioribus coloribus pictos, neque laetas segetes fundit, neque fructus maturat amplius. Ubertas cum illo et copia ex agris aufugisse videtur: nam ille colendarum vitium rationem et trieterica orgia Baccho per urbes celebranda homines pius docuerat.

Vitis ut arboribus decori est, ut vitibus uvae,
Ut gregibus tauri, segetes ut pinguibus arvis:
Tu decus omne tuis. Postquam te fata tulerunt,
Ipsa Pales agros atque ipse reliquit Apollo.
Grandia saepe quibus mandavimus hordea sulcis,
Infelix lolium et steriles nascuntur avenae;
Pro molli viola, pro purpureo narcisso
Carduus et spinis surgit paliurus acutis.

Vers. 32-39.

Menalcas vicissim delicatissimis versibus Daphnim ad astra post mortem elatum in deosque consecratum mirantemque orbem describit, in quem cum heroibus perpetuo habitaturus divina deorum in regna mirabundus rapitur et invehitur. En Menalcam rem miram altis e caelis contemplantem.

Candidus insuetum miratur limen Olympi
Sub pedibusque videt nubes et sidera Daphnis.

Vers. 56-17.

Eo inde mirante, infinito pacis gaudio omnia exsultant; divina quaedam voluptas Pana, Dryadas, pastores occupat, nec lupi insidias gregibus struunt, nec retia cervis. Montes silvis nemorosi incaeduis, rupes ipsae, saxa, cacumina voluptate correpta, magnis clamoribus editis admirationem edunt:

Ipsi laetitia voces ad sidera iactant
Intonsi montes; ipsae iam carmina rupes,
Ipsa sonant arbusta: «deus, deus ille, Menalca!»
Sis bonus o felixque tuis! en quattuor aras:
Ecce duas tibi, Daphni, duas altaria Phoebo. — *Vers. 63 67.*

Qui autem sit Daphnis hic, cuius apotheosin canit Menalcas, ambiguum est. Nam alii putant pastorem illum Siculum esse in nemore laureo natum, qui carminis bucolici fuit auctor primus; alii contra illum Caesarem ipsum esse coniciunt, cui post mortem honores divini decreti sunt, cuius simulacrum in ludis Circensibus cum Veneris simulacro circumlatum est, cui ante aras opimae victimae etiam mactatae.

CLIII. In ecloga prima pastores duo Meliboeus et Tityrus inter se colloquentes inducuntur; istorum hic, nominibus mutatis, Virgilium celat, ille Mantuanos. Primus agello suo spoliatus, cum in tristem sit profecturus exilium, minus meliori Tityri sorti invidet, quam de fortuna sua vel de bonorum direptione suorum conqueritur vel exstenuatur:

Tityre, tu patulae recubans sub tegmine fagi
Silvestrem tenui musam meditaris avena:
Nos patriae fines et dulcia linquimus arva,
Nos patriam fugimus: tu, Tityre, lentus in umbra
Formosam resonare doces Amaryllida silvas. — *Vers. 5-5.*

Tityrus contra beneficio a numine accepto laetatur — nam sibi uni in praedio manendi relicta facultas —; at neque ob privilegium exsultat superbe, neque colonis miseris fugientibus irridet, ne aut sui ipsius nimis amans videatur, aut ceterorum

immemor agricolarum evadat. Istorum immo dolorem in se ita persentit ac si eodem ipsemet maceretur; similem se illis in rebus praesentibus invenit, nisi quod deus quidam pius — Octavianum grato indicat animo — sibi paterno in agello versari et bonis suis in urbe patria gaudere concesserit.

O Meliboee, deus nobis haec otia fecit.
Namque erit ille mihi semper deus; illius aram
Saepe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.
Ille meas errare boves, ut cernis, et ipsum
Ludere, quae vellem, calamo permisit agresti. Vers. 6-9.

Numeratione ipsa malorum, quam et mente et voce assidue repetit, vehementer utique Meliboeus movetur; en culta novalia, en agros arboribus consitos militibus relinquendos, en fugam initam et vitam peregre agendam!; in Octavianum invehi nefas; milites Meliboeus exsecratur; militibus barbaris, impiis pro crimine male precatur:

Impius haec tam culta novalia miles habebit,
Barbarus has segetes: en quo discordia civis
Produxit miseros, his nos consevimus agros! Vers. 70-73.

Carmen, quod ex diversis dissimilibusque animorum sensibus distinguitur, communi humanitatis sensu concluditur. Tityrus enim illum in domum suam proficiscentem invitat, ut umbris cadentibus, dolorem, quem depellere nequeat, donis, pietate, hospitio aliquomodo levet. Duabus eclogis, quarta et octava, beneficiorum acceptorum memor, Asinium Pollionem, sibi laudandum proposuit. In altera enim nascentem huius filium ita concelebrat, ut quid in Cumanae Sybillae libris de futuris eventibus scriptum esset, id ad hunc potissimum referat:

Ultima Cumaei venit iam carminis aetas
Magnus ab integro saeclorum nascitur ordo.
Iam redit et Virgo, redeunt Saturnia regna;
Iam nova progenies caelo demittitur alto. Vers. 4-7.

Post huius adventum mores hominum aureos sane futuros esse canit, quales fuere primis illis saeculis, cum heroes vivebant in terris, neque scelera neque odia polluerant omnia; hoc duce orbis terrarum gentes in perpetuum pacatum iri praedicit. In ecloga octava Pollionis ipsius virtutem laudibus cumulat, qui subactis domitisque Parthinis, perlustratisque gentibus, quae Illyricas oras incolunt, Romam triumphum acturus revertitur. In ecloga sexta ex philosophorum epicureorum doctrinis, Silenus senex inscios pueros, Chromin Mnasyllumque, primam rerum originem docet: per Silenum autem Sironem illum philosophum epicureum, quo ipse magistro usus erat, adumbrat, per Chromin se ipse ementitur, per Mnasillum Alfenum Varum poetam designat. In postrema ecloga, quae decima est, sollicitos Cornelii solatur amores; nam ad hunc in Arcadiam, quo in exilium quasi confugerat, postquam a Lycoride puella spretus fuerat, simulavit se cum amicis venisse, ut, remediis amoris adhibitis, eum ab indigno dolore levaret idemque in urbem relictam ab exilio reduceret. Exemplaria his in carminibus conficiendis Theocriti idyllia, quae dicuntur, sibi proposuit, qui primus genus hoc carminis vulgaris excoluit tantaque suavitate perfudit, ut ex hac parte poetarum princeps habeatur. Hoc genere Virgilius ita usus est, non ut pastorum imaginem et speciem exprimeret potius quam, quae in se ipse sentiret, ingenua pastorum simplicitate significaret.

Georgica

CLVI. Ad agrorum culturam pertinet poema aureum illud libris quattuor constans, quod « *Georgica* » inscribitur. Specimen et quasi decus carminum eorum, quae Graece didascalica dicuntur, ex criticorum sententia in populorum omnium litteris poema hoc Virgilianum habetur; in Latinis litteris potissimum profecto est et perfectissimum opus et summo artificio limatum. Nihil id mihi mirum videtur; nam in hoc concinnando natura et ingenio suo, quod erat agrorum agricolarumque perstudiosum, indulsit poeta, idemque

III. Georg. 41.

Maecenatis voluntati pro viribus obsequi studuit, qui eum poema ea mente condere iusserat ut, auctore Augusto, pacis artes in orbe pacato vigerent, et cives Urbis frequentissimae a vitiis libidinibusque aetatis revocarentur et pro more et instituto maiorum ad agrorum colendorum studia iterum accirentur. Rem poematis pluribus ex fontibus Graecis et Romanis ad arbitrium suum ita desumit, ut suum aliquid et quasi ex se uno natum efficiat; quae autem depromit ea cum rerum usu confert, quem habet maximum, sub eundemque subdit. Ex Graecis Nicandro utitur auctore praecipuo, qui carmen suum « Γεωργικά » quod de re rustica est, eodem nomine inscripsit; ex minoribus Hesiodo, Xenophonte, Arato, qui de eadem re oratione soluta aut etiam numeris adstricta libros confecerant. Prae Graecis tamen Latinum Varronem potiorem fecit, qui in suis libris de re rustica agricolarum artem Romane pertractaverat omnem. In primo libro igitur multae et variae res continentur; nam proposito sibi totius carminis argumento, et Liberum et Cererem et ceteros deos precatur — quos inter Octaviano locum designat — ut sibi canenti praesentes propitiique adsint; deinde de multiplici agrorum colendorum ratione agit, tum de eius vetustissima origine, de rusticorum instrumentis, de operibus in singula anni tempora distribuendis, de tempestatum et prognosticis et signis; hinc, ut rem varietate levet, ad prodigia illa digreditur quae, ut fama ferebat, Caesaris obitum praeverterunt aut subsecuta sunt; hinc postremo ad rogationes deorum commode pergit, quibus ab iis precatur, ut sive incolumitati Octaviani sive populi Romani maiestati inter gentes consulant. In secundo res de arboribus est: docet enim qua arte illae serendae, quo modo producendae, quae sint earum species, quibus singulae opportunis locis felicius proveniant; quae sit cuiusque soli caelique natura. A cuncto deinceps arborum genere ad vitis oleaeque colendarum artem progreditur, quae maximo agricolis usui sunt, praeceptisque de iis

Liber primus et secundus

traditis, celebratissima vitae rusticae laudatione, in qua indoles sua et recordatio temporis acti resultat, librum concludit.

> *O fortunatos nimium, sua si bona norint,*
> *Agricolas! quibus ipsa procul discordibus armis*
> *Fundit humo facilem victum iustissima tellus.*

Vers. 458 et reliqui

Liber tertius et quartus

Vers. 104 119; 349-383; 146-156; 209 295.

CLV. De re pecuaria, quae agricolationem explet et quodammodo perficit, sermonem per librum tertium producit. In huius exordio est deorum invocatio, qui pecudibus praeesse creduntur, cui, ut in primo, Octaviani Maecenatisque laudationes summas accedunt. De bobus subinde, de equis, de ovibus, de capris, de canibus gradatim praecipit multa: quibus pabulis alenda et reficienda, qua ratione a morborum vi medicamentis tuenda, quomodo a rebus, quae iis adversae sint, arcenda, ne quid iis noceat; quae quidem praecepta, oblectationis causa, frequentissimis descriptionibus, quasi deverticulis, in toto libro diffusis variantur et illustrantur. Huiusmodi sunt loci, in quibus vel equestres cursus et hyems Scythica describuntur, vel de oestro, de tauris amantibus, de furiis amoris dicuntur nonnulla. In quarto demum libro Maecenatis laudibus repetitis, singulare melliferarum apum genus ad carminis finem miro studio summisque laudibus prosequitur. De commoda sede apibus quaerenda agit initio, tum de earum pabulis, pugnis, examinibus loquitur; deinde duas earum species distinguit; denique earum prudentiam quasi civilem laudat, quae, operibus inter se opportune divisis, civitatem quasi bene ordinatam florentem et certis legibus adstrictam constituunt. Accedunt quaedam de melle tempore opportuno colligendo, alia de apum morbis eorumque remediis, alia de alvearibus explendis et reparandis, si aut fortuito aut aliquo morbo artificum numero destituantur. In postrema libri parte de apum origine fabulam narrat Aristaei pastoris, qui primus dicitur mellis usum homines docuisse; cui de Eurydices obitu Orpheique amore fabulam adnectit.

CLVI. His fabulis ceterisque poetarum adminiculis, rem suam satis levem tenuemque, quae soluta potius oratione pertractanda, et propter suam siccitatem a carminibus alienissima et quasi repugnans videbatur, ita Virgilius arte sua variavit, distinxit, illustravit, ut ex illa et pulcherrimum in litteris Latinis exprompserit poema et Hesiodum superaverit illum, cuius sanctos fontes Romanum se Romana per oppida arrogantius quasi ausum esse recludere censeret. Probatur ergo poema et re ipsa et orationis genere et artificio; de re rustica enim praecepta universa traduntur, ut nihil quasi praeter ea reliquum sit; quae et egregia per se sunt et in suum quaeque situm collocata; carminis partes sunt maxime inter se congruentes atque summo artificio in unum contextae. Ne autem ad unam usque praecipiendi rationem delaberetur poesis, eam locorum varietate maxima exornavit, frequentissimisque deverticulis levavit, orationem autem clarissimis verborum luminibus et versu omnibus numeris pleno varioque, lucidam et spendidam, mollem et suavem, et quasi, ad rerum ipsarum sonum conformatam canoram, effecit.

Artis opus et elocutionis virtutes

II. Georg. 175.

CLVII. Genus poesis aliud coluit quod epicum dicitur, suffragante enim Augusto cuntoque populo expectante, Aeneidem composuit, quo quidem carmine ex Ovidii sententia

nullum Latio clarius exstat opus.

Ovid. III. Art. Amal. 338.

Huius poematis epici notissima omnibus fabula est, quam duodecim in libros Virgilius digessit, duabus simul partibus inter sese diversis apte et stricte intexta. In prioribus enim libris Aeneae casus, navigationes, itinera ab extremo Troiae excidio ad eius in Latium adventum narrantur; in posterioribus sex autem bella memorantur, quae Aeneas cum Italiae gentibus gessit. Eodem in poemate libris alteris Odysseam imitando expressit, alteris autem Iliadem. Partes duas tamen, quantum ad successionem temporum spectat, ita invertit, ut perpetuum illud quasi miserabile carmen, quod in referendis

Aeneis

Colorem duorum Homericorum poematum Aeneis simul componit.

Aeneae casibus et erroribus peregrinationibusque confecerat, postquam diversa per maria iter bene successit, cantico triumphali integram poematis actionem concluderet. Hanc ob causam fit, ut qui totum ex ordine carmen volutet priores libros dum legit, incredibili doloris sensu teneatur, refrigeretur et exhilaretur in fine, ac si quis per opaca crepuscula huc illuc dubius incertusque fatorum numine iter faciens, post productiorem quandam noctem tenebris offusam, primam solis orientis micantemque conspiciat lucem omnia mundo in universo collustrantis atque complentis.

CLVIII. Aeneas igitur, Anchisae filius, postquam Troia e fundamentis eversa est flammisque correpta, septimo anno navigationis volvente, cum fatis actus multa peragravisset maria, vix e conspectu Siculae telluris vela dabat in altum; tunc Saturnia Iuno, veterum iniuriarum memor, per Aeolum ventorum regem in Troianos tempestatem excitat, qua, navibus fractis, in ignota Africae litora Aeneas eicitur; hic intra moenia Carthaginis nondum exstructae a Didone urbis regina gratissimo excipitur hospitio. Cenatus, reginae eum audire cupienti, aeneas iucunditate cum dolore coniuncta, quae ex rerum gestarum recordatione adflatur, decennale bellum patrium memorat, quod sub Troiae moenibus alterno Marte cum Graecis fuit; Graecorum fraudem vituperat, ex qua urbis excidium. Narrat a se, cum res in summam desperationem venissent, in somniis Hectorem visum hortantem, ut statim cum Anchise, cum filio Ascanio, cum Creusa uxore, fugam arriperet, seque pro monitu illius aufugisse. Mox cum ad quaerendam uxorem, quam inter eundum amiserat, viam relegisset, ab eius umbra fugam mari parare iussum.

Liber primus vers. 1-766.

Liber secundus vers. 1 848.

CLVIII. In tertio libro errorum narrationem, regina audiente, prosequitur. Classe viginti navium exstructa, in Thraciam se delatum esse ibique urbem condere instituisse narrat. Haec dum agit, novis quibusdam prodigiis territum, in medio opere urbe relicta, in insulam Delum de futuris rebus

Apollinis oraculum consulturum se contulisse a quo sibi responsum esse, ut « *antiquam matrem* » exquireret. Titanorum matrem Cretam insulam ratum, statim eo appulisse exaedificavisseque iam ibi urbem, cum a diis Penatibus, quos ex patria secum attulerat, Italiam Troianorum cunabula esse in somniis monitus est. Ex somnio inde profectum ventis adversis in Strophades venisse, insulas Harpyis monstruosis avibus atque obscenis infestas, quarum unam futura sibi fata concinisse. Mare inde repetito ad promuntorium Actium in litus ex navibus egressum esse, ut ibi ludos celebraret; indeque rursum cum discessisset, in Epiro Andromacham, quae Troiani Hectoris uxor fuerat, convenisse; quae cum Pyrrho rege illuc post Troiae fatale exitium confugerat. Ibi regnum ab Heleno rege ac vate sibi audivisse a diis in Italia paratum esse eo loco, ubi suem albam triginta foetus enixam invenisset, ab eoque, ut Scyllae Charibdisque pericula vitaret, monitum esse, ne Siculum fretum traiceret neve ad propinquas Italiae ripas appelleret. Quam ob causam, ancoris ex Epiro solutis, portuque Tarenti quod erat in conspectu relicto, insidias Charybdis ad laevas undas praetergressum, ad Aetnae montis litora navium cursum direxisse, ibique Achaemenidem socium Ulixis, supplicem in naves accepisse et ab eo multa de Cyclopum immanitate didicisse. Illinc, lectis Siciliae oris, quae ad meridiem vergunt, superatisque florentissimis urbibus, Drepani portum tandem tenuisse, ibique in illaetabilibus oris genitorem Anchisem amisisse. Inde digressum in altum cum tempestas magna orta esset, fluctibus abreptum ad Africae litus arenosum devenisse.

Liber tertius, vers. 1-718.

CLX. In quarto libro, mutata rerum narrandarum ratione, quam per Aeneam suos referentem renovantemque casus instituerat, ipsum in mediam rem agentem inducit. Miserabilibus his rebus auditis, multam viri virtutem mirata Dido occulto amoris igne vehementer absumitur. Amorem Annae sorori tandem candide aperit, cuius consilio nuptiarum spem

Liber quartus vers. 1-705.

animo concipit. Convenerat interea inter Iunonem Veneremque de nuptiis diversam ob causam inter illos conciliandis; prior heroem, ob veterem in eum invidiam, Italia arcere cupit; altera autem, dolis repertis, se Iovis uxori adnuere velle simulat. Res itaque ex dearum sententia fit mirum in modum: cum in montes venandi causa vir et regina venissent, tempestas Iunonis nutu caelo deicitur, ex qua in eandem speluncam cum et Dido et dux Troianus se recepissent, ridente Cytherea, coniugium perficitur. Rei fama volat, ad Iarbamque regem Gaetulorum defertur, qui Didonem in suis errantem finibus urbem condere siverat uxorem eam ducere posse ratus. Amaro hic rumore accensus, apud Iovem Ammonem, cuius filius erat, cui centum templa, centum aras latis in regnis posuerat, de Didonis fide multa conqueritur. Supplicem audit Omnipotens Aeneamque, statutis fatis urgentibus, per Mercurium in somniis iubet, Carthagine relicta, illico in Italiam navigare. Aeneas ergo, hoc monitu territus, socios clam fugam parare mandat; quod cum regina amans praesensisset, multis lacrimis precibusque virum precatur, ne parato in regno moribundam se perfidus deserat. Immobilibus tamen fatis suis actus, nihil precibus, nihil Didonis lacrimis ab inceptis distinetur Aeneas, gravissimoque quamquam dolore excruciatus, prima diei luce orta, vela pandit in altum Id e speculis furens conspicata regina, obcoecata dolore, cum in pyram, quam sibi paraverat, conscendisset, constantissimo pectore suapte manu atrocem sibi mortem gladio consciscit.

CLXI. Aeneas interim in altum progreditur, at, ventis contrariis obortis, iter in Siciliam deflectit. Ibi ab Aceste hospitio acceptus, anniversario die, quo patrem Anchisem condidit, ludis consuetis, pedestri ac navali cursu, cestuum pugna, sagittarum eiaculatione, decursu equestri, parentalia celebrat. Mulieres interea Troianae, quas navigationis erat pertaesum, naves incendio comburunt, ideoque Aeneas ex nautarum sententia et ex Anchisae monitu, qui ei dormienti

Liber quintus, vers. 1-870.

se in somniis obtulerat, urbem Acestam in Sicilia aedificat, in qua mulieres defessas senesque via confectos relinquat. Ab eodem Anchise impellitur, ut ex Sicilia statim praeceps digrediatur cursumque ad Sibyllam primum dirigat, cuius ope ad inferorum regna rerum futurarum seriem visurus descendere queat. Sicilia itaque proficiscitur, at dum cursus conficitur, quamvis per Venerem Neptunus placatus esset, Palinurus, navis gubernator, in puppi obdormiens, in mare excussus miserando moritur casu.

CLXII. Post navigationem in Cumarum litora egressus, nulla mora interposita, Sibyllae antrum petit, mactatisque Phoebeo in templo victimis, de futuris eventibus deque descensu suo ad inferos Sibyllam consulit. Haec bella, horrida bella, et Tyberim multo spumantem sanguine se cernere respondit; facilem esse descensum ad Avernum, attamen nulli illinc esse reditum datum, nisi fortibus, quos aequus Iuppiter amaverit, iisque nisi ramo aureo inventu perdifficili munitis. Deinde quomodo ramum mirum comparare possit, virum edocet. Addit tertio, exanime in litore demortui socii corpus insepultum iacere, quod nisi prius condiderit sepulcro, lucos ipsum Stygios vivum non aspecturum. Viam ergo ad amicos repetit Aeneas Misenumque in litora iacentem indigna morte peremptum videt, cuius dum pyrae extruendae causa arbores antiqua in silva caedit, ad eum columbae geminae Veneri sacrae advolant; has cum hac illac sequeretur, ad arborem auream deducitur. Ramum inde correptum in Sibyllae tecta portat; inde ad socios redit, ut cum iis Misenum supremis officiis prosequatur et tumulo condat. His rebus actis, horrendum in antrum revertitur nocturnisque sacrificiis deos inferos precatus, inania Ditis regna, Sibylla duce, per umbram ingreditur; cuius in vestibulo horrenda monstra conspiciunt; deinde in Acherontis ripis errantes hominum vita functorum umbras et Orontem et Palinurum vident, qui aditum ad Tartara petunt. In ipso flumine Charonta, umbrarum portitorem,

Liber sextus, vers. 1-901.

cernunt, cuius iras rami aurei beneficio deliniunt, facileque postea ab eo cymba ad alteram ripam transvehuntur. Dum per limen ad animarum sedes transeunt, Cerberus canis trifauci gula latrans occurrit, cui offam melle soporatam obiciunt. Per varias inde mortuorum sedes progredientes infantium animas vident, tum vicissim viros falso crimine per arbitrium mortis damnatos, tum postea qui insontes manu sua sibi mortem consciverunt, tum etiam in myrtea silva et Phaedram, et Procin, et Eriphylen, quas durus amor crudeli tabe peremit, tum alias amantium animas perspiciunt. En Didonem reginam in his morte et amore pollentem; quam ut agnoscit maestissimis adloquitur precibus per superos iurans se de Africano litore invitum cessisse; nec tamen eum audit Dido sed tristis se ex eius oculis proripit furibundaque in nemus umbriferum inimica refugit. Ultimam sedem denique lustrant, in qua bellatores fortissimique duces incolunt. Inter eos Deiphobum aliosque Troianos et Graecos omnes longo ordine cernens viros cognoscit. Hinc longius respiciens, moenia lata triplici circumdata muro cernit, in quibus impii suppliciis variis torquentur. At cum nefas sit Gigantum, Salmonei, Lapitharum, ceterorum scelestorum domos adire, itinere ad dexteram verso, ad Elysios campos deveniunt. Hic magnanimi heroes, nati melioribus annis, largiore aethere fruentes, solem et sidera norunt, pedibusque laeti choreas plaudunt et carmina dicunt; hic Assaracus, Ilus, hic Dardanus habitat; hic viri pro patria pugnantes vulnera passi, hic sacerdotes, hic vates, hic, qui per artes vitam excoluerunt, laetantur. A Musaeo de loci incolarumque conditione edocentur ab eoque, iugo superato, ad Anchisen deducuntur. Hic effuso animo cum filio colloquitur, de animorum natura eum ex Pythagorae doctrinis certiorem facit, resque praesagiens futuras clarissimorum quemque per aetates expedit, qui longo ordine ad Augustum ex eo nati sequentur. Inde eburnea somni porta remittuntur in lucem. Aeneas ad

suos contendit eosque iubet in naves conscendere. Solutis ancoris, cursus ad Caietae portum ventis secundis conficitur.

CLXIII. In hoc litore nutricem suam, Caietam nomine, tumulat, quae inter navigandum morti concesserat; hinc portus Caietam nomen ascivit. Funere celebrato, naves solvit Aeneas, Circaeumque montem praetergressus, quem infamis sibi Circe nympha sedem delegerat, ad ostia Tyberis, ventis repente remissis, fatalem in terram e navibus exit. Hospitio hic a Latino, Aboriginum rege, excipitur; huic, filia Lavinia nomine, erat, quam, contra oraculum, quod externo viro uxorem destinaverat, Amatae matris voluntate, Turno, Rutulorum regi, desponderat. Nihilominus Latinus, oraculi religione commotus, nuptias inter filiam et Aeneam conciliare conatur. Qua re Iuno, Troianis succensa, quod res bene ac feliciter eveniant, occasionem nancta, eorum exterminium meditatur. Evocat igitur ex Stygiis umbris Alecto; per hanc primum Amatam in Aeneam, deinde Turnum incendit, quem ita concitat, ut impellat ad arma. Troianis se immiscet Alecto, quae Ascanii canes premit, ut cervum praestanti forma, qui Thyrrhei pastoris regii filio in deliciis erat, ardentes in medium agant. Haec omnium malorum causa est; nam in eum spicula Ascanius dirigit; saucius in nota stabula cervus refugit. Tyrrheus ob hanc causam gravi dolore commotus agrestium agmina convocat in Troianosque furens urget. Omnibus bellum conclamantibus, Alecto in summum stabulum conscendit, arreptoque cornu, pastorale belli signum concinit; utrimque in aciem concurritur, fit proelium inter Troianos atque pastores Latinos; ex quo hi primi discedunt necatorum corpora duo ferentes, certatimque regis domum clamantes recingunt: arma omnes fremunt in primisque Turnus, qui adest; Latinus primo unus bellum petentibus obsistit, at, reseratis tandem ab ipsa Iunone geminis belli portis, rem fatis permittere cogitur. Bello igitur indicto, ad Turnum ex finitimis sociisque auxilia undique veniunt. Venulum

Liber septimus, vers. 1-817.

Liber octavus, vers. 1-731.

hic per legatum socium sibi in bello Diomedem asciscere conatur, qui propter suas cum Dauni filia nuptias Apuliae gentibus imperabat idemque ob iniurias a Venere acceptas Troianis infestissimus erat. Hoc eodem tempore Aeneas, ex monitu Tyberini fluminis, eodem consilio, ut auxilia requirat in Palatino monte Evandrum convenit, qui ibi ex Arcadia profugus ante Troianum bellum consederat. Hunc dies festos Herculis splendide celebrantem invenit, quibus sacris et ipse interest. Inter haec vetustam eorum originem, et multa de diis patriis ab ipso Evandro audit. Ante discessum ab eo iubetur, ut ad Tyrrhenos se conferat; ab his renuntiatum iri regem, si accesserit; pulso enim Mezentio tyranno, regem ex oraculo externum ab illis exquiri, qui Turnum auxilia ferentem armis repellat. Acceptis itaque subsidio equitibus quadrigentis, cum Pallante, Evandri filio, e monte descendit, remissaque parte altera equitum ad suos, ipse cum altera ad Tyrrhenos adire pergit. Venus interea, nequicquam novis exterrita rebus, eum in itinere, dum ad quaesitas gentes appropinquat, aethereis circumfusa nimbis adsequitur, ut subsidio ei arma ferat, quae iam Vulcano extruenda commiserat. In clypeo, qui ex caelato aere mira arte confectus est, rerum effigies earum conspicitur, quas Romanis agendas in posterum tempus fata destinant; insignis mirabilisque prae ceteris figuris insculptis triplicis Augusti triumphi imago in clypeo sub luce splendescens conspicitur.

CLXIV. Dum haec ab Aenea procul a Troianis fiunt, per Irim caelo demissam admonitus Turnus, Aeneae socios prae munimentis proelio lacessit, at cum Troiani ex ducis iussu pugnam detrectent, naves incendere statuit. Admotis ad eas flammis, ipsae per se e ripis in altum discedunt atque virgineas, mirabile monstrum !, vertuntur in Nymphas; ita enim Iovis promissum persolvitur. Hic enim Cybeli, deorum matri, naves illas immortales post navigationem futuras esse promiserat, quod ex tabulis Ideae silvae fatalis

Liber nonus, vers. 1-818.

essent exstructae. Nocte imminente excubias ad munimentorum portas collocat Aeneas atque ignibus frequentibus moenia collustrari in tenebris iubet. At interea cum Troiani de Aenea per nuntios arcessendo consilium cepissent, Nisus et Euryalus ultro hanc provinciam suscipiunt atque, oppido egressi, hostes prae se agentes, magnam inter viam cladem edunt. Attamen dum spoliis necatorum onusti pergunt iter, inito cum Latinis obviis occurrentibus proelio, multitudine oppressi procumbunt, eorumque capita terrificandi causa hastis affixa Troianorum castris admoventur. Instaurata sub solis ortum oppugnatione, Ascanius, sagittam e muris emittens, Numanum necat in Troianos ex prima acie indigna vociferantem. Qua re in spem meliorem Pandarus et Bitias fratres elati portam, quam custodiebant, recludunt. Fit statim per eam hostium concursus; Rutuli Turnusque in urbem irrumpunt. Huius impetu multi fortissimi Troianorum duces caeduntur; inter quos Bitias etiam occiditur. Quem cum iacentem Pandarus conspiciat, gravi ardet ira, portaque iterum versa, Turnum intra moenia concludit in eumque toto connitens robore hastam vibrat. Hanc venientem Saturnia Iuno, quae numine praesens est, ut vires animumque Rutulorum regi addat, in portam ex eo detorquet. Turnus contra demens, mediam Pandari frontem dividit atque, immanis tigris instar inter inertia pecora, saeviens hostium fugientium caedem facit. Re ita volvente, dies hic et bello et genti ultimus sit, ni Troiani ex metu ac pavore recepti, acriter Mnesteo eos hortante, catervatim in illum unum impetum faciant. Turnus pugnantium gladiis circumventus salutem fuga petit in Tyberimque flumen armis indutum se praecipitem saltu agens, ex undis ad suos integer enatat.

CLXV. His rebus Iuppiter graviter commotus deorum concilium vocat; frustraque conatus Veneris Iunonisque discordiam componere, neutrius in partes se proclíviorem futurum esse pollicetur fatisque unis, ex quibus omnia

Liber decimus, vers. 1-908.

succedant, eius belli eventum permissurum. Proelium in dies acrius redintegratur; hinc per vim oppugnantibus Latinis, illinc Troianis castra defendere non desinentibus. Haec inter Aeneas ex Etruria cum classe triginta navibus aucta copiisque auxiliaribus onusta ad suos proficiscitur. In cursu conficiendo Nymphae ex immutatis navibus natae, ovantes ei obviae occurrunt eumque de suorum discrimine certiorem faciunt; quo nuntio commotus, properat cursum et haud procul ab hostibus in terram milites exponit. Id Turnus eminus conspicit, cum armatis viam ad litus corripit, sperans impeditos facile terra depellere posse; at venientes, primo impetu propulsato, mox adversis hostibus mortem minitantibus occurrunt. Proelium per omnem aciem dilatatur; Aeneas, armis a Venere acceptis indutus, in pugnam progreditur, milites et Latinos duces catervatim interimit; et, cum Pallantem, qui ingentem militum occurrentium cladem ediderat, a Turno singulari certamine interfectum esse audiat, ira correptus ad ulciscendum socium medias per turmas advolat gladio illum quaerens. Eadem de causa ex munimentis et Ascanius procurrit. Quae cum videt Iuno, Rutulorum regi timens, eum, quo modo periculo subducere possit, corde volutat. Simulatam Aeneae effigiem ei subicit, quam Turnus deceptus ad litora insequitur et in navem post illam conscendit; tum ventorum vis cooritur, retinacula navis funesque rumpuntur, navis cum Turno procul a pugna undis deducitur. Pugnae in Turni locum Mezentius, Agyllinae rex, succedit, qui ingenti strage, Lauso filio adiuvante, agmina Troianorum replet; quam Aeneas conspicatus, in Mezentium invadit Lausumque sese medium interponentem transfigit, subinde patrem saucium atque minitantem extrema humi proiectum misere obtruncat.

Lib. undecimus, vers. 1-915.

CLXVI. Postero die Aeneas, tumulum quercubus struit, cui spolia opima Mezentii imponit Martique tropaeum dicat, Pallantis mortui corpus apparatu pulcherrimo ad

Evandrum remittit. Dum haec apud Troianos fiunt, en in conspectu oratores a Latinorum civitatibus missi, capita ramis oleae multis velati, qui Aeneam per deos precantur: suorum corpora reddi iubeat, neve ea per nefas sepulcro carere patiatur. Iis iusta rogantibus Troianus dux assentitur, ideoque aliquot dierum indutias fieri permittit. Venulus interea, qui ad Diomedem auxiliorum petendorum causa missus fuerat, ad Latinos, re infecta, revertitur. Hanc ob causam Latinus rex animo deiectus de pace optimates sociosque in concilium vocat. Rex primus sententiam dicit; de pacis condicionibus, rebus ita afflictis, legatos ad Aeneam mittendos esse censet; tum loquitur Drances, qui cum Turno laudem invideat, regis prudentiam laudat, et Turnum belli auctorem potissimum, asperrimis verbis obtrectat. Hic contra pavido regi veterem Latinorum virtutem commemorat virginemque Camillam, robora ex Volscis ferentem, adventare enunciat, deinde erecto animo Drancis iniurias refellit; ceteri utique deficiant, se unum in advenarum exercitus in Aeneamque ducem impetum facere velle. Dum haec in concilio disputantur, ex improviso renuntiatur hostes properantes undique urbi adventare; equites Tyrrhenos catervatim per planitiem instare, ceteros, Aenea duce, per ardua montium loca imminere: quo nuntio Turnus ardens ex imbelli concilio ad arma se proripit. Urgente necessitate, duo agmina fieri iubet; alterum ex equitibus, Camilla Messapoque ducibus, contra Tyrrhenum equitatum mittit; alterum, duce se, in montium faucibus contra Aeneam per insidias collocat. Interim in superis deorum sedibus Diana, rerum omnium futurarum conscia, cum Camillam virginem sibi sacratam perituram esse noscat, ut indignam necem ulciscatur, ad mortem percussorem destinat. Hac de causa Opim moriturae subsidio in castra compellatam demittit. Laurenti moenibus adstant equitum acies, hinc inde concurritur, fitque iam ingens proelium. Medias inter caedes, laevo pectore ad Amazonum morem

nudato, huc illuc virgo pugnans exsultat, at dum infinitum obsistentium haud ignobilium numerum humi prosternit, eam incautam vibrata hasta excipit Aruns; sub exsertam papillam telum haeret. Virgo humi procumbit, ex vulnere telum sanguine purpureo perfusum trahit moriensque unam ex aequalibus fidissimam Accam ad Turnum mittit, quae ei virginem referat sciscitari ut pugnae impari ipse succedat, ut Troianos arceat urbe. Poenas sanguine suo pependit Aruns; nam eum audacis facti conscium, ceu lupum occiso pastore se in silvas abdentem, Opis telo corripit et necat. Turnus saevo nuntio furens e silvis egressus ad Laurentum accurrit. Eum Aeneas, colle superato, certamen initurus adurget priusquam, die labente, tenebrae lucem abducant.

Liber duodecimus vers. 1-952

CLXVII. Per noctem, Latinis ob accepta vulnera fractis atque pugna adversa remissis, intra Laurenti moenia Turnus regem rogat, ut sibi uni decertandi facultas per singulare certamen committatur. Attamen eum rex, futura mala praesagiens, a nuptiarum spe cum Lavinia deterrere conatur, et a pugnae proposito revocare prudenter insistit: nihil aut regnis suis, aut Latinis gentibus affinitatem profuturam; ex oraculi religione, etiam si ex optatis tota veniat res, eam se censere omnibus perniciosam futuram; quod si ipse, fatorum nutu, in certamine occumbat, Rutulorum invidia fore, ut in unum se, qui eius rei copiam fecerit, concitetur. In quam regis sententiam, etsi Amata atque Lavinia eum lacrimis adurgeant, nihil adducitur; virgineum huius vultum cum videat roseo rubore suffusum, ingemit; ad Troianos de certamine petendo praeconem mittit, ipse tecta repetit, ira, dentibus frendens arma induit, equos petit, currum requirit. Aeneas pro omnibus lacessitus ad arma, conditiones accipit; per suae vitae discrimen bellum compositum iri summopere gaudet. At Saturnia Iuno, veteres Troianorum iniurias pectore in alto rememorans, Iuturnam, Turni sororem, quae stagnis fluminibusque nympha praesidet, dictis

compellat acerbis: periclitanti, si qua possit ratione, fratri subveniat. Luce prima orta, exercitibus utrimque spectantibus, Latinus rex, quadriugo curru invectus, et Turnus, albis in bigis erectus medium in campum procedunt; hinc Aeneas sidereo insignis clypeo caelestibusque armis refulgens, illinc movet Ascanius simul magnae spes altera Romae; ad aras setigerae suis fetum intonsamque bidentem litatum accedunt utrique. Primus Aeneas deos precatur, strictoque ferro se suosque iurat, si Turno victoria cesserit, relictis Laurenti agris, in Evandri urbem ituros neque armis Latinorum regna amplius lacessituros; sin autem pro ipsis bellipotens steterit Mavors, paribus legibus se gentes ambas invictas in foedera aeterna hac condicione missurum, ut ipse et deos et iura et religionem gentibus praescribat condatque insuper urbem, cui nomen Laviniam imponat; socero contra Latino arma, bella, foedera, pacem, cum sollemni rerum imperio, remittat. Haec eadem subinde Latinus, aras tangens, per deos testatur. Dum sacratis victimis litatur, Iuturna, Camerti formam simulata, per Latinorum agmina se in sermones insinuat; nefas pro talibus rebus unam discrimini obiectari animam. Inter haec prodigium fit: vident extemplo in aethere fulvum Iovis alitem, qui marinas volucres ad litora agitat, qui subito lapsu demittitur, qui uncis pedibusque ad undas excellentem cycnum rapit, qui demum, praeda in flumen proiecta, in altum fugiens se nubibus occultat. Prodigium bene Latinis evenisse Tolumnius augur interpretatus telum in adversos hostes conicit; tumultus primum, mox, laxatis ordinibus, proelium ingens oritur. Aeneas dum, nudato capite, suos a proelio contra foederis religionem commisso revocare tendit, in umeris sagitta vulneratus, media ex acie excedere cogitur. Tum, repentino impetu Turnus correptus, celeri per agmina curru volans omnibus locis indignam Troianorum stragem facit. His interea rebus Venus graviter commota, dictamum ferens ex Ida monte decerptam, subsidio filio

occurrit, ut divina arte sanatum mediam in pugnam remittat, quem simul ac Iuturna redeuntem conspicit, ex fratris curru Methyscum aurigam excutit, huius speciem atque vocem simulans habenas arripit, huc illuc decurrit, si instanti fato fratrem subtrahere possit. Aeneas eminus conspicatus, telum immane quatiens, superbam per viarum deverticula caedem occurrentium edens eum adurget. Suos interea aciem relinquere et urbem acriter oppugnare iubet; fit Troianorum ad portas et Latinorum concursus. In rerum discrimine Amata, quae eius belli causa prima fuerat, Turnum in pugna morti occubuisse rata, sua manu ferox sibi vitam adimit; Turnus vero cognita tandem sorore, cuius consilio ab Aeneae armis procul arcebatur, ne urbs oppugnata in Troianorum potestatem veniat, curru desilit atque de victoria deque vita cum eorum duce decertaturus ad moenia urbis accurrit. Turni nomine audito, muros relinquit et gradum in hostem infert Aeneas; ab exercitibus pugna intermittitur; Troiani et Rutuli in adversos heroes haesitantes oculorum aciem intendunt. Primo congressu Turnus, cum gladium fregisset, quem per errorem a Methysco auriga ante proelium abstulerat, fuga viam per campos relegere contendit; at eum Troiani gladiis destrictis retinent undique, quoad Aeneas, qui ob vulnus acceptum a cursu impeditur, ferro iterum adurgeat. Rursus in formam Methysci Iuturna se mutat, procurrensque fratri ensem reddit. Interea de bello finiendo Iovem inter Iunonemque his condicionibus convenit, ut, pace per coniugium firmata, gentes duae in unam civitatem coeant, ut, Troia cum nomine perempta, urbs nova condenda Latinum nomen habeat, et lingua moribusque Latinis utatur. Ex hac urbe, annis volventibus, Albani reges per saecula fient; ex hac propago Romana Italorum, quae pietate superet homines, superet divos, potentissima orietur. His ita inter deos pactis, statim e caelo Dirarum una, feralis noctuae figuram gerens, devolat, quae Turni circa clypeum alis everberans, tristia

eius leti omina canit. Quam ut primum infelix Iuturna soror agnoscit, unguibus ora foedans multaque gemens, in fluminis se undas immittit. Inter Aeneam Turnumque certamen instauratur; hic ingenti pondere saxum Troianum in ducem furens altior insurgens manu trepida intorquet; rursumque Aeneas morantem in eum fatale telum eminus vibrat et transfixo septemplici clypeo per loricae oras femur transfigit. Ictus in terram ingens incidit, Rutulorumque gemitus astra petit. Dubius haeret et anceps an hostem acerrimum morti donet Aeneas aut potius parcat subiecto; at ubi in eius umeris Pallantis balteum conspicit, furiis accensus, hostem huic extemplo ut opimam hostiam immolat poenamque scelerato ex sanguine extremam rependit.

Poematis partes et nexus

CLXVIII. Ex his, quae pro libellorum ratione nostrorum e singulis per summa capita decerpsimus libris, vel quantum res ipsa tulit, enucleatim rettulimus, videre licet quam mirum poematis artificium sit, quam genere universo plenum et ex artis praeceptis in partes cunctas congruens, etsi non id perfectum neque perpolitum reliquerit auctor. Quinque enim in se partes complectitur, quas ex Aristotelea poetica huius poesis generis proprias esse veteres litterarum studiosi acerrimique critici credebant, videlicet actionem, fabulam, mores, sententiam, dictionem, quae critici novi, qui nunc sunt, in poematis ne respiciunt quidem, etiam si quando ea a poeta dedita opera conquisita esse videantur. Aeneidis actio cum tempore, tum loco ita una est, ut unius anni spatio expleatur, uno tantum loco, quod Latium est, maximam partem agatur. Nam licet ad octo circiter annos extendi videatur, cum res, quae primis quattuor annis factae sunt, ab Aenea Didoni audienti narrentur, cumque quasi actionis prooemium constituant, quae per tres annos, in itinere conficiendo, in reficiendis navibus, in anniversariis celebrandis in rogandis oraculis, Troiani perpessi sunt, uno concluduntur in extremo anno unoque Latio per bellum illud, quod canere

instituit poeta. Item illustris actio est et completa et rerum magnitudine egregia, siquidem de Romanorum imperio condendo pertractat. Fabula autem tribus partibus constat, exordio, rerum nexu, solutione, ita tamen ut casuum series pulcherrimis, quae dicuntur, episodiis et varietur, et levetur et illustretur. In his sunt Iunonis consilium de submergenda Troianorum classe, ex quo mari ventorum vi extemplo agitato et turbato, poematis res et argumentum, in media ut dicitur re, initium sumit; tum horriferi Troiani incendii exitiique ad verum descriptio, et itinerum tam longinqua per loca diversa, et navigationis narratio quam Aeneas ipse eo doloris sensu ac dignitatis exponit, eo infelicis patriae desiderio, ut miserationem permoveat atque amoris incendium in audientis reginae pectore excitet. Ex huius amore atque acerbissimo funere liber quartus conficitur, quem qui animo molli legat et a natura bene informato, incredibili moestitia suaviter perfunditur et quasi satiatur. Accedunt rei ornandae causa multa alia; in his est ludorum descriptio, quibus Anchisae patris mortis anniversarius dies celebratur, descensus ad Elysios campos per Tartari vices, complura alia, quae ita narrationi connectuntur, ut seiuncta neque eam graviter immutent neque minus perspicuam efficiant. Heroum autem mores ita varii in poemate sunt ut diversa hominum ingenia exprimant, iidemque adeo sibi constanter aequabiles, itaque rebus condicionibusque hominum adhaerentes, ut aut quid revere sit aut quid esse oporteat in vita ostendant.

Poematis deverticula

CLXIX. Equidem non ignoro criticos esse nonnullos, qui, cum in heroibus virtutem quandam duram expetent ferream quasi atque inhumanam et eorum immanitatem celebrent; pietatem, religionem humanitatem, cuius in Aenea Virgilius imaginem et exemplar expressit, vel exprobent et damnent, vel gravi vitio poetae epico facile vertant. Achillem ferum diligunt, pium spernunt Aeneam. Heroem virum illum existimant, qui neque pietate flectitur, neque misericordia

Aeneae ingenium et mores

movetur; qui immani ferocitate animi exsultat, qui furore inflammatur, odio incenditur, corripitur ira. Aeneam virum adumbratum dicunt, iacentem, fractum, quia mollioribus et suavioribus moribus utitur, quia iustitiam colit, parentes, amicos, quia deos precatur. Istorum sententiae equidem non assentior. Ille immanitate, ferocia naturam hominum superat, Aeneas pietate. Non minus ferocitas deorum iratorum est, quam eorundem pietas; hac non minus quam illa homines supra hominum naturam ad deos accedunt. Vividiores colores in tabulis pictis delectant, at magis leves placent dissimilium colorum transitus. Pietas in Aenea neque a virtute disiuncta est, neque ignava, at asperitas in eo humanitate delinitur et temperatur; ardens tamen est si oportet et multis locis apparet. Ceterum non aetatibus omnibus eadem conveniunt. Graeci veteres, quasi artis portentum, Cleanthem Corinthium mirari soliti erant, qui, cum ad similitudinem opificum Aegyptiorum et morem figuras pingeret solido corpore, membris, lacertis praestantes, figurarum ipsarum magnitudine quadam immani rigidioribus tantum lineamentis sine colore definitarum, animos etiam tum rudes eorum percellebat et vehementer movebat. Attamen non ita multo post illum maiore in honore Apollodorus, Polygnotus, Zeuxis esse coeperunt, qui ideo placebant, quia, coloribus usi, ad mollitiem et ad formam delicatiorem artem illius asperam et inconditam inflexerant, quo aptius ad suae cultum aetatis conformarent. Apud nos pictores duo suppares paene, qui in eodem Leonis decimi saeculo inciderunt, Michael Angelus Buonarrotius et Raphael Sanctius communi omnium consensu prae ceteris laudantur; hic, quia illius figurarum asperitatem incurvis lineis et delicatis vividioribusque coloribus ad tenuitatem gradatim vanescentibus ita mollivit, ut suaviter visum blandiatur; alter, quia irrefrenata quadam vi Titanum persimili figuras in tabulis et in parietibus non pinxit neque effinxit, sed, ut statuas reapse suas, in saxo quodammodo insculpsisse videtur. Suam

Aeneae virtus moderatur humanitate.

quaeque aetas singulique in aetate sua poetae trahuntur in artem. Quid de Virgilio? qui neque recens ab heroicis aetatibus erat, ut Homerus, neque ferocibus hominibus scribebat, sed Romanis, quorum in moribus erat parcere subiectis et debellare superbos. Herois Troiani indolem subtiliter Franciscus Vivona deprehendit et notat, qui nuper elegantissimis perpolitissimisque numeris Italicis poema Virgilianum litteris nostris mandavit. Aeneam equidem puto heroem alterum esse; diversum utique ab Achille, qui apud Homerum est; sed heroem non minus; cultu hercule et humanitate maxime inter se discriminantur, quae maior et pergratior in primo est; minor, aut nulla in secundo; in armis alter cum altero aemulatur, etiamsi illum nec superet nec aequet; at, cum arma virorum furentium sint, non quidem aequorum, qui inviti ad ea sumenda feruntur, Aeneam, qui mox populi Romani pater et conditor est futurus et iura daturus, non minus immanitas et iniuriae dedecent, quam arma ipsa et bella, quae non iusta de causa sumantur. Virum et heroem non eum dicam ad morem Graecorum antiquorum humanitate carentium, conformatum, sed virum tanto fortiorem quanto iustiorem cum moribus Romanorum, qui Virgilii aetate fuerunt, quam maxime congruentem; virum patrium dico, neque adventicium neque a Graecia importatum. Si quid vero Virgilianis in heroibus inquiris, quod reapse granditatem Homericam sapiat, quam laudas, inspice Turnum, inspice Camillam: ardentiorem utrumque et vehementiorem cum heroibus Homericis invenies: Turnus et Camilla, cum longe acriores sint, heroum Homericorum lineamenta prae se ferunt atque figuram. Turnus cum Hectore ex aequo virtute et fato componitur. Hic pro aris et focis fortissime pugnans sub Troiae moenibus mediam per noctem flammis correptae accumbit, ille aperto in campo decertans primus in acie triste suum pro patria excipit fatum; uterque eadem de causa propter fortunam suam et casum eundem aetatem in omnem

Vivona l'Eneide in versi italiani. Prefaz. Ausonia. Roma

Quibus notis ab Achille discrepet Aeneas

Turnus et Camilla ad Homericum modum heroes

pluricolores flores, qui primo anni vere necdum aratos agros neque cultos laeti almum ad solem hiantes distinguunt atque decorant et sine causa cadunt inscio ab aratore succisi. Ceterum dolor, quasi rerum lacrimae, poema universum pervadit serpitque tristes ob eventus, in hominum animis ut maceret tecte et cruciet, tamquam si Virgilius innato quodam vitae taedio affectus, quod rerum contemplatione et usu in dies auxisset, heroes suos hominesque cunctos occulto item credat laborare taedio atque dolore. Dolorem Homerus hunc in intima hominum pectora sese insinuantem atque abdentem, quoad animi rapiditate viguit, penitus ignoravit; senescens vero haesitantem deprehendit neque eo et suo et proprio usus est neque dedita opera in suos heroes transferre potuit animo suo deficiente; Virgilius contra animadvertit et sentit. Critici nonnulli credunt Homerum — vel eos, si magis lubet, qui ἀείδοι hodie dicuntur, cum utrum hic fuerit revera, necne, post Vicum acriter disputetur — vix aetate florentem Iliadem memoriter composuisse; Odysseae contra inveniendae in senectute operam dedisse; hac de causa primam, solis orientis instar, vividioribus imaginibus celerioribusque animi sensibus clarius ac alteram splendescere; hanc vero alteram ad domesticos affectus cogitationesque significandas demitti, ut solis lux sese ad occasum condentis evanescit in umbras. Duobus ex his Homeri poematis in unum commixtis atque connexis, carmen Virgilii epicum natum est utriusque notis locupletatum; in quo mirum in modum lux illius fulgens teneris quibusdam umbris velatur, res heroice actae cum domesticis casibus componuntur, arma atrocia et bella, strages in miseros infertae, iis, quae armis potiora sunt et pulchriora, pietate in deos, in parentes, in amicos moderantur et singulari humanitate temperantur. Plenius ex hac parte et locupletius et magis ad veritatem variatum Virgilii poema quam unumquodque Homeri carmen habendum.

Poema infinito doloris sensu occupatur

CLXX. Quae poematis laudes cum egregiae sint et per

se praeclarae, tum in primis dicendi genere illustrantur. Quis enim poetarum vel Romanorum, vel etiam Graecorum expolitiore, aut dulciore, aut elegantiore oratione umquam heroicis in carminibus condendis usus est? Oratio eius emendata est Latina atque ex bona consuetudine non minus profluens quam summa arte limata. Versus lectissimis insculpti verbis, modo lenes, modo graves sunt, modo tardius modo incitatius ad mensuram feruntur, ut, Virgilii voluntate, non vocibus magis quam rebus inserviant. Ex varia compositione verborum sonum rerum exprimit earum, quas describit; nec id tamen operose facit, sed sua sponte quasi atque ad aurium iudicium, quod superbissimum a natura habuit. Pro multis duo tantum valeant exempla, quae duobus his versibus insunt:

Elocutionis virtutes et versus

Insequitur clamorque virum stridorque rudentum.

Intonuere poli et crebris micat ignibus aether.

Lib. I. vers. 87 et 90.

in quorum altero verba similiter cadentia ita iterantur, ut rudentum sibilus audiatur; in altero acutae vicissim et graves syllabae iis divisae verbis succedunt, ut quid audias et videas ac si tonet et fulguret. Bovem concidentem humi productiore versu et graviore et claudicante quasi depingit:

Sternitur exanimisque tremens procumbit humi bos.

Lib. V. ver. 481.

In versibus quibusdam lenitatem et asperitatem, desperationem atque amorem divina quadam arte componit, ut in notissimis versibus, quibus Dido amantem infidelem compellat:

Dissimulare etiam sperasti, perfide, tantum
Posse nefas tacitusque mea decedere terra?
Nec te noster amor nec te data dextera quondam
Nec moritura tenet crudeli funere Dido?

Lib. IV. vers. 305-308.

Verba ita collocat et nectit, ut apte inter sese cohaereant et ad sententias volvantur atque sententiis lumina conferant;

incertus Aeneae dubiusque animus haesitantibus in versibus his et spiritu et sono quasi diruptis deprehenditur:

> . . . *Ego te quae plurima fando*
> *Enumerare vales numquam, regina, negabo*
> *Promeritam nec me meminisse pigebit Elissae,*
> *Dum memor ipse mei, dum spiritus hos regit artus.*
> *Pro re pauca loquar. Neque ego hanc abscondere furto*
> *Speravi — ne finge — fugam, nec coniugis umquam*
> *Praetendi taedas aut haec in foedera veni.*
> *Me si fata meis paterentur ducere vitam*
> *Auspiciis et sponte mea componere curas,*
> *Urbem Troianam primum dulcisque meorum*
> *Reliquias colerem, Priami tecta alta manerent,*
> *Et recidiva manu posuissem Pergama victis.*

Lib. IV. vers. 333-344.

CLXXI. In formis et aspectibus locorum et regionum repraesentandis, coeli, maris, varietate colorum utitur, quam numquam ditissimus pictor adhibuerit. Ita, cum ad lucem rebus inferendam praeclaras ex re dispari similitudines repperit, tabulas quasi pictas effingit. Hinc quoque in exemplum cum vel noctem, vel maris aestum, vel tempus vernum, vel pugnam describit, ita res multiplici variat ratione, quae ab aliis antea vel etiam ab Homero inventae sunt, itaque arte sua colorat, ut eos nullo modo imitari videatur, sed suum proprium aliquid et a se inventum et excogitatum efficere. Hanc equidem ob causam, si de universa arte Virgilii iudicium ex quadam cum Homero comparatione instituenda ferre velim, verbis iis utar, quae Quintilianus ab Afro Domitio refert iuvenem audisse: qui quidem, Quintiliano sciscitanti, quem Homero accedere crederet « *secundus, inquit, est Virgilius, propior tamen primo quam tertio* ». Quibus ipse non tantum aetate, sed artis cognitione maturus haec addit: « *Et hercule, ut illi naturae caelesti atque inmortali cesserimus, ita curae et diligentiae vel ideo in hoc plus est, quod ei fuit magis*

Quint. X. Inst. 1. 86.

laborandum, et quantum eminentibus vincimur, fortasse aequalitate pensamus». Quam Virgilii perfectam dicendi artem secum ipse perpendens Ieronimus Vida, poeta haud ignobilis, qui fuit saeculo litterarum Latinarum studiosissimo, cum poeticorum libros, qui de arte rethorica sunt, Cremonensibus mitteret, praeceptorum, quae tradebat, ut exemplum Virgilium indicavit. «*Intelligent etiam, quantum ornamenti, ac luminis huic Arti praestantia ingenii attulerit Virgilius noster, quem poetarum omnium — non de nostris tantum, verum etiam de Graecis loquor — facile principem ponimus. Huius ego quoties, Patres optimi, divinum poema lego, videtur mihi vir ille non tantum historiam scribere, sed de ea ipsa arte praecepta tradere voluisse, ut ostenderet, quantum Graecis ipsis, a quibus hanc disciplinam accepimus, defuisset, quodve de hac Arte est, quod de ceteris omnibus dici posset, nostros videlicet, quae ab aliis accepere, ea semper meliora reddidisse*».

Hieron. Vida in Epist. ad Cremonenses

CLXXII. Datus profecto est deorum numine quodam maioribus nostris Romanis poeta, qui, cum ad omnium marium litora imperium diffluxisset, sempiterna apud totius terrarum orbis aetates Urbis nomen et gloriam faceret et cycnea voce concineret; qui renovandis Italiae gentibus veterem litterarum lucem et lampada per Dantem traderet per eundemque multos post annos novum rerum futurarum meliorum auspicium portenderet: fabula enim detracta, Virgilii poema historiam Romanorum mirum in modum concelebrat. Ex Latinorum aborigenum commixtione cum Troianis advectis, fatorum numine, oritur Roma; ex illorum virtute, lingua, moribus, cum religione Troianorum cultuque deorum coniunctis, artes et studia efflorescunt, quibus, viis terrarum patefactis, Urbs armis potentissima moribusque integerrimis, populos imperio regat una, pacisque morem imponat eademque parcat pietate subiectis atque superbos virtute debellet. A funere Didonis, tamquam a remotis discordiarum causis, bellum Punicum

Quid sibi Virgilius proposuerit

cepit initium, quo bello bene confecto, fata terrarum imperium Romanis aperuerunt. Item a Venere, Aeneae matre, cuius tutela ad Tiberis ostia generis primus auctor Aeneas appulit, genus atque originem primam ducit Augustus, qui, saeculis aureis instauratis, cum Hercule fortitudine contendat, peregratorum finium latitudine Bacchum superet et pacatum orbem sua regat prudentia. Quas egregias res, per imaginem et somniantis speciem Romanis destinatas in campis Elysiis Anchises filio ostendit, in caelato clypeo Venus, dea mater iubet effingi ac si Romanos docere velit imperii amplitudinem magnificentiamque in armis consistere.

VIRGILIANA MINORA ET ADVENTICIA

Copa

CLXXIII. Ex minoribus carminibus, quae sub Virgilii nomine accepimus, occurrit in primis « *Copa* » quod carmen festivitate plenum est undeviginti alternis versibus longiusculis constans, in quo mulier quaedam Surisca, quae vinum vendit, ad lascivos procax amores, ad merum, ad flores viatores itinere fessos suam in tabernam invitat et excipit. En ut carmen noscas, quantum ad provinciam meam spectat initium :

Copa Surisca caput graeca redimita mitella
Crispum sub crotalo docta movere latus,
Ebria fumosa saltat lasciva taberna,
Ad cubitum raucos excutiens calamos :
Quid iuvat aestivo defessum pulvere abisse
Quam potius bibulo decubuisse toro ?

Etsi haud Virgilio indignum cum venustate orationis atque nitore, tum versuum structura hoc carmen videatur, ab eo tamen rei ipsius genere lasciviore et minus poetae ingenio constanti abiudicatur a multis. Poematium aliud « *Ciris* » quingentis quadraginta uno hexametris versibus continetur ;

Ciris autem nomen avem quandam indicat, in quam poetae Scyllam virginem regiam fuisse mutatam fabulantur. Haec enim Minois, Cretae regis, amore capta, patrem ipsum Nisum, regem Megarensium, cum ob amorem contempsisset, purpureamque, dormienti parenti abscissam comam tulisset hosti, dum Minoem in Cretam renavigantem sequitur, in avem conversa impii facinoris poenam luit. Falso equidem arbitror hoc carmen Virgilio etiam inscribi; nam cum Aeneidis versus integri in eo inveniantur nec non multa hinc illinc ex Catullo surrepta, cum ex fontibus poetarum, qui Alexandrini dicuntur, si genus ipsum inspiciamus, res deprompta videatur, dignitate formae caret et recentiore aetate ab imitatione expressum Virgilii in exercitationem apparet. Idem iudicium de carmine, quod « *Culex* » inscribitur, ferimus. Quamquam enim multis monumentis constat profecto, de hac re carmen fuisse a Virgilio conscriptum, quod carmen heroicis versibus constans quingentis quattuordecim nobis in manibus est, aut illius minime dicendum est, aut satius corruptum, versibus et additis et detortis et immutatis a librariis, credendum; eius enim res cum Virgilianis minime quadrat. Perexiguum animal culex pastorem a serpentis morsu spiculi acumine excitatum a somnio dum liberare conatur, imprudens atque ipsum conteritur. In somniis tum pastori se post mortem ostendit, obscurisque inferorum locis descriptis, ab eo petit, ut ingrati obitus pensandi causa tumulum sibi extruendum curet. Re simul et genere ad Bucolica accedere videtur idyllium centum viginti tribus longis versibus constans, quod inscribitur « *Moretum* ». Rusticus quidam senex, Simylus nomine, sub primam lucem, sibi cibum parans inducitur. Contractis in mortario, ruta, caseo, sale, allio, aceto, aliis huiuscemodi edulibus rebus, iisque pistillo intritis, panem madefacit, ut cibum, quod moretum dicitur, conficiat. Si Virgilio carmen hoc ascribendum est, id in pueritia confecit. Grandiloquens in exordio est altius sonans, ultra quam res tenuis postulet;

Ciris

Culex

Moretum

consuetudinis videtur meminisse agricolarum, in paupertate ipsa et gravibus muneribus beatam vitam agentium.

Iam nox hibernas bis quinque peregerat horas
Excubitorque diem cantu praedixerat ales,
Simylus exigui cultor cum rusticus agri
Tristia venturae metuens ieiunia lucis,
Membra levat vili sensim demissa grabato
Sollicitaque manu tenebras explorat inertes
Vestigatque focum, laesus quem denique sensit.

Κατάλεκτα

Breviora autem carmina quattuordecim, quae inveniuntur in libro, qui « *Catalecta* » inscribitur, tum re et argumento, tum numeris valde inter se differunt et satis superque longe a ceteris Virgilii carminibus absunt. At de his quoque hactenus, nam de *Aetna*, quae nostro quoque poetae falso multos annos attributa est, alio loco plura dicturus sum.

Q. HORATIUS FLACCUS

CLXXIV. In Q. Horatio Flacco, lyricorum Latinorum principe, quid acris ingenii praestantia efficere possit, addita patris disciplina atque magistrorum institutione, videmus. Etenim ut ipse summo ingenio fuit, ita pater in eo instituendo industriam et diligentiam summam adhibuit. Humili loco — nam pater eius praeco erat ac libertinus — biennium ante Ciceronis consulatum anno sexcentesimo octogesimo nono post Urbem conditam IV. Id. Dec. in oppido Venusia natus est: Lucanus vero an Apulus dicendus, ut ipse notat, anceps,

Nam Venusinus arat finem sub utrumque colonus.

Horat. II. Satir. I. 35.

Pater eius — qui vectigalia exigenda conduxerat, compendiis, quae parsimonia multa collegerat, macrum Aufidi fluminis adiacentem ripis agellum emerat — non eum Venusiae Flavio

cuidam magistro in disciplinam erudiendum tradidit, Romam se secum in urbem attulit, ut Orbilium Pupillum, celebratissimum sapientiae magistrum, audiret. Hinc, ut in nobilium civium usu erat, viginti annos natus Athenas, ut in inceptis studiis insisteret, venit. Ibi cum ipse, advena citra mare natus, versiculos Graecos facere instituisset, tali voce vetitus est:

I. Satir. 4. 105; 6 65

II. Epist. 2 42. et seqq.

In silvam non ligna feras insanius, ac si
Magnas Graecorum malis implere catervas

I. Satir. 10. 34-35.

scilicet cum eruditis Graecis poetis Graeca lingua de poesis laude contendere desinit. Cum, Caesare interfecto, iterum belli civilis incendium exarsisset, et a Bruto, qui Athenas venerat, in partes suas deductus esset, militum tribunus creatus est collecticiis in exercitibus, qui ad libertatem reipublicae armis tuendam in Macedonia contrahebantur. Cum Bruto proelio ad Philippos interfuit. In pugnae discrimine, cum exercitus Bruti terga vertissent, *relicta non bene parmula* fugam capessivit. Deinceps, afflictis animis et rebus omnibus fractis, cum ab Octaviano militibus distractis venia esset data et facta redeundi in Italiam facultas, in navem conscendit. Inter navigandum, mari ad Palinurum promontorium turbato vix naufragium effugit: in terram integer egressus Venusiam iter perrexit. Ibi tristissimum nuntium accepit; patrem, se absente, mortuum esse seque ob agrorum largitionem, quam militibus fieri iusserat Octavianus, agello paterno privatum. In extrema pauperie vitae sibi sustentandae consulendum fuit, ideoque, cum Romam se contulisset, ab Augusto munus scribae impetravit et versus scriptitavit, unde in epistula:

II. Carm. 7. 10.

II. Carm. 4. 28.

Unde simul primum me dimisere Philippi,
Decisis humilem pinnis inopemque paterni
Et laris et fundi paupertas impulit audax,
Ut versus facerem. . . . . .

II. Epist. 2. 49.

Evulgatis itaque satirarum atque epodum libris, eam famam

acquisivit, ut a Virgilio Varioque in amicitiam acciperetur; ab his in Maecenatis equitis clarissimi familiaritatem est insinuatus, cuius beneficio Augusti sibi favorem et gratiam conciliavit. Uterque eum in deliciis habuit; Augustus inter alios iocos eum *homuncionem* lepidissime appellare solebat. Maecenas eum comitem in itinere ad Brundisium voluit. Item ab utroque liberaliter villis et praediis locupletatus est, quae ei opportuna ad bene beateque vivendum adiumenta suppeditarent. In his a Maecenate villam in Sabinis accepit, cuius saepe in carminibus amoenitatem laudat. Reliquam igitur aetatem sine molestia cum egisset, natus quinquaginta septem annos obiit. Augustus, quem bonorum omnium ex testamento heredem reliquerat, funeris pompa honesta atque magnifica facta, in Esquiliis iuxta Maecenatis tumulum eum humari iussit.

Svet. in Vit.; II Satir. 6.40 et seqq.

CLXXV. Fuit Horatius — nam suam ipse imaginem in satiris epistulisque lepidissime verbis exprimit — statura humilis, corporis habitu praepinguis atque obesus, oculis lippis, canus ante diem. Ingenio hilari et aperto ita lepidus erat, ut salibus atque facetiis in quotidiano quoque sermone uteretur, ad bilem autem iracundiamque quo natura ipsa proclivior, eo placatu facilior. Item in amicitiis colendis ita stabilis et firmus, ut levis et mutabilis in amoribus. Veterem enim amorem, si amisisset, novo amore, tamquam clavum clavo, eiciebat; amicos vero, sive qui in republica vel uni, vel in primis valebant, constantissime coluit ita tamen, ut non iis utilitatis causa assentaretur, neque idem ingratus in gratia referenda videretur. Ab Augusto invitatus epistulam ei breviorem rescripsit, ne longo eum sermone tanta negotia sustinentem moraretur, at propter minus firmam valetudinem litterarum munus et officium declinavit, quod ab Augusto offerebatur. A Maecenate autem, cui in primis ita carus erat, ut omnia ab eo expetere posset, praeter unam in Sabinis villam, nihil ultra accepit; huic, grata quadam beneficiorum

II. Epist. 1.

significatione carmina inscripsit. Non eandem uno modo vitae rationem servavit. Ex Orbilii enim institutione adulescens epicuream sectam secutus oblectamentis voluptatum primum se deliniri sivit; tum aetate provectus, cum se Academicis tradidisset, nihil potius habuit, quam ut, curis omnibus vacuus et muneribus, in ruris amoenissimi quiete procul ab Urbis rumore beate viveret et regnaret. Hanc ob causam qui fuerit et civis et poeta nulli umquam magistro ita addictus, ut in eius verba iuraret, talem se et sincerum integrumque in carminibus exhibet.

CLXXVI. Quae quidem carmina cum saepenumero pervolutarem, tribus distinctis et quasi inter sese divisis mihi temporibus ab eo fuisse conscripta persuadebatur; videlicet quoad iuvenis fuit atque ardens « *Iambos* » qui vulgo nominantur etiam « *Epodi* » tum in aetatis flore « *Sermones* » seu « *Satiras* » atque « *Carmina* » atque « *Carmen saeculare* » tum extrema aetate « *Epistulas* » atque « *Poeticam* » ad Pisones fratres — hanc sermonibus alii coniunxerunt, epistolis ipse potius adicere solitus erat —. Hunc temporum ordinem iambis atque sermonibus assignamus propter multas causas, quae unicuique propriae sunt, et propter communem omnibus pectoris aestum, qui eum, ut ipse fatetur, in iuventa tentavit. Non enim desiderantur in utrisque, etsi frequentiores in illis inveniuntur, acres verborum aculei, quibus ipse Archilochi mordacitatem aemulatur. Genus numerorum hoc primum se superbius invenisse gloriatur; nam ait de se:

Iambi seu Epodi

> . . . *Parios ego primus iambos*
> *Ostendi Latio, numeros animosque secutus*
> *Archilochi, non res et agentia verba Lycamben.*

I. Epist. 19. 23. et seqq.

Sed quam laudem sibi vindicat, non concedimus; Lucilius Bibaculus, Catullus, poetae alii iisdem iam pridem erant usi versibus; istos tamen animi contentione et arte ita superavit, ut genus orationis et versuum conformationem longe faceret

elegantiora. Ad genus quod attinet — nam usu carminum genera alia ab aliis diversa distinguuntur — carmina Horatii alia lyrica sunt, alia didascalica et satirica, alia denique, quae — cum hoc et illud genus in unum componant et teneant mediam inter utrumque viam — media dixerim; quamquam vereor ne haec divisio artificio non careat, quod unus idemque carminibus in omnibus sit poetae animus afflans et spirans, eaedemque res usque recurrentes, quibus ad carmina fundenda impellatur. Postremum equidem genus suum et poetae proprium et cum eo natum censeo: in epodis enim reperitur, quos prima iuventa constat concinnasse; ea videlicet aetate, qua hominis uniuscuiusque indoles et natura, curis vacua, carens arte, nondum hominum et rerum experta, loquitur per se atque sua sponte fertur ad sermonem quam maxime sui similem conformandum. Epodi, iambis plerumque trimetris et dimetris alternis compositi, decem septem numerantur. Versus hos indignatio, ira, stomachus, ardor partem maximam facit, urit, inflammat. Acriores aculei e carminum fine inopinate in singulos vel in cives catervatim erumpunt. Quarto in iambo libertum quendam, ignotum hominem et novum, laedit quod, cum malis artibus divitias comparavisset, obscurae sui ipsius originis immemor, tribunicia militum potestate superbus incedit; cachinnans ita eum alloquitur:

Licet superbus ambules pecunia,
Fortuna non mutat genus.

Iamb. 4 5-6

Maevium in decimo quendam, qui malus poeta est, qui male olet, nave in Graeciam transvecturum mordet; consuetudinem scilicet poetarum imitatur, qui amicis proficiscentibus omina fausta per carmina mittere soliti erant, in malam partem, vafer, vertit: infelici Maevio abeunti haec bene, apage! ominatur:

Mala soluta navis exit alite,
Ferens olentem Maevium:
Ut horridis utrumque verberes latus
Auster, memento fluctibus.

Iamb. 10. 1-4.

In eundem Maevium, ut videtur, epodo sexto acrius instat. Hic enim ex suspicioso et malefico malorum poetarum genere, cum non aequo animo ferret, quod a civitate et praesertim ab Octaviano et a Maecenate poetae advenae praeferrentur, hospites contumeliis vexabat; cui Horatius ad benevolentiam erga pauperculos poetas significandam, pectus ira tumidus:

> *Quid immerentes hospites vexas, canis*
> *Ignavus adversum lupos?*
> *Quin huc inanis, si potes, vertis minas*
> *Et me remorsurum petis?*

Iamb. 6, 1-4.

obtrectatorem invidumque reliquis versibus magis magisque perstringit eique mala minatur, nisi, ad ima ossa atro dente laceratus atque decerptus inultus, puerorum in modum, lacrimis fleat. Iambi nonnulli, aculeis, ignibus, armis quasi acre ad proelium instructi, e libro in faecem mulierum infimam resultant, quae, antiquis maiorum moribus corruptis, huc illuc noctu dieque per Urbem vagantes, vias, forum, theatra, suburram frequentant atque stipant. In hoc perditissimarum foeminarum turpe quasi collegium altera alteram cooptabat; inerant pantomimae, saltatrices, comoedae, unguentariae, huiuscemodi balatrones et etiam matronae. Horatio, caelibem vitam agenti, non displicebat istarum foeminarum uti consuetudine; Maecenati equiti, poetis in Maecenatis circulo versantibus Horatius, nebulo in nebulonum corona, amores narrabat, ut delectaret, iambis amatoriis per iocum compositis. Nominibus amantes suas transmarinis et importatis, vel e verbis Graecis exquisite formatis decorabat: en Lydiam et Glyceram; en Lalagen et Chloen; en Neaeram; en, malis nominibus, Cyneram et Canidiam; en innumerabiles alias. Quo facilius istarum amores sibi conciliat eo citius amittit; volubiles enim sunt animo omnes neque uni tantum addictae; mulieres has Horatius non amantes laudat et celebrat — nugator enim est, neque suppetit ei tempus, neque amoribus

credere praestat — qua erat indole et natura sua facetus, infideles et periurias deprehendere, vexari et versibus suis lacerare potius habet; ipse et amici una infideles ridebant; ridebat homuncionem Augustus. Octavo atque duodecimo vetulam, amorum cupidissimam et inexplebili libidinum cupiditate ardentem, detrectat et vexat: altero istorum turpem illius vultum et formam obscenis verbis usus describit:

Rogare longo putidam te saeculo
Vires quid enervet meas,
Cum sit tibi dens ater et rugis vetus
Frontem senectus exaret

Iamb. 8 1-4.

in altero autem contumeliis et probris inverecundiam eius et procacitatem turpissimosque mores laniat et nudat:

Quid tibi vis, mulier nigris dignissima barris?

Iamb. 12. 1.

In Canidiam, quae veneficiis et cantionibus hominibus dementiam parabat, quinto et septimo decimo triumphans irruit atque invehitur. Hanc simulationibus falsisque laudibus sibi propitiam facere velle fingit, quo acrius laceret et cruentet:

Iam iam efficaci do manus scientiae,
Supplex et oro regna per Proserpinae,
Per et Dianae non movenda numina,
Per atque libros carminum valentium
Refixa caelo devocare sidera,
Canidia, parce vocibus tandem sacris
Citumque retro solve, solve turbinem!

Iamb. 17. 1-7.

At venefica mulier, surdior saxis, neque verba audit neque precibus auscultat. Sub Canidiae nomine veteres interpretes improbam puellam occultasse referunt, Gratidiam nomine, unguentariam, Neapolitanam eamque sempiternis maledictis etiam sub nominibus aliis vexavisse putant, quia infidelem et inconstantem invenisset. Nec infidelis sola! Nam Horatius,

perpetuo caelebs, facilibus laborat amoribus! En Neaeram; igniculis novis ardet et excruciatur. Quid? infidelis et ipsa; nonne, caelo sereno, fulgente luna, sideribus ceteris fulgentibus, nonne amori fidelem iuraverat perpetuo futuram? Eandem recinit rem: infidelem amantem, quae eum arctius quam hedera ilicem amplexa, mutuum amorem iuraverat:

Nox erat et caelo fulgebat luna sereno
Inter minora sidera,

Cum tu, magnorum numen laesura deorum
In verba iurabas mea,

Fore hunc amorem mutuum. Iamb. 15. 1-10.

Quas animo et pectore suo Horatius amat, eas non ita multo post se et amore suo indignas reperit. Faeces amoris! surdes mulierum! Neaeram hanc mox, ut ceteras, periuram erga amantem alterum atque alterum cito futuram praedicit.

CLXXVII. Ab his valde primus distat, undecimus atque decimus quartus, qui similitudine versuum magis quam affinitate sententiarum in epodum libro continentur. Epistulae dici possunt, non soluta oratione sed numeris adstricta compositae, quas ad amicos mittit. In decimo tertio amicis in convivio propinat, eosque rebus in adversis ut diem carpant, invitat. Epodus hic inter carmina symposiaca referri potest, quae inter epulas a compotantibus dici solebant. Convivae, tamquam in ornatu scaenae, senectutis adventantis cogitatione et moestitia tenentur quo arctius tempestati horridae quadrent.

Horrida tempestas caelum contraxit et imbres
Nivesque deducunt Iovem; nunc mare, nunc silvae
Threicio Aquilone sonant. Rapiamus, amici,
Occasionem de die, dumque virent genua
Et decet, obducta solvatur fronte senectus.
Tu vina Torquato move consule pressa meo: Iamb 13. 1 6.

Allium, tamquam vilissimum cibum durisque vix ilibus

messorum tolerandum venenum, epodo tertio despicit, cum Maecenate lepidissime iocans, qui ut convivarum stomachum moveret, cibos in coena suppeditari iusserat satius necessario illo conditos. At poenam luet Maecenas, cuius savio puella manum opponet et extrema in sponda halitum fugiens recubabit. In septimo et decimo sexto discordias civiles, neque lupis neque leonibus dignas, quam maxime nefastas improbat; quae eo civitati imminere putat, ut nepotes luant Romuli scelus:

Sic est: acerba fata Romanos agunt
Scelusque fraternae necis,
Ut immerentis fluxit in terram Remi
Sacer nepotibus cruor.

Iamb. 7. 17 20.

His discordiis Romam turpiter pereundam esse praesentit:

Barbarus heu! cineres insistet victor et Urbem
Eques sonante verberabit ungula,
Quaeque ventis carent et solibus ossa Quirini
Nefas videre! dissipabit insolens.

Iam. 16. 11-14.

In nono epodo denique — quem nonnulli post pugnam ad Actium promontorium, in qua Octavianus Antonium superavit, alii contra post navalem in barbaros navibus per maria cursitantes scriptum esse putant — triumphalis carminis species quaedam est, ut ex his versibus facile patet:

Io Triumphe tu moraris aureos
Currus et intactas boves?
Io Triumphe nec Iugurthino parem
Bello reportasti ducem
Neque Africano, cui super Carthaginem
Virtus sepulcrum condidit.
Terra marique victus hostis punico
Lugubre mutavit sagum.

Iamb. 9. 21 28.

In secundo est laudatio hominum, qui ruri beatam vitam

agunt faeneratoris ore commissa. Hunc ita sincero animo ingenuoque agricolas laudantem facit, illorumque sorti invidentem, ut prima specie eum credas ruris tranquillitatem pecunia, commeatibus pluris facere. Faenerator voluptates enumerat, quibus agricolae valde delectantur; adulta vitium propagine altas populos maritare agricolas iuvat, errantes mugientium greges in reducta valle prospectare, amphoris mella condere, pira, poma delectat decerpere et uvam.

Beatus ille qui procul negotiis,
Ut prisca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet suis,
Solutus omni foenore,
Neque excitatur classico miles truci,
Nec horret iratum mare,
Forumque vitat et superba civium
Potentiorum limina.

Iamb. 2. 1-8

Suavitas, quae carminum agrestium propria est, repente in satiram vertitur; nam fontibus etiam tum leniter obstrepentibus, qui leves ad somnos ilice sub antiqua laudatorem invitant, venationibus, compotationibus, sermonibus cum amicis gratiore animo quam cives dum fruitur tranquille laudator — naturam expellas furca usque recurret — vetus natura trahente, faenerator redit idem, qui eandem post dies quindecim pecuniam faenori iterum dare cupidus optat:

Haec ubi locutus faenerator Alfius
Iam iam futurus rusticus
Omnem redegit Idibus pecuniam,
Quaerit Kalendis ponere.

Iamb. 2. 67-70.

CLXXVIII. Hanc Archilochi rationem cum annis maturus reliquisset, Lucilii urbaniorem modum sibi prosequendum proposuit; cur? patriae institutionis causa Romanum satiras scribere potius arbitratus est? an maluit experiri opus, quod

Satirae seu **Sermones**

nemo etiam tum esset expertus? an potius quod renovando genere maiore in carminibus fundendis gaudio afficeretur? Discipulus itaque Lucilii, inchoatum a Lucilio opus altius invectum promovit. Nam in inveniendis quidem rebus huius vestigia ingressus est; at orationis genus et verba novavit numerosque emendatos pumice ad unguem limavit. In sermonibus animo mitior factus atque urbanior, minusque in vitiis ipsis aggrediendis atrox, sensim sine sensu a singulis decedens ad universos tristi nota notandos accedit; neque loris ultra eos aut flagellis caedit, sed vitiis, quae communia sunt, pacato animo familiarique quasi sermone illudere studet. Hanc igitur ob causam huiuscemodi carmina, quod domestici aliquid in se habent et quandam quasi familiaritatis notam « *Sermones* » appellavit; quos in libros duos distribuit. Materiam plerumque a civium moribus, interdum a se ipso suisque rebus vel amicorum quoque desumit; qua ratione ad errores hominum vitiaque evagatur omnia. In priore libro satirae decem continentur, in quarum prima homines lepidissime ridet, qui haud sua sorte contenti, aliorum fortunis invident fortunam et conditiones commutare aucupantes:

I. Satir. 4. 105: 10. 46.

Qui fit, Maecenas, ut meno, quam sibi sortem
Seu ratio dederit seu fors obiecerit, illa
Contentus vivat, laudet diversa sequentes?

I. Satir. 1. 1-3.

Per diversas conditiones discurrens militem in mercatorem se immutare velle notat, mercatorem in militem, iuris peritum agricolarum vitam laudare, agricolas solos felices in urbe viventes clamare; neminem esse, qui, propriis spretis, aliorum hominum commodis non invideat, nullumque deum, qui studia perpetuo istorum mutantia explere queat, ut satiet.

. . . . . . *Ne te morer, audi*
Quo rem deducam. Siqnis deus 'En ego, dicat,
'Iam faciam quod voltis; eris tu, qui modo miles,
Mercator; tu consultus modo, rusticus; hinc vos,

Vos hinc mutatis discedite partibus. Eia!
Quid statis?' nolint. Atqui licet esse beatis.

I. Satir. 1. 14-19.

In altera eiusdem satirae parte homines compellat, qui tanto divitiarum cumulandarum studio ardent, ut impensis etiam necessariis parcant. Secunda satira de moechis est, tertia de vitiis inter amicos tolerandis; in quinta iter suum ad Brundusium facetissime narrat, quo in conficiendo sibi obviam Maecenas et Virgilius occurrunt. In sexta homines carpit, qui genus nobile iactant superbe; in septima, qui suis sententiis tenacius adhaerent; in octava, sub Canidiae nomine, mulieres veneficas mordit, quae cantionibus, carminibus ac medicamentis mentes vexant; in nona parasitos atque clientes, qui intempestive accedentes rogantesque impudenter, patronos in triviis sub salutandi specie insectantur iisque coenas condicunt. In quarta decima satirarum suarum contra detractores patrocinium assumit. Sparsim in aliis assentatores aliter adoritur, mordet, detrectat, qui multis verbis multisque laudationibus amicos gravi molestia fastidioque afficiunt.

CLXXVIIII. Liber alter octo satiras complectitur. Prima, qua utitur ut prooemio, in quo se cum Trebatio de genere satirarum disputantem inducit, ut ab obtrectatoribus sese iterum defendat. Cum Lucilio in fine carminis se componens, Trebatio, de genere satirarum suarum iudicium ferendum relinquit:

. . . *Quidquid sum ego, quamvis*
Infra Lucili censum ingeniumque, tamen me
Cum magnis vixisse invita fatebitur usque,
Invidia, et fragili quaerens inlidere dentem,
Offendet solido, nisi quid tu, docte Trebati,
Dissentis'. 'Equidem nihil hinc diffindere possum;

II. Satir. 1. 74-86.

In secunda satira cibi potionisque frugalitatem ipse, Ofelli cuiusdam sententiam referens, ad amicos compotaturos ante mensas lancesque nitentes, oratoris instar causam dicentis, concelebrat. In quarta homines ventri unice deditos carpit;

simulat enim Catium quendam praecepta de mensis apparandis referentem audire, quae ab insigni magistro didicerat. Neque sophistarum generi indulget, qui tristem sapientiam homines docere gloriantur, neque epicureorum inservit paradoxis; illis enim in tertia irridet, haec in septima explodit. Satira quinta illos in homines est, qui testamenta vel carpere, vel subicere solent; octava in homines novos, qui honoribus et pecunia tument et insolescunt. Horatii satirae, ut ex enumeratione ipsa rerum patet, qnae in iis tractantur, vastum quoddam quasi theatrum est spectantium et agentium plenius atque stipatum. Qui fabulam agunt, non ambulant in scaenis, neque in subselliis commode sedent; qui fabulam docent iidem sunt ac qui spectant; homines nimirum mulieres lata in urbe viis, foro, triviis, tabernis versantes, publicis domesticisque cotidianis curis intenti. Non persona, ore iusto latiore et rotundo, ficticia utuntur, ut in theatris reapse, vel cothurnis, soccis, palliis; sed riciniis, togis induti, pedibus nudis, iisdem se moribus eandemque, qua utuntur facie, se praeditos exhibent, ut in communi vitae usu et consuetudine. In huiuscemodi hominibus non fictis, sed ad verum expressis, Tigellius est, Naevius, Nomentanus, Crispinus, Fabius, Rupilius, Tanais, Cupiennius, Fulba, ceterique foeneratores, moechi, adulteri, scurrae, caupones e sentina Urbis in satirarum lucem arcessiti. Multis de causis Horatii satirae prae ceterorum satiris laudantur, maxime urbanitate et festivitate verborum nec non praeceptorum ipsorum sapientia, qua ad vitae usum accedunt. Etenim cum e variis discrepantibusque stoicorum epicureorumque disciplinis elegisset quae sibi probarentur, media, quae dicuntur officia libere candideque cives docuit eaque iudicii subtilitate, ut eius satirae cum Caecubo mero acri et forti in pulcherrimum Atticum vas iufuso compararentur. Acrius tamen in homines aut avaros aut malos inflammatur et invehitur: ita maxime ludibrio eos habet, qui vel iusto parcius vivunt, vel contra ingentibus

sumptibus rem familiarem pessumdant, turpitudinisque iis notam inurit, qui in voluptates se adeo mergunt et in omni genere flagitiorum ita volutantur, ut nominis splendorem maculis aspergant.

CLXXX. A satiris autem cum re ipsa, tum quoque orationis genere plurimum discrepant «*Carmina*». Genus hoc lyricae poesis assiduo potius Graecorum poetarum studio communitus quam aut natura aut ingenio sua sponte adductus, eo vitae tempore coluit, cum comparata sibi magna ex satiris fama lyricorum poetarum quoque laudem affectavit. Hanc ob causam inventionis novitas in his carminibus saepius desideratur, nec non interdum sincerior animi afflatus — profecto a Catullo superatur — orationis vero elegantia et concinnitas ea est, ut ex hac parte lyricorum facile princeps habeatur. Ceterum ipse de se iudicium satis aequum tulit; nam cum multis locis glorietur, quod princeps Aeolium carmen ad Italos deduxerit modos, negat posse se Pindarum aemulari, cuius magna commovetur admiratione. Carmina igitur eius centum tria adnumerantur, quae quattuor libris continentur. Haec autem carmina cum et re et sententiis valde inter se differant, ita quoque et versuum mensura et numerorum genere varia sunt, atque ipsa mentis animique concitatione alia aliis egregiora. Sunt enim in quibus amores canuntur; in aliis ruris otia, conviviorum, amicorum gaudia, deorum cultus atque religio praedicantur, in aliis Octaviani Augusti populique Romani atque imperium atque magnitudo concelebratur. Ingenio igitur suo facile indulgens, quo erat animo in amores procliviore, amores suos cum concinit, nudum se et sincerum ostendit. Feminis si reapse exardescat, lentisque ignibus maceretur; si autem eas aut parum constantes aut falsas invenit, tum rogat et petit, ut sibi iterum fiant amicae; sin vero perfidas omnino aut procaces deprehendit, tum vehementer eas asperrimis verborum aculeis fatigat et verberat. Voluptatum tamen blanditiis non facile

Carmina liryca

III. Carm. 30. 33-4; IV. 9. 3-4; I. 9. 32-33; IV. 2.

obsistit, spretoque contemptoque uno amore, ab altero statim capitur eoque delectatur. Aureum carmen illud mihi videtur ad fontem in Sabinis, ex qua rivus gelidus Digentia delabitur, qui rapido cursu per saxa in Anienem influit:

O fons Bandusiae splendidior vitro,
Dulci digne mero non sine floribus,
Cras donaberis haedo,
Cui frons turgida cornibus

III. Carm.13.

Primis et venerem et proelia destinat.

Conviviis extructis, lautis mensis, frequentibus poculis cum aequalibus sodalibusque habitis gaudet, quae, progrediente aetate, ad dolorem levandum vitamque iucundam reddendam una senescentibus restant. Haec, tempora corona velatus, symposiacis carmibus concelebrat. In aliis amicorum fidem, Virgilii, Maecenatis, Varii, ceterorum illustrat, quibus familiarissime utitur; deorum in aliis cultum dies festos memorat, pro maiorum religione pie sancteque celebrandos. Quod si autem augustiora ad munera et ampliora carmen transducit in rebusque a Romanis gestis concelebrandis versatur, tum nullo quasi studio poetarum granditatem maximorum assequitur. Hoc, ut exemplum afferam, accidit si Augustum Drusumque, Germanarum gentium victores, Pindarico more celebrandos assumit, vel si detestata civilia bella ab Urbe pie deprecatur, vel si, nuntio Cleopatrae necis commotus, pacem populo auspicatur. In huiusmodi carminibus, ut mihi videtur, epicorum poetarum munere fungitur, quippe qui, res gestas Romanorum versibus memorando, civium animos in patriae caritatem pro virili parte erigat atque sollicitet.

Genus carminum medium inter epicum et lyricum

CLXXXI. In melioribus carmina illa habentur, ex quibus aureus liber tertius orditur. Equidem sex priora epicum quoddam ad modos lyricorum exaratum constituere poema censeo: etenim nexu quodam inter se obstricta atque ligata unam eandemque rem concelebrant: Romani videlicet imperii

magnificentiam atque pacem ab Augusto instauratam. Metu liberatus poeta, qui timuerat ne rempublicam, tamquam navem male portum occupantem, in mare novi civilium dissensionum fluctus submergendam referrent, felicitate nova ab Augusto instaurata vehementer exhilaratur. Musarum sacerdos carmina non prius audita virginibus puerisque cantat, scelerum ignaris, libidinum bellorumque civilium inexpertis neque aut avaritia, aut civium sanguine tactis; ergo iuventutis suboles, pravam rerum cupidinem eiusque matrem luxuriem et ambitionem spernat, tamquam malorum causam. Inde ex contraria parte angustam pauperiem secundo in carmine optabiliorem laudat; ex hac virtus nascitur; haec vitam trepidis in rebus agit; haec intaminatis fulgens honoribus negatam ad caelum inter deos viam temptat atque sternit: III. Carm. 1.

Dulce et decorum est pro patria mori :
Mors et fugacem persequitur virum
Nec parcit imbellis iuventae
Poplitibus timidove tergo.

III. Carm. 2. 13-16.

Augusti vero virtutem, propter quam immortale aevum post mortem cum Aenea in deorum sede eum assecuturum divinat, carmine in tertio maximis prosequitur laudibus; eius imaginem alcaicis hendecasyllabis aureo plectro sonantibus, virtute atque iustitia praestantem quasi in marmore expressit: rigidiorem certo ad verum, at iusto robustiorem. Poetarum laudem lyricorum neque plenam se, neque undique cumulatam assequi posse ratus est, nisi, nugis amatoriis iocisque dimissis, excelsioribus rebus elatioribusque operam dedisset. Pindari exemplum, Tirtaei, Solonis, Theognidis, ceterorum poetarum Graecorum secutus, qui civiles militaresque virtutes poeticis laudibus multifariam ornaverant, ingens portentum Daedaleum quasi, quod prae oculis habebat, imperium Romanum, sibi praedicandum assumpsit. Maiorum virtute ad perennitatem conformatum, poeta alter, sui suppar, III. Carm. 3.

Virgilius, nascentem cecinerat; Horatius Octaviani sapientia regendum civiumque virtutibus firmandum servandumque, carminibus sex, quae in communem usum Romana appellamus, commendat. Unus idemque istorum carminum sonus, idem animus, qui e versibus spirat, eadem res, Urbs aeternitati fatis destinata, ut populorum communitatem consociatorum pace, religione, iure, artibus Octaviani beneficio, quasi numinis cuiusdam consilio, regat atque corroboret. Musicos bonos Horatius imitatus est, qui cum concentus invenerint, numeris, vocibus, modis variant et novant, quo varietate quadam ex sonorum intervallis aures gratius permulceant atque blandiantur. In quarto pacis artes et iura et litteras Romanis suadet, quibus terrarum orbis domitores humanitatem gentes populosque armis subactos doceant. Hac de causa pie Camenas precatur, ut Caesari prudentiam, humanitatem ad gentes aequitate et iustitia regendas necessarias concedant. In quinto carmine, cum Augustum arma parantem conspiciat, ut Britannis et Persis bellum inferat, illum in pacato terrarum orbe divum futurum praesagit :

III. Carm. 4.

Caelo tonantem credidimus Iovem
Regnare : praesens divus habebitur
Augustus adiectis Britannis
Imperio gravibusque Persis.

III. Carm. 5. 1-4.

Milites profecturos duplici modo ad virtutem impellit et concitat. Crassi milites enim, qui Persis per ignaviam se dediderunt, turpissimam servitutem servientes depingit, quibus Regulum opponit in senatu pacis condiciones respuentem fortissimeque ad supplicia redeuntem. In sexto deorum pietatem instaurandam esse demonstrat. Pietate enim corrupta, mores dilabuntur, civitatesque corruunt. Huc carmen saeculare etiam spectat, quod Augusti iussu composuit, ut in auspicium rerum novarum ac pro incolumitate populi et reipublicae a pueris lectis puellisque caneretur saecularibus

in ludis anno septingentesimo trigesimo septimo celebratis. Pium quid vetera Saliorum carmina redolens spirat e versibus:

Phoebe silvarumque potens Diana,
Lucidum caeli decus, o colendi
Semper et culti, date quae precamur
Tempore sacro,

Quo Sibyllini monuere versus
Virgines lectas puerosque castos,
Dis, quibus septem placuere colles,
Dicere carmen.

Alme Sol, curru nitido diem qui
Promis et celas aliusque et idem
Nasceris, possis nihil urbe Roma
Visere maius!

Carm. saecul. I. 12.

CLXXXII. In his profecto carminibus mirifica orationis ars et perpolitior inest, qua ceteris in concinnandis usus est, et mentis afflatus ille deprehenditur, quo poetae maximo ardore quodam divinitus dato concitari videntur. A nullo Romanorum poeta imagines arcessendi artificio Horatius superatur; nullus in versibus condendis perpoliendisque eundem limae laborem adhibet; nullus, praeter Virgilium, ita novis distinguit, ita variis frequentat, ita res vividioribus coloribus pingit et illustrat. Quibus accidit, ut ad Alcaeum, ad Sappho, si res domesticas canit, ad Pindarum si publicas, proxime accedat. Hinc Quintiliani iudicio « *lyricorum Horatius fere solus legi dignus* » minime assentior — severior enim mihi in Horatium fuisse videtur — tametsi haec statim adiciat: « *nam et insurgit aliquando, et plenus est iucunditatis et gratiae, et varius verbis et figuris felicissime audax* ». Habemus mehercule quae in eo miremur, non simplicitatem modo, inquam, et quasi linguae sanitatem, sed praeter alias virtutes, elegantiam, venustatem, versuum varietatem, atque maximorum interdum poetarum granditatem. Quam

Quint. X. Inst. I. 16.

equidem miror non fuisse a Quintiliano perspectam, qui in suo libro Romanos cum Graecis aequare summopere nititur, cum eadem et a veteribus aliis et a recentioribus criticis valde probetur, et ob eam lyricae poesis palma Horatio assignetur.

Epistulae

CLXXXIII. Ab iis carminibus ad genus illud extremo vitae spatio revertit poeta, quod iuvenis natura et ingenio ut proprium coluerat, nimirum ad epistulas conscribendas totum se iterum contulit. Verum inter satiras et epistulas, aliquid interest: in his enim praecepta sive ad mores sive ad litteras spectant, ita autem a poeta traduntur, ut doceat potius homines quam rideat, ex quo liquet eum per epistulas ad genus illud magis accessisse, quod didascalicum dicimus. Eas homines ad singulos inscribit, vel ut suas proprias familiariter remittit, ac si cum iis unis loquatur. Duobus libris « *Epistulae* » continentur, quorum in altero viginti, in altero duae, quae tamen sunt illis valde longiores In earum numero est, ita tamen ut in neutro contineatur libro, solaque per se stet una, epistula « *De arte poetica* » quam L. Pisoni et filiis inscriptam misit. L. Piso hic impurus, flagitiosus, nequam homo ille fuit, in quem, ut supra diximus, multis verborum et sententiarum aculeis notissima oratione invectus est Cicero. Rem vero poeticam nec integram pertractavit Horatius, nec omnia praecepta quae de hac facultate tradi possunt exposuit; sed, nullo quasi ordine praestituto, quaedam satis scite a se ipso usu magis inventa quam ex aliorum libris conquisita enucleavit. Nihilominus etiam multum apud recentem patrum memoriam vel in primis probatur, cuius praecepta tamquam definitae artis poeticae leges a rhetoribus tradebantur, quae una rectam carminum scribendorum rationem indicarent. Quod si haec patrum nostrorum sententia paulo nimium redundans videatur, ostendit tamen quanto in honore apud ipsos Horatius fuerit. In epistulis aliis praecepta de bene beateque vivendo

impertitur, vel de quaestionibus ad recte scribendi rationem spectantibus agit. A criticis doctissimis vero, qui nunc sunt, ut in omnibus carminibus Horatius et sermonis elegantia et versuum concinnitate et novitate probabilis in primis habetur, ita, cum satiras et epistulas condit, is poeta existimatur, ut a nullo superetur. Catullum enim in lyricis carminibus fundendis aut vincit aut aequat, in didascalicis Virgilio Lucretioque, poetarum Latinorum ex aequo in hoc genere principibus aemulatur. His itaque laudibus libertini hominis filius in litteraria omnium populorum republica magnum sibi nomen immortaleque adeptus est.

CN. CORNELIUS GALLUS.

CLXXXIV. Augusti aetate elegi, quos a Graeco poeta Callino inventos esse memoriae proditum est, Romam aliquot ante annos invecti, maturitatem assecuti sunt. Carmen hoc, ex alternis versibus hexametris et pentametris constans, fuit initio flebile et miserabile, ut nomen idem, quod cadit a Graeco verbo «ἐλέειν» indicat, siquidem qui illud ad tibias concinere soliti erant, aliquo modo flere videbantur; postea vero in rebus laetis, levioribus tamen, adhiberi coeptum est, pedetentim deinde etiam deductum est ad significandos lascivos amores. De huius carminis usu — genera omnia pedetemptim invasit — haec scite scribit Horatius:

Versibus impariter iunctis querimonia primum
Post etiam inclusa est voti sententia compos.

Horat. ad Pison. 75-76.

Ex Latinis igitur poetis, qui vel elegis tantum, vel iis praesertim, in carminibus suis usi sunt, unde a grammaticis «*elegiaci*» appellantur, omnes aetate Cn. Cornelius Gallus Foroiulensis antevertit, qui anno sexcentesimo octogesimo quinto post conditam Romam humili loco in Gallia Narbo-

nensi ortus est. Poesi cum adulescens operam dedisset poetas Graecos Callimachum et Euphorionem est imitatus, hunc autem in Latinum sermonem transtulit. Hanc ob causam ipse et poetae etiam qui eum secuti sunt, cantores Euphorionis a Cicerone in Tusculanarum libro tertio appellantur. Virgilio aequalis et condiscipulus fuit, idemque et Asinii Pollionis familiaris et mature etiam Augusto carissimus. Pro eo enim cum in postremo civili bello contra Antonium stetisset, tantum sibi victoris favorem comparavit, ut Aegypti praefecturam, statim ac in provinciam primum redacta est, ab illo obtinuerit eamque tres annos rexerit. Hac gratia, qua apud Augustum multum valebat, cum huius iussu agrorum largitio facta est, ab eo facile impetravit ut Virgilius suos reciperet. Quo animo grato ob tantam benevolentiam eum prosecutus esset Virgilius iam suo loco diximus. Quadragesimum tertium vitae annum agens se interfecit, qua quidem de causa haud certo constat. Cum rem alii aliter referant, Ammianum Marcellinum auctorem potissimum sequar, qui haec nos docet. *Cum procurator Aegypti multorum opes intercepisset, et datus esset nobilitati inspectandus ab imperatore, ut ea cognosceret populatae provinciae, negocium, tum eum ferro incubuisse* ». Haec eadem fere et Dion tradit, qui eum addit accusatum a Valerio collega et damnatum a Senatu, quod insolentius se in administranda provincia gessisset arroganterque iussisset, statuas sibi tota Aegypto poni nomenque suum in ipsis pyramidibus inscribi. Donatus vero et Servius referunt eum in suspicionem coniurationis contra Augustum venisse; Ovidius denique aliud crimen adumbrat, videlicet liberiore eum in convivio usum esse sermone in Augustum; in Tristibus enim de eo haec scribit :

Cic. III. Tusc. IV. 45.

Cic X. ad Fam. 5. 2. in fin.

Amm. Marc. Rerum. gest. XII.

> *Nec fuit opprobrio celebrasse Lycorida Gallo*
> *Sed linguam nimio non tenuisse mero.*

Ovid. III. Art. Am. 537; I. Am. 15. 30.

Amorum libros quattuor composuit, in quibus Cytheridem

mimam quandam Volumnii libertam celebravit; quam in elegis suis, mutato nomine, Lycoridem appellavit. Duriorem poetam in elocutionis genere fuisse Quintilianus notat. Eius elegorum ad memoriam nostram fragmentum pervenit; sub eius nomine tamen iamdiu integra carmina circumferebantur quae translaticia esse ostendunt et stilus ipse et tempus. Sermo enim neque sincerus est neque purus et versus leges temporum excedunt; poeta praeterea se senem exhibet, cum illum tres quadraginta annos natum mortuum esse constet. Haec igitur carmina cuidam nugatori Maximiano nomine addicuntur hodie, qui ea dedita opera edidit, ut per iocum legentium deciperet fidem.

Quint. X. Inst. 1. 93.

ALBIUS TIBULLUS

CLXXXV. Cum verborum nitore, tum perenni quodam animi dolore, tum versibus ipsis et numerosis et concinnis, unanimi criticorum consensu in elegis condendis palmam tulit Albius Tibullus, qui parentibus ex equestri ordine circa annum septingentesimum post conditam Urbem Romae natus est. In agrorum divisione, quae Caesare Augusto iubente ad milites veteranos facta est, amplissimis paternis rebus atque praediis privatus ad paupertatem et inopiam fere redactus est. Attamen Valerii Messalae Corvini favore non ita multo post habuit unde uteretur, deinceps ab eodem iterum et satis dives factus, ut ab Horatio multis cumularetur laudationibus quod divitiis uti sciret.

Tib. I. Eleg. 1 19. et segg.; IV. I. 182. et segg.

Non tu corpus eras sine pectore. Dî tibi formam,
Dî tibi divitias dederunt artemque fruendi.

Horat. I. Epist. 4 6-7.

A Messala rogatus, ut secum in bellum contra Antonium iret, nulla spoliarum spe adductus, tranquillitatis studio abnuit; attamen eundem efflagitantem postero anno in Aqui-

taniam comitatus est, posteaque cum eodem ad Phaeaces, populos Corcyraeos, navigavit in Asiam inde iter facturus. Ex Corcyra tamen, cum in media navigatione in morbum incidisset, valetudini serviens in Italiam solus revertit. Praestanti forma ingenioque facili, egregiis eius aetatis poetis Horatio, Ovidio, Virgilio, iucundissimus fuit; infirma tamen atque aegra valetudine afflictus, virenti etiam tum aetate ab amicisque desideratus eodem anno, quo Virgilius obiit, e vita migravit. Hoc ex Domitii Marsi epigrammate colligimus:

Te quoque Vergilio comitem non aequa, Tibulle,
Mors iuvenem campos misit ad Elysios
Ne foret, aut elegis molles qui fleret amores,
Aut caneret forti regia bella pede.

Eius immaturum obitum Ovidius notissimo epicaedio amare deflevit:

Memnona si Mater, mater ploravit Achillem
Et tangunt magnas tristia fata deas,
Flebilis indignos, Elegeïa, solve capillos.
A, nimis ex vero nunc tibi nomen erit!
Ille tui vates operis, tua fama Tibullus
Ardet in exstructo, corpus inane, rogo. — *I Am. 2. 1-6.*

CLXXXVI. Mollis et tener natura Deliam in primis Tibullus eximia forma puellam mente animoque adamavit, quae proprio nomine, ut refert Apuleius, Plania vocabatur. Huic etiam tum adulescens gratos amoris sensus primum commotos dicavit eosque tristi quadam doloris suavitate delinitos lectissimis verbis in elegis suis insculpsit. In deliciis ergo cum Deliam prae ceteris unam habeat, casti amoris gaudia et rerum copiam et divitias, tamquam gratissima munera, ab ea accipere gaudet cum eaque et aetatis florem communicare et eodem cum ea frui vitae lumine exsultat. Hoc autem teneri contentus amore nec divitias nec fulvum aurum

Elegi in Deliam

I. Eleg. 1.2.3. 5. 6.

1. Eleg. 1.; 69; 5. 21-34.

gestit, martiaque classica et bella detestata fugit, sepositisque aliis, iris, curis blandum carpit amorem. Hominibus divitiis, honorumque cupidis maledicit, qui, aris focisque relictis, vel arma horrenda in hostes inferunt, vel peregre, morte imminente, ignota maria lustrant. At non id Tibullum iuvat: honoribus enim divitiisque despectis, nihil potius habet, quam ut Deliam casto rubore suffusam beatus intueatur, in eiusque vultu, si opus sit, vultum serenet suum. Hinc fit ut si procul ab ea sit, gravi poena fastidioque incredibili teneatur redituumque sibimet in mente ita cogitando citiorem effingat, ac si revera mox contingere queat. Spirat ex hoc desiderio suavitatis nescio quid in versibus, qui in tertio carmine primi libri inveniuntur.

I. Eleg. 2. 67-68.

I. Eleg. 5. 19-17.

Tunc veniam subito, nec quisquam nuntiet ante,
Sed videar caelo missus adesse tibi.
Tunc mihi, qualis eris, longos turbata capillos,
Obvia nudato, Delia, curre pede.
Hoc precor, hunc illum nobis Aurora nitentem
Luciferum roseis candida portet equis.

I. Eleg. 3. 89-94.

In elegis quibusdam iucundus hic et suavis gratusque in Deliam amor cum mortis dolore et cogitatione coniungitur vel potius commiscetur:

Flebis et arsuro positum me, Delia, lecto
Tristibus et lacrimis oscula mixta dabis.

Non rapacem mortem horret aut pavet, dummodo Deliam deficiente moriens manu teneat eamque prope se flentem spectet, et post obitum, corpore consumptum ipsum, myrtea corona caput cinctum, Venus in Elysios campos adducat. Haec aliaque similia, quae in primo libro carminum continentur, ad res illas et commenticias et poetice fictas referuntur, ut a poetarum quodam eorum, qui vulgari Italorum sermone « *romantici* » dicuntur, scripta patrum nostrorum

Animi lenitas atque mollities

memoria videantur potius, quam ab equite Romano ementita, qui Augusti aetate floruerit. Intercisa autem hac perfecta amoris forma — quibus vero de causis haud satis constat — in conviviorum delicias delapsus ac lascivos amores, puellam alteram, Nemesin nomine, ita amavit ac si in sordidis libidinibus medicamentum quoddam quaereret, quod mederetur. In quattuor ex carminibus, quae in secundo libro continentur, puella Nemesis haec celebratur. Nomen hoc, ut patet, fictum poetice ex Graeca voce est, quae deam ultricem significat, ac si novo amore ruptae a Delia fidei iniurias ulcisci velit. Quae autem haec puella fuerit, nec ab auctore novimus, neque verum nomen grammatici nobis prodidere. Hanc in suum amorem pulcherrimis quoque carminibus allicere nititur; attamen eam, quippe quae torquibus ornamentis deliciis unice studeat floccique faciat versus, eo in se post etiam annum immiti animo invenit, ut quibus eam amoris oblectamentis mitiorem reddat neque reperit neque amplius excogitare tentat. Ceterum et haec amori Tibulli tandem indulgere debuit; id autem ex Ovidii carmine colligimus, in quo hunc mortuum deflet, et Delia in eo Nemesisque,

Elegi in Nemesin

Ovid. III. Am. 9.

Altera cura recens, altera primus amor

de munere officioque in amicum mortuum fungendo certatim sibi unaquaeque primas vindicantes inducuntur.

CLXXXVII. Libri vero carminum duo qui restant, in quibus vel Neaera, probris corruptisque moribus puella, vel pusiones aliquot, ut Marathus, ut Tityus, ut Cerinthus laudantur, rebus ipsis et orationis genere bene perpensis, aut falso omnino, aut minus certe Tibullo ascripti videntur. Liber enim tertius Lygdami reapse cuiusdam totus integer est, qui undecim profecto natu minor annis quam Tibullus erat quique Neaerae amore tenebatur. A Tibullo poematium quoque illud in Messalam abiudicamus, quod pervolutanti primum in quarto libro occurrit, quodque ad genus potius

III. Eleg. 5. 17 18: 2. 29 30

epicum spectat. Elegos autem, qui post illud in quarto libro ex ordine ad sextum carmen adnumerantur, eos verisimilius Tibullo ascribi posse arbitror; nam Sulpiciae, Messalae neptis, in iis cum Cerintho, ultro citroque epistulis missis, amores narrantur; huius autem Cerinthi natalem diem in carmine quodam, quod in secundo libro continetur, Tibullus certo celebraverat. At carmina breviora, quae ad duodecimum subsequuntur, propter suavitatem, quae animi sensus permovet, eidem Sulpiciae attribuuntur, quod muliebre aliquid et molle in iis deprehenditur. Elegi duo postremi, optimo quidem iure, lectione confecta, Tibullo addicuntur; immo eos, quamvis puellae nomen, ad quam miserit, in nullo versu recurrat miserabilium elegorum reliquias censeo eorum, quos illum Horatius in puellam quandam vehementissime amatam, Glyceram, auctor nobis est conscripsisse.

Horat. I. Carm. 33.

CLXXXVIII. Tibulli carmina nequaquam omnia amoris sensus canunt, siquidem et poeta erat indole in delicias proclivior, praetereaque ex Alexandrinorum poetarum imitatione promanant, qui amoris formam quandam et speciem prae ceteris rebus potissimam habebant. Non in uno tamen amore perpetuo consistunt. In aliis enim eorum multis laudibus Messalam eiusque filium ad caelum extollit, in aliis vero Romam nomenque « *terris fatale regendis* » magnificat, in aliis denique domesticos animi sensus in matrem, in sororem in amicos, profundit. Alexandrinos autem poetas ita secutus est ut eorum vitia fugeret, ideoque se a fabulis rebusque mythicis enarrandis abstinuit, neque verborum ornamenta dedita opera, ut illi solebant, insectatus est, neque illorum dicendi genus, multo artificio perpolitum et decies centies ad unguem limatum et castigatum est imitatus. Hac scribendi ratione usus non ingravescit in exercitationibus, quae exornandi causa ab auctoribus, quos secutus est, adhibebantur et legentem minime defatigat; quo fit ut in re admodum diversa — non enim pascua rura duces canit — ad Virgilium

Elogi de rebus variis

proxime accedat. Apud veteres recentioresque criticos et poetas summo semper est Tibullus in honore habitus. Recentioribus omissis non Latinis natione — qui quidem minus benevoli et propensi in Romanorum poetas existimantur — Quintilianus in primis Graecos a Latinis propter Tibulli carmina provocari credit, eundemque tamquam tersum et elegantem auctorem commendat. Item Ovidius eum cultum appellat et eius casum deflet. Quam autem de eo praeclare senserit Horatius in duobus carminibus legi potest, quorum in altero eum ab infideli levique puella Glycera desertum familiarissime solatur, in altero vero iudicem eum iustum et suorum carminum censorem candidum designat.

Quint. X. Inst. I. 93. *Ovid. I. Am. 8 28.; III. 9.* *Horat. I. Carm. 33; I. Epist. 4.*

SEX. AURELIUS PROPERTIUS

CLXXXIX. Idem elegorum genus Sex. Aurelius Propertius summa arte tractavit. Quo anno hic natus sit parum constat; natu tamen minorem Tibullo fuisse certum est, Ovidio maiorem. Ceterum quosdam reperio circa annum septingentesimum quintum post conditam Urbem eum natum esse opinari. De eius patria satis superque disceptatum est. Convenit hodie inter omnes fere, reiecta eorum sententia, qui vel Mevaniae vel quoque Ameriae ortum dicunt, eum Assisinatem fuisse, idque ex versibus Propertii eiusdem arguunt:

Scandentisque Assis consurgit vertice murus
Murus an ingenio notior ille tuo

— loquitur enim in his de se ipso sub Hori mathematici cuiusdam persona celatus —. Patrem haud obscuro genere fuisse ex ipso novimus, quem ex versibus his dolore plenis maturius amisisse colligimus:

I. Eleg. 22. *III. Eleg. I. 131.*

Ossaque legisti, non illa aetate legenda,
Patris, et in tenues cogeris ipse lares.

Nam tua cum multi versarent iura iuvenci,
Abstulit excultas pertica tristis opes.

videlicet ex agrorum distributione, quae post Philippense proelium sub Augusto militibus veteranis facta est, praediis paternis est spoliatus. Sub matris deinceps tutela in maternis aedibus vixit, quoad, toga virili sumpta, Romam venit, ibique cum iuri ediscendo operam navavisset forum attigit; at cum dicendi libertas malis civilibus oppressa esset, inde cessit et in poeticam se contulit, ad quam eum et ingenium et aetatis suae hominum studia alliciebant. In poetarum conventu, qui in hortis Maecenatis in Exquiliis positis cogebatur, tum coepit esse, cum evulgatis quibusdam carminibus innotescere fama coepit. Maecenatis liberalitate adiutus proxime ad huius hortos Romae sibi domicilium constituit. Ibi ad ultimum vitae diem versatus, multis carus et acceptus et gratissimus cuidam nobili genere viro fuit, quem sub simulato Galli nomine in suis carminibus occultavit. Iuvenis in ipso aetatis flore, ut videtur, anno septingentesimo undequadragesimo post conditam Romam obiit. Propertium etiam puerum, ut ipse quibusdam in versibus tradit, Veneris sacris Lycinna quaedam initiavit; huius tamen amore aut minus exarsit poeta, aut propter alium novum — adeo mutabilia hominum studia — non multo post, libidinibus restinctis, eum contempsit. At Hostiam puellam quandam formosissimam, quam ex vero nomine eius Hostio poetae necessitudine iunctam suspicamur, cupidissime constantissimeque in posterum quoque amavit, eamque, auctore probatissimo in huiusmodi rebus Apuleio, sub ficto Cynthiae nomine, ne ab aequalibus, quae ipsa revera esset, cognosceretur, usque in elegis suis concelebravit.

I. Eleg. 22.

IV. Eleg. 1. 135.

III. Eleg. 23. 25.

CLXXXX. Longe alius Propertii amor in Cynthiam est quam iucundus ille et tenellus, quo Catullus Lesbiam amavit. Pleni huius elegi sunt sensuum voluptate et quodam amoris furore, et interdum in iis obscenissima loca inveniuntur. His rebus tamen, cum mores eius aetatis essent corruptissimi

Elegi in Cynthiam

facti, aequalium cupiditatibus satius indulsit. Quod autem carminibus in scribendis sibi proposuisse testatur,

Haec urant pueros, haec urant scripta puellas;
Meque Deum clament et mihi sacra ferant

id profecto facile assecutum esse novimus. Cum enim in libidinibus canendis corporisque voluptatibus describendis esset et robustior et torosior poeta et floridioribus uteretur coloribus, pueros puellasque eo amorum studio effrenorum inflammavit, ut eius carmina minus tuto ab adulescentibus legi posse ipse animadverterit Ovidius. Veneris libidinibus, quae temporis sunt, enervanti fruitur voluptate, quo fit ut amoris aestus canat, qui totum corpus pertentant, quibusque uratur et excrucietur, verbis effingat. Eius amor lacrimis quoque et dolore alitur; nam timet interdum ne amatae pectus amore alio teratur, exalbescit et contremiscit neque curis medicamina et remedia, praeter amorem, invenit. At vires eum numquam deficiunt et in movendis affectibus crebrior est ita ut plerumque altius re ipsa insurgere videatur. Ab huiusmodi poesis genere, quae tota in amoribus versatur, quaeque per se et mollis et quasi muliebris est, abhorrent profecto et virilis animus, quo utitur poeta, et dicendi forma, quae interdum nimio vehementior sonat. Hanc ob causam et longe minus Tibullo suavior est et continua lectione fatigat, qui cursim legunt quique minime delectantur eruditione. Criticis eruditisque hominibus non displicet, neque ad senectutem inclinantibus, qui minus sensibus animi nativis moventur, quam artificium sententiarum exprimendarum et elocutionis veneres inquirunt et mirantur; neque amores cupientibus. Neque rei, quae natura sua simplex et tenuis est, proprias addi veneres censeo ab heroum fabulis, quae ornandi causa cum amoribus non ita modice connectuntur, quin redundent. In poeticae eruditionis copia modum adhibendum excedit poeta ut Alexandrinorum eius rei studium altius exageret, nedum

Ovid. V. Trist. 465.

at aequius sit, cautior vitet; ideoque ex parte hac praeter Latinos ceteros insignis evadit. Neque id mirum est: Callimachum enim in primis poetam Cyraeneum eruditissimum, et Philetam Coum imitandos et in carminibus Latinis exprimendos sibi magistros quasi proposuerat, eosque vero ita magnifico verborum quoque apparatu imitatur, ut dictione pura elegantissimus sit idemque vere Latinus. Spiritus tamen ille ardentior et quasi aestuans nec non eruditio atque heroum notitia, apta et accommodata carminibus illis videntur, quae de rebus aliis ab amore alienis concinnavit. Quaedam enim alia, praeter amores, de antiquis Latinorum rebus, de urbe Roma, de multiformi mutabilique deo Vertumno, de Tarpeia; deque aliis huiusmodi canit, alia praeterea de bellis ab Augusto bene confectis, de Cornelia matrona Paulli censoris uxore pulchris versibus illustrat.

IV. Eleg. 1.2 4.6.9.10; II.; 10; IV., 11.

CLXXXXI. Elegorum, quibus unis usus est, libri quattor exstant, nequaquam vero omnes, ut videtur, quot ipse confecerit. Etenim a grammaticis quibusdam carminum fragmenta deperditorum alligantur, quae in libris aliis fuisse a poeta collecta opinamur. Elegi igitur qui nunc sunt, omnium hodie consensu, Propertio ut genuini inscribuntur; nam huic adiudicata causa est, quae apud patres nostros, alios genuinum quartum esse librum affirmantes, alios vero id idem inficiantes, multis contrariis hinc inde ratiocinationibus, agebatur. Propertii mentio frequens in veterum scripturis occurrit. In Ovidio, cuius aequalis, ut diximus, fere fuit atque amicissimus, qui eum et blandum et tenerum dicit; tum in Quintiliano, qui aliorum in Propertium ex instituta cum Tibullo comparatione his verbis iudicium refert: « *Sunt qui Propertium malint* » quo in loco Latinorum criticus praestantissimus Romanos elegorum scriptores Graecis certa cum spe vincendi opponi posse contendit; tum a Martiale qui eum facundum vocat, tum denique a Statio et a Lactantio, qui multis eum laudant et commendant verbis.

Ovid. II. Trist. 462, V., 1. 17; III. Ars am. 333.

Quint. X. Inst. 1 93.

Mart 4. 189; Stat I. Silv. 2. 253; Lact. 2. 6.

P. OVIDIUS NASO.

CLXXXXII. P. Ovidius Naso, Sulmonensis, poetarum omnium, qui Augusti aetate floruerunt, minimus natu, facili paratoque quo fuit in poeticam ingenio et carminum numero atque pondere, quae multis de rebus composuit, posteris se saeculis in perpetuum commendavit. Equestri familia, Hirtio et Pansa consulibus, quorum uterque in proelio ad Mutinam interfectus est, Sulmonae, in tertia Pelignorum urbe, editus est anno septingentesimo undecimo post Urbem conditam:

Editus hic ego sum: nec non ut tempora noris,
Cum cecidit fato consul uterque pari.

IV. Trist. 10. 5-6.

Ab insignibus magistris parentis cura Romae excultus est, eiusque monitionibus, Musis relictis, oratoriae facultati apud Aurelium Fuscum operam dedit, in qua Seneca illum egregie profecisse testatur. « *Habebat ille* » hic inquit « *comptum et decens et amabile ingenium: oratio eius iam tum nihil aliud poterat videri quam solutum carmen. Adeo autem studiose Latronem audiit, ut multas illius sententias in versus suos transtulerit. In armorum iudicio dixerat Latro: — Mittamus arma in hostes et petamus — Naso dixit: — Arma viri fortis medios mittamus in hostes* — ». Forenses causas, controversias, suasorias cum non sine laude aliqua multas dixisset, sumpta virili toga, itinera in Graeciam in Asiamque cum Aemilio Macro fecit cum eoque Siciliam quoque in reditu visit. Viginti circiter annos natus cum fratre uno anno natu maiore primos aetatis honores assecutus est, fuitque et triumvir capitalis, tum decemvir litibus iudicandis, tum centumvir et privatus quoque iudex. Statim tamen, cum publicorum munerum eum pertaesum esset, se ex natura et institutione mansuetioribus Musis restituit. In poetarum coetum et conventum se insinuavit, ibique Virgilium cognovit, elegantissima

Senec. II. Controv. 28.

IV. Trist. 10. 33; II, 93.

Horatii carmina ex ipsius ore audivit, Aemilii Macri poemata iudicavit, Propertii elegos fabulis historiisque plenos miratus est, ea autem peculiari cum Tibullo animi naturaeque conspiratione consensit, ut eum sibi, quoad vixit, arctissimo familiaritatis vinculo coniunxerit. Poetriae quoque Perillae, puellae valde doctae, incundissimus fuit, quam ipse poeticam docuerat et ad quam eius exstat nobilis elegia. Ad haec suae aetatis tempora, atque ad adulescentiam cum poematia et carmina spectant « *Amores* » « *Heroides* » « *Ars amatoria* » « *Medicamina faciei* » « *Remedia amoris* » tum fabula quae « *Medea* » inscribitur; ad maturiores vero iuventutis annos praecipua carmina pertinent, quibus « *Metamorphoseon* » et « *Fastorum libri* » continentur.

CLXXXXIII. Dum concinnandis fastorum libris Augusto dicandis operam dat, exilio ab ipso imperatore damnatus est. Exilii vero alia ab aliis causa traditur; ipse vero non exulem se dicit sed relegatum potius fatetur. Criticorum sententias de relegationis causa longum est in hunc locum referre omnes; praestet ergo potius eam ex Ovidii ipsius versibus adumbratam eruere, qui sunt in secundo carmine:

De exilii causa

Perdiderint cum me duo crimina, carmina et error,
Alterius facti culpa silenda mihi;
Nam non sum tanti, renovem ut vulnera, Caesar,
Quem nimio, plus est indoluisse semel.
Altera pars superest qua turpi crimine factus
Arguor obsceni doctor adulterii.

II. Trist. 207. et seqq.

Haec minus probabilis exilii causa videtur; nam carmina illa, videlicet artem amatoriam non minus undecim annis ante evulgaverat, quam de crimine ipso haud paulo serius profecto poenam tulit. Suspicamur nimirum Augustum id crimen interposuisse, ut in eum ob illam culpam animadverteret, quam silentio Ovidius praetermittendam esse censet « *ne Augusti vulnera renovet* ». Quaenam sunt vulnera ista

silenda? tantane ut, quamvis ea carminibus et laudibus emendare conatus sit, neque ab Augusto, neque a Tiberio, veniam, nedum in Urbem reditum impetraverit? Relegationis causa in rebus absconditis posita sane est. Probabiliores itaque quam ceterae, quae ex monumentis variis afferuntur, duae mihi sententiae videntur. Earum autem altera ex versiculis Sidonii Apollinaris quibusdam eruitur, qui quidem ansam ad exilium ab ipso poeta datam fuisse credit, eo quod sub Corinnae nomine, quam, ut mox dicturi sumus, in carminibus aliis celebravit, neptem Augusti occultaverit. Quam opinionem ipse mihi suadeo. Etenim fuit haec Augusti neptis Iulia corruptis probrosisque in primis moribus, deque eius lasciviis praeter alia, quae apud Suetonium leguntur, haec invenio a Tacito in Annalibus relata: « *neptem Augustus convinctam adulterii damnaverat proieceratque in insulam Trimerum haud procul Apulis litoribus. Ibi viginti annos exilium toleravit* ». Hoc autem exilium in idem tempus incidit ac Ovidii relegatio. Quod si rationem exilii maximam et, ut ita dicam, magis Augusto ipsi domesticam repetas, id verum esse putes, quod quidam tradunt, nimirum Augustum a poeta minus honeste cum filia sua Iulia iacentem visum esse, quod versiculis significatum esse nonnulli volunt,

Tac. VI. 71.

> *Cur aliquid vidi, cur conscia lumina feci?*
> *Cur imprudenti cognita culpa mihi?*

II Trist. 103.

Et revera fuit haec altera Iulia, eius Iuliae mater, quam mox nominavimus, libidinum avida atque in adulterio deprehensa, ut Augustus eam in insulam Pandatariam relegare conatus sit; Augustus vero, quamquam vitii severissimus ultor, luxuriae satis serviens fuisse traditur. At de hac vexatissima quaestione satis superque. In exilium igitur actus est anno, ut videtur, p. C. n. octavo, in Pontum, Tomos, ibique ad extremum diem versatus est. In exilio ab eo « *Tristia* » composita sunt et « *Epistulae ex Ponto* » et « *Ibis* » et « *Halieutica* »

Hieron. ad Olymp. 193.

Aurel. Vict. Epit. I. 24.

brevia poemata. Cum vero ex longa cum Getis familiaritate, eorum linguam apprime didicisset, poemata duo Getarum sermone exarata composuit, in quorum altero Augusti laudes, Tiberii, Liviae, Drusi, Germanici celebravit ratus fore ut eorum beneficio in patriam tandem revocaretur; in altero autem Cotyos regis in se et Gaetarum benevolentiam magnificavit. Exilii tamen poena, quam haud animo forti vel aequo tulit, ad supremum usque vitae diem non est liberatus, Tomique septimo decimo anno p. Chr. n. obiit. A Tomitanis civibus, propter gratiam et favorem, in quem suis carminibus apud ipsos venerat, peregrinus poeta cum esset, regiis quasi honoribus loco ad Tomi portam frequentissimo tumulatus est, monumento insuper in sepulcro publicis impensis exstructo.

CLXXXIV. Iuvenis itaque ex ingenio suo et natura, itemque ex eius aetatis moribus, qui in libidinis studiis prolapsi iacebant, poetarum curriculum, foro ut diximus relicto, tribus elegorum libris iniit, qui « *Amores* » inscribuntur. Mediam in his Propertium inter et Tibullum tenet viam; ad hunc enim iucundi amoris sensu quasi ingenuo castoque interdum accedit; illum vero saepius voluptatibus, fabulis, historiis relatis vel aemulatur, vel superat. Utrumque tamen ingenii volubilitate facilitateque praestat, dicendique genere vinceret si frena adhibuisset et limae studium versuum extemporaliter condendorum facultati accessisset. In maxima istorum elegorum parte Corinnam canit, quae, si Sidonio credendum, simulato nomine, ut fieri solebat, Iuliam, Augusti neptem, celat, quae ex adulescentia libidinosissima fuit.

Amores

« *Heroides* » quae libro uno continentur, illustrium feminarum amores, epistulis inter amantes missis acceptisque, enarrant. Ad unam et viginti huiusmodi epistulae Ovidio attribui solent; nonnullae vero earum aut translaticiae, aut ab auctoribus aliis suppositiciae sunt, et propter orationis formam poetam aetatis aureae minime decent. Minus omnino poetae clarissimo ter binae illae epistulae conveniunt, quae in postrema

Heroides

libri parte a Paride Helenaque ultro citroque rescriptae simulantur, et quae ad Heron a Leandro aut a Cydippe ad Acontium missae acceptaeque finguntur. Egregia in primis habetur illa, quam Sappho poetriam ad Phaonem scripsisse Ovidius simulat, ut cum eo queratur de amore, quem ille contemnit. Heroum personas, quae in Ovidii heroidum libro inveniuntur, ex poetarum fabulis, ex carminibus epicis tragicisque, ex rebus veris, quae in historiis narrantur, ita promit, itaque novat et immutat, ut amantium species quasdam effingere ipse videatur. Ad pietatem enim querelis, lacrimis, rogationibus usus, quibus amantes inter sese deprecantur, aut irarum copia, furorum, indignationum, in quae heroes et heroinae quoque, quod amantem in se parum fidelem invenerint, facile trahi ab amore sinuntur, vel denique casuum ipsorum immanitatem adhibens, qui ex inopinato illis occurrunt, animum eorum, qui haec legunt, vehementer permovet et exagitat. Atqui in heroidum elegis ficti aliquid deprehenditur, quod in ipso fere dicendi genere insitum videtur; immo parum sinceri aliquid in rebus etiam inest et quasi fucati, quod, cum is qui legit, non verum esse sentiat, sed falsum perpetuo animadvertat, haud parum obstat quominus animus eadem genuina sensuum commotione perfundatur, qua heroes atque nobiles eorum uxores teneri videntur. Haec ceteraque carmina perenni facilique verborum abundantia exornantur, iis coloribus pinguntur, iis numeris et versuum mensuris cum re ipsa congruentibus variantur, ut magnam in nobis Ovidius artis suae admirationem concitet et egregium artificii suis omnibus partibus absolutissimi condat exemplum.

CLXXXXV. Ab heroidum elegis atque etiam amorum cum re ipsa tum orationis genere potius et forma « *Ars amatoria* » discrepat valde. In hoc enim opere cum amandi totam artem Ovidius tradat, prioribus videlicet libris duobus homines amoris praecepta, quibus modis mulieres in amorem inducant, edocere contendat, in tertio autem erudiat iisdem mulieres

Ars amatoria

artibus, eius generis poema condit, quod didascalicum dicimus; id enim poeta fatetur, in eius prooemio ait:

Si quis in hoc artem populo non novit amandi,
Hoc legat et lecto carmine doctus amet,
Arte citae veloque rates remoque moventur:
Arte leves currus: arte regendus amor.

Rem, quae in hominum animis ab ipsa natura insita latet, quaeque pro cuiusque ingenio alio in aliis variat modo, ac rationem quandam et quasi definitas leges redigi posse credit. Ex futtilibus itaque rebus, aetatis suae, quae suis moribus erat aptissima, ex obscenis dictis, quibus dissoluti homines libidinosaeque puellae in sermonibus alternis utebantur, ex iocis, ineptiis, salibus, quae inter se placendi causa adhibebant, ex adminiculis artibusque, quibus amantes irretire et allicere studebant, poema confecit, quod praeter rem urbanitate distinguitur et festivitate. Turpia, subobscena, flagitiosa, cupiditates venereae, iis sententiis verborumque luminibus dissimulantur atque occultantur ut carmina minus lasciva, ac re ipsa sunt, concinnasse videatur. Hac ratione mirum in modum ex levibus argumentis et minutissimis quasi amoris seminibus, pingue et floridum expressit poema, quod integrum est et omnibus in suo genere numeris expletum, ut rerum huiusmodi canendarum artem ab Apolline didicisse dixeris. Scilicet, ut Musarum patronus, si fama vera refert, saxis lyrae sono collectis, Troiae moenia posuit, ita hic, ordinibus mirifica arte descriptis, in amoenissimo quodam quasi amantium horto, flores multicolores undique contractos, lectissimas arbores, sarmenta, myrtos sevit, unde uberrimae amorum deliciarumque messes provenirent. Rem fabulis quibusquam historiisque variavit, quae magna cum delectatione leguntur. Huiusmodi est locus, in quo ad Sabinas Romuli iussu a *viduis* primis incolis raptas narratione sua devertit. Pulcherrimum quoque Bacchi epithalamium et Ariadnae est,

Rerum variarum componendarum ars.

lib. I. vers. 111-126.

Lib. I. vers. 527-564: II., 21-98; III., 685-746.

quam Theseus abductam Chium in insulam deserit. Elegantissimi etiam versus, quibus Daedalum atque Icarum cereis alis e Creta effugientes describit, vel Procorum exitium narrat. Clamores et admirationes in eius aetatis hominibus poema concitavit, neque iniuria utpote quod morum eorum expressam speciem et imaginem repraesentaverit; at minus gratum Augusto poema fuit, ex quo postea occasionem, ut diximus, ad pellendum Ovidium in exsilium arripuit. Quae in arte amatoria de his rebus exponuntur, in poematio, quod

De medicamine faciei

« *De medicamine faciei* » inscribitur, explentur et quodam modo perficiuntur. In hoc de fucis adhibendis, de coloribus factitatis inducendis agit, de arte, qua mulieres, faciem, capillos unguentis delibutae, formam colunt et servant. Duos post annos, quam artem amatoriam foras miserat, poematium aliud evulgavit, quod « *Remedia amoris* » inscripsit. Hoc

Remedia amoris

autem ceteris carminibus tum contrario nomine, tum argumento opposuit. Nam Ovidius veritus fortasse ne Augustum, quem in se offensum noverat, iratum quoque sibi experiretur, amoris vulneribus, quae ipse fecerat, mederi voluit, ratus cives gravissime obsceno morbo laborantes medicamentis sapientiae sanari posse. Existimavit nimirum se Achillem alterum esse, qui Mysiae regem, Telephum, eiusdem hastae rubigine sanavit, qua vulneraverat; at in vastissimo libidinum incendio, quod ipse arte praesertim amatoria foverat, aut nemo castum hunc Vestae ignem animadvertit, aut oleum flammae ignique ignem novum adiecit. Amores enim libidinesque ita pro suo ingenio exprobat et damnat, ut magis ea suadere videatur. Huius poematii exstant versus centum, nam ceteri ad quadringentos interciderunt. Intercidit etiam fabula tragica « *Medea* » quam a criticis antiquis valde laudatam legimus; exemplum est iudicium, quod de ea Quintilianus profert:

Quint. 10. [illegible] 98.

« *Ovidii Medea videtur mihi ostendere quantum ille vir praestare potuerit, si ingenio suo imperare quam indulgere maluisset* ». At de his, quae adulescens scripsit, hactenus.

CLXXXXVI. Ad « *Metamorphoseon* » atque « *Fastorum* » libros veniamus, quos eadem, ut mihi videtur, ratione conscribendos arripuit, ut ab amoribus sese tandem abstineret atque maiorem quoque sibi ex rebus altioribus compararet famam. Quindecim igitur Metamorphoseon libris heroico versu exaratis deorum heroumque fabulas ita celebravit, ut unum in ordinem eas connecteret, efficeretque ex infinita quasi rerum diversissimarum silva, perpetuum quoddam epicum poema. Ab uno itaque naturae toto in orbe vultu describendo exorditur, quem Chaos veteres dixere, cuius ex rerum elementis dissociatis, quae in unum coacervabantur, concordi pace ligatis, deus melior mundum, terras, mare, coelum, astra creavit, tum arbores, plantas, cetera, quae terra gignuntur, tum et feras et pisces; tum hominem postremo, sanctius his omnibus animal, effinxit. Mutatas deinde deorum, hominum, aliarum rerum formas narratione multis ex diverticulis contexta prosequitur. Caesaris apotheosi ingens poema perbelle concluditur; huic Ovidius vero, quae de diis, de hominibus deque ceteris rebus narrat, subicere videtur. Haec omnia hic enucleare non ita necesse est. Sufficit quaedam, quae in pulcherrimis habentur, numerare, in quorum lectione quo maiore assiduitate versamur eo pulchriora ipsa et egregia magis fiunt. In his celebratissima Daphnes nymphae, Penei fluminis filiae, fabula est, quae quidem puella, cum esset forma praestanti, ob eamque in primis Apollini cara, cum huius vim non posset effugere, implorato patris numine, in arborem illam lauri conversa est, cuius ex ramo coronam gestare tum coepit Apollo. In his quoque altera est, quam primus ementitur Ovidius, qua Pyrami, adulescentis Babylonii, Thisbesque vicinae puellae propter mutuum amorem fidelemque casus moestissimos enarrat. In eorum etiam numero, quae de Andromeda puella deque Perseo felicissimo fortissimoque viro refert. Hic enim cum iter faceret et illam ob matris superbiam in scopulo expositam cetoque devoran-

Metamorphoseon libri

Lib. I. vers 452-567.

Lib. IV. ver. 55-166.

dam conspexisset, morte liberavit et uxorem legitimam duxit; cum eaque post mortem in caelum translatus in sex viginti stellas conversus est. In illis pulcherrima alia sunt, tabulis pictis simillima, in quibus eadem, quae in locis amatoriae artis quibusdam de Cephali casibus adumbraverat vel de mirifica Daedali Icarique fuga brevius tetigerat, iterum rebus atque verborum coloribus novatis repetit et refert.

Lib. VI, vers. 668, et seqq.

Lib. VII, vers. 565-862.

. . . Postquam manus ultima coepto
Imposita est, geminas opifex libravit in alas
Ipse suum corpus, motaque pependit in aura.
Instruit et natum, 'medio' que' ut limite curas,
Icare', ait' moneo, ne, si demissior ibis,
Unda gravet pennas, si celsior, ignis adurat.
Inter utrumque vola, neque exspectare Bootem
Aut Helicen iubeo strictumque Orionis ensem:
Me duce carpe viam', pariter praecepta volandi
Tradit et ignotas umeris accommodat alas.
Inter opus monitusque genae maduere seniles,
Et patriae tremuere manus, dedit oscula nato
Non iterum repetenda suo, pennisque levatus
Ante volat comitique timet, velut ales, ab alto
Quae teneram prolem produxit in aera nido;
Hortaturque sequi, damnosasque erudit artes
Et movet ipse suas et nati respicit alas.

Lib. VIII. vers. 200-216.

Aliis locis Europae, quae a Iove rapitur fabulam narrat, Athamantisque in uxorem Inonem liberosque furorem describit, quem fusius in fastorum libris iterat. Quaedam alia ab aliis mutuatur: a Virgilio Proteum multiformem, a Sophocleis Trachiniis Acheloi de Deianira contendenda cum Hercule pugnam, a Lucretio Virgilioque pestis descriptionem, ab aliis denique alia depromit; attamen, quae desumit, variat ut suum aliquid proprium et genuinum ementiri videatur. Praecipuum ex Ovidianis carminibus hoc poema habetur,

Lib. II. vers. 833-875; IV. 416-562.

quamquam neque ad unguem limatum ipse neque perpolitum existimavit. Hanc ob causam factum est ut, cum sibi renuntiatum esset exsilio esse ab Augusto multatum, in ignem id subiratus comburendum iniceret. Quod exstat ex poetae chirographo amicum quendam transcripsisse verisimile est; et huius beneficio poema flammis ereptum tempora tulit igne infestiora; hoc Ovidius quasi divinans praedixerat:

Iamque opus exegi, quod nec Iovis ira nec ignis
Nec poterit ferrum nec edax abolere vetustas;
Cum volet, illa dies, quae nil nisi corporis huius
Ius habet, incerti spatium mihi finiat aevi.
Parte tamen meliore mei super alta perennis
Astra ferar, nomemque erit indelebile nostrum.
Quaque patet domitis Romana potentia terris
Ore legar populi, perque omnia saecula fama,
Siquid habentur veri vatum praesagia, vivam.

Lib. XV. 871-879.

CLXXXXVII. In altero poematum, quae in maturitate composuit, occasione oblata quod Augustus in fastis corrigendis elaboraret, dierum festorum originem, deorum cultum religionem, cetera omnia, quae in Pontificum libris, de supplicationibus agendis, de agris in singula anni tempora lustrandis tradebantur, sibi canenda et illustranda proposuit. In quo carmine religioso conficiendo Hesiodeam Theogoniam imitatus est, at a patriis caerimoniis, institutis rationibusque nihil discessit, immo deorum Romanorum cultum iacentem excitavit ad pristinumque honorem revocavit. Ex ratione, quae operi componendo ipsi occasionem praebet, tot libros exigere statuisse videtur, quot menses anni sunt. At cum in exsilium missus est, sex libros modo qui exstant, conscripserat neque postea exsilii dolore distentus poema explevit, idque inchoatum reliquit. Ex re ipsa atque ex partitione poema « *Fastorum libri* » inscriptum est. In cuius quarto libro natalem diem faustum Urbis ex antiquis fabulis celebrat.

Fastorum libri

CLXXXXVIII. Animi aegritudo, angores, quibus in exilio angebatur et perpetuo disrumpebatur, in carminibus latent et spirant quae inde Romam frequentissime misit. Istorum carminum alia « *Tristia* » inscribuntur, quae libris quinque constant, alia « *Epistulae ex Ponto* » quae libris quattuor continentur. Idem tamen operis utriusque color est idemque stilus. *Tenerorum* enim *lusor amorum*, qui iuvenis, non cotidianis modo in sermonibus nugatorie usque loqui consueverat, sed carmina sententiis festivitate plenis, argutiis iocisque frequentaverat, eo nunc animi merore opprimitur, ut nihil praeter aerumnas canat, quae in semetipso inveniat et circum se inspiciat. Omnibus rebus in exilio carens, quae hominibus beatam vitam faciunt, uxoris, filiae, quas in Urbe reliquerat, amicorum, Urbis ipsius tanto perenni desiderio angitur et vexatur, ut modo illa mente animoque repetat, in lacrimis effundatur et animum eorum qui legunt permoveat. Carmina haec adeo miserabilia sunt, ut quemvis movere possint; ad filiam, ad uxorem, ad familiares mittit, ac si in effundendo et eloquendo quae in animo sentit, quoddam quasi doloris levamen inveniat. Ad Augustum quoque nonnullas epistulas scribit, quibus frequenti erroris excusatione conatur, ad miserationem eum inclinare. Minime erecti animi id est neque viro Romano dignum; quem ex sententia, qua apud Livium legitur « *neque prospera flatu suo [fortuna] efferet nec adversa infringet* ». At haec ad civem potius spectant quam ad poetam, quem hic inspicimus.

Tristia et Epistulae ex Ponto.

III. Trist. 2. 1-13.

Liv. XLV. ab Urb. cond 8.

CLXXXXIX. Re atque genere ab his elegis plurimum differt maledicum carmen, quod hoc quoque tempore confecit, quod « *Ibis* » inscribitur. Infidelem amicum quendam in eo non modo perstringit, qui uxoris ipsius fidem tentat, sed eum in exilio delitentem domestica re privare conatur. Vox haec *Ibis* avem quandam Aegypti significat, quae serpentibus vescitur. Carmen ex Callimacho imitatus est, qui in discipulum ingratum Apollonium Rhodium verbis acerbis invectus erat.

Poematia de rebus variis

Poematium vero alterum, quod in exilio quoque confecit «*Halieutica*» inscribitur et, ut ex ipsa inscriptione Graeca patet, ad rem piscatoriam pertinet. Inchoatum an expletum reliquerit poeta haud satis constat; eius nunc versus centum triginta quattuor modo exstant. Memorat id Plinius his verbis: «*Mihi videntur mira et quae Ovidius prodidit piscium ingenia, in eo volumine, quod Halieuticon inscribitur*». Carmina autem illa, quae sermone Getarum composuit, interciderunt integra. Carmina cetera «*Nux*» «*Liber nucis*» «*Consolatio ad Liviam*» falso Ovidio attributa, aemulatoris videntur.

Plin. XXXII. Nat. Hist. 5.2.

CC. Quo velocissimo utebatur ad fingendum Ovidius ingenio, genera poesis omnia coluit, quae Graece lyricum, didascalicum, epicum vocamus. In quibus facundus est, expeditus, verbis abundans, ceu amnis aquis copiosus, eruditione plenus; Latinus in primis est ut, et orationis genere et rerum inveniendarum arte, nihil omnino a Graecis ipsis aut surripuisse aut deprompsisse eum credas, sed ut cum eorum nullo conferre queas. Facilitate tamen illa incredibili versus fundendi abusus, quae ex ipsius versiculo illo

Versuum condendorum facilitas

Quidquid temptabam dicere versus erat

hodie in proverbiis est, non eum limae laborem adhibuit, cuius ope perfectam et concinnam canendi formam assecutus esset, quam summo studio exquisitam in Virgilio Horatioque miramur. Numerum ipse et carminis illius sonum, qui ex imparibus modis conficitur, in auribus ipsis quasi insitum a natura habebat, ut elegis usque, etiam si eos minime res paterentur, in carminibus fere omnibus sit usus.

POETAE AUGUSTI MEMORIAE MINORES

CCI. Poetarum complurium, quos propter poesis laudem minores dicimus, alii in aliis generibus, quae Augusti saeculo placuerunt, nulla vel parva admodum fama versati sunt.

Egregium prae ceteris versificatorum turba sibi Virgilium in exemplum imitandum proposuit, qui quidem divino illo de Aenea Troianisque heroibus poemate Homeri ipsius gloriam esset aemulatus. Eum autem ita auctorem et magistrum habuerunt, ut poetarum eorum in modum, qui a Graecis cyclici appellantur, res celebrandas ab eventibus desumerent, qui aut ante bellum Troianum fuerunt, aut ex iis qui postea secuti sunt, neque tamen, quod maxime intererat, res illas, ut Virgilius ad Italorum studia inflecterent. In eorum numero multi; *Ponticus* in primis, hoc uno nomine notus, Propertio Ovidioque familiarissimus, cuius poema « *Thebais* » inscribebatur. Verisimile videtur eum ab Antimacho Colophonio, poeta haud ignobili, deprompsisse. Huius enim poema, quo maxime delectatum esse Platonem novimus, *magnum* scilicet longum a Cicerone dicitur; qui etiam illud satis Romanis notum esse addit, quamvis in iudicio de illo ferendo, ut apud Graecos criticos, ita apud Romanos, in contrarias partes discesserint sententiae. Aperuit igitur Ponticus primus viam ad fontem, ex quo spiritum, ut suo loco dicemus, Statius hausit, qui illo longe melior poeta fuit.

Cic. Brut. 51 191.

CCII. His praeterea poetis Romanis, ut ita dicam, cyclicis sunt adnumerandi Macer quidam, quem *iliacum* Ovidius appellat, tum Charus, Camerinus, Lupus, qui Trinacrius fuit; eos nos, deperditis libris, poemata confecisse Ovidius auctor docet. Alius ab Aemilio Macro, quem in suum libri locum remittimus, *Macer* hic est, de quo nunc loquimur, qui « *Antehomerica* » et « *Posthomerica* » condidit; *Charus*, ut Pisander et Panyasis ex Graecis, ut ex Latinis Caesar, mythicum, « *De Hercule* » poema composuit. Item etiam *Camerinus* fabulam Herculis, ex qua urbs Troia ab heroe una cum Apolline atque Neptuno exaedificata et brevi eversa tradebatur, heroico carmine concelebravit, quod « *Excidium Troiae* » inscribebatur. Huic quoque generi non dissimilia erant poemata, quae sive *Lupus* sive *Largus* poetae concin-

Poetae κυκλικοί qui dicuntur

naverant, poematis illis Graecis simillima, quae Graece «νόστοι» vocantur. Eorum alter Menelai Helenaeque reditum in patriam concinit; alter vero Antenoris Troiani vices ambages enarravit. Fama enim ferebat hunc eo die, quo Ilium captum est, cum multitudine Henetorum ex Troade discessisse, in Italiam ad ultimum maris Superi sinum appulisse, ibique, subactis Euganeis, urbem Patavium condidisse. Patet eum poematis re prae ceteris Virgilii vestigia esse secutum. His poetae alii complures accedunt. *Iulius Antonius* in primis, qui triumviri filius fuit, qui ita carus Augusto fuit, ut eius neptim Marcellam, Octaviae sororis filiam, postquam ab Agrippa dimissa est, sibi uxorem duceret. Attamen postea, in adulterio cum Iulia deprehensus, ab Augusto ipso mortem sua sibimet manu inferre iussus est. Huic ab Horatio carmen sciscitanti, res ab Augusto in Sygambros, Germanorum gentem, gestas celebraret, Venusinus aureum carmen remisit, cuius in prooemio: « *quisquis* » ait « *Pindarum aemulari studet ceratis ope Daedalea niti pennis vitreo daturus nomina ponto* ». Duodecim libris de Diomede, fortissimo viro Ulixis amico epicum carmen composuit, quo ex principe rerum actore « *Diomedeas* » inscripsit. Ob rem, quam canit, et carminis condendi rationem, Iulius quoque, ut Lupus, ad Virgilium quam proxime accedit. Diomedes enim in Apuliam venisse, et a Dauno rege filiam in uxorem et regni partem etiam accepisse tradebatur eodem modo quo, rebus multis immutatis, Aeneam in Latinum appulisse Virgilius narraverat. *Domitius Marsus* iisdem etiam poetis accedit, qui praeter carmina amatoria elegis conscripta nec non breviora, quae epigrammata appellantur, praeter narratiunculas illas, quas nunc fabulas dicimus, et librum rhetoricum «*De urbanitate*» poema mythicum de bellicosissimis feminis et virginibus confecit, quod « *Amazonides* » inscribebatur. Vilem hunc poetam fuisse ex his Martialis versiculis novimus :

Tac. IV. Ann. 44.

Horat. IV. Carm. 2.

Saepius in libro memoratur Persius uno,
Quam levis in tota Marsus Amazonide.

Mart. IV. Epigr. 29.

Tum *C. Pedo Albinovanus* ad quem Ovidius epistulam misit. Hic cum elegos, epigrammata non sine laude composuisset, in poemate mythico res gestas a Theseo cecinit, idemque Caesaris Germanici navigationem altero in carmine macro spiritu celebravit, cuius aliquot versus alligat Seneca. Ab hoc fabulator elegantissimus appellatur, ab Ovidio autem in epistula et «*sidereus*» hoc est sublimis poeta dicitur. In rerum memoria ipsis praesente carminibus concelebranda clarissimi duo alii poetae *Caius Rabirius* atque *Cornelius Severus* elaboraverunt. Primus bellum civile postremum tanta concinit arte, ut magni eum oris poetam diceret Ovidius Quintilianusque cognitione non indignum. Cornelius autem «*Bellum Siculum*» quo Sextus Pompeius, Magni filius, ab Augusto devictus est, ita egregie illustravit, ut si ei ad perficiendum perpoliendumque poema vita suppeditavisset, quod morte praematura interceptus, inchoatum reliquit, Quintiliano auctore, secundum in epicis poetis locum tenuisset. Huius poetae quasi laudis testes a Seneca versus celebratissimi afferuntur, quibus necem Ciceronis deplorat.

Ovid. IV. ex Pont. 10.

Senec. I. Suas. Epist. 122.

Ovid. IV. ex Pont. 16. 5; Quint. X. Inst. I. 90.

Sen. VI. Suas. 26.

CCIII. Genus vero lyricum, quod Horatius, Tibullus, Propertius, Ovidius valde illustraverant, a multis poetis aliis hoc eodem tempore excultum est, qui illorum vel unum, vel alterum pro cuiusque ingenio et natura auctorem sibi imitandum proposuerunt. Praeter eos, quos modo in epicos poetas rettulimus, in lyricis minoribus sunt C. Valgius Rufus, Codrus, Iulius Montanus, Titius, Bassus, et viri duo nobilissimi Pollio et Messalla. Istorum *Valgius Rufus* ab Horatio, cui amicissimus fuit, plurimum laudatur, eodemque in carmine dolore levatur, quem ex Mystae pueri morte animo ceperat. *Codrus* — verum an falsum nomen incertum est: nonnulli enim eum pastorem quendam fuisse putant, qui versus factitare consueverat, alii amicum quendam hoc nomine poetice occultari censent — coniunctissimus Virgilio fuit, cuius in ecloga septima haec de amico scripta leguntur:

Nymphae, noster amor, Libethrydes, aut mihi carmen,
Quale meo Codro, concedite — proxima Phoebi
Versibus ille facit — : aut, si non possumus omnes
Hic arguta sacra pendebit fistula pinu.

Virg. Eclog. 7. vers. 21-24.

Eundem hunc Codrum etiam Valgius poeta laudat his verbis :

. . . *ille canit, quali tu voce canebas*
Atque soles numeros dicere, Cinna, tuos.

Iulius Montanus non lyricis modo carminibus sed et epicis quoque plurimum valuit. Ad eum enim spectare videntur Ovidii versus, in quibus famam illum habuisse testatur:

Ovid. IV. ex Pont. 16. 17.

Quisque vel imparibus numeris, Montane, vel aequis
Sufficis, et gemino carmine nomen habes.

Eius mortem Tacitus — aetatem enim ad Neronis tempora produxit — narrat. « *Iulius Montanus, senatorii ordinis, sed qui nondum honorem capessisset, congressus forte per tenebras cum principe [Nerone] quia vi attemptantem acriter reppulerat, deinde agnitum oraverat quasi exprobasset, mori adactus est.* » Lyricos autem versus *Titium* Pindarico aestu scripsisse suspicamur ex Horatii epistula ad Iulium Florum, in qua Venusinus Romanos in Titio suum esse Pindarum inventuros sperat, qui Augusti laudes in longum aevum propagandas praedicet. En eius versus :

Tacit. XIII. Ann. 25.

Quis sibi res gestas Augusti scribere sumit?
Bella quis et paces longum diffundit in aevum?
Quid Titius Romana brevi venturus in ora?
Pindarici fontis qui non expalluit haustus,
Fastidire lacus et rivos ausus apertos.

Horat. I. Epist. 3. 7-11.

« *Bassum* » nobilem iamborum scriptorem fuisse ex Ovidii loco colligimus, in quo eum *clarum iambo* dicit. Demum ex Plinii epistula ad Titium Aristonem carmina scripta et

Ovid. IV. Trist. 10. 47.

in coetibus fortasse poetarum recitata fuisse a *Pollione* et a *Messalla* colligimus, atque etiam ab *Augusto* ipso, quem epicum poema et fabulam tragicam tentasse constat et epigrammata condidisse « *quae* » ut ait Suetonius « *in eius tempore balinei meditabantur* ». Horum omnium carmina, praeter fragmenta nullius quaedam momenti, ex integro evanuisse dolemus, quibus vix auctorum ipsorum memoria superest.

Suet. Vit. Aug. 85.

CCIV. Erant etiam cum his *poetae alii* quorum nomina in temporum tenebris latent eorumque tamen carmina huic aut alteri a criticis inscripta circumferuntur. Huiusmodi sunt obscoenissima illa « *Priapea* » de quibus multa legere licet, si libet, in *Poetarum historia* egregia a Lilio Gregorio Gyraldo exarata, qui humanista, ut nos dicimus, eruditissimus et doctissimus fuit; tum carmen aliud, quod « *Rosetum* » inscribitur, ex quo poetica mella et quasi florum odores promanant, ac si idem reapse carmen consitus rosis locus sit, quem nomen significat. Huc quoque carmina laudatoria « *De Maecenate moribundo* » « *De obitu Maecenatis* » spectant, quae falso Albinovano vel Virgilio attribuuntur, tum « *Consolatio ad Liviam de morte Drusi Germanici* » quam quidam eidem Albinovano vel Ovidio ascribunt et nebulonis cuiusdam est ex humanistis, qui Leonis decimi saeculo litteras nostras illustrarunt egregie; scilicet nugator, carmine suo sine nomine edito, vel facetius criticis illis auctorem indagantibus illudere voluit, vel eorum fidem fallere. Denique carmina, quorum est apud scriptores mentio « *De pulice* » « *In pediculos* » « *De philomela* » recentioris poetae mali sunt, qui non ante aetatem mediam, quae dicitur, floruit.

Lil. Greg. Gyral. Poet. Hist. Dial. IV. sub. C. Maec.

CCV. In genere didascalico, quod per Lucretium Virgiliumque ad perfectam maturitatem quam celerrime pervenerat *Aemilius Macer* atque *Gratius [Faliscus ?]* non ignobiles eiusdem saeculi poetae, si rem novam in litteris Latinis inspicias, ab iis primum pertractatam, multa sane laude, elaborarunt. Ille Veronensis, patria hic Faliscus; alter familiaris

Virgilio, Ovidii alter et aequalis et amicus fuit. Prior de volucrum generatione poematium didascalicum composuisse traditur, quod Graeco nomine « *Ornithogonia* » inscribebatur; idemque etiam ex Nicandro, qui Alexandrinus ob suam originem nuncupatur, poema « *Theriaca* » inscriptum Latine vertit. In hoc de serpentum venenis deque pastillis illis praesertim agebatur — Graeca voce theriaci vocantur — quibus mortiferi anguis morsus sanantur. Posterior vero Gratius condidit « *Cynegeticon* » hoc est poema de venandi arte, in quo de canibus equisque instituendis, quibus in venando utimur, de plagis, de retibus, de venabulis, de ceteris rebus atque venationis instrumentis perbelle et poetice loquitur. Poematum illius minutissima exstant fragmenta, huius autem poema integrum quasi. Utrumque poetam apud veteres criticos valde laudatum reperio. Primus a Plinio in suos notitiarum fontes refertur, et a Quintiliano tanti existimatur, ut cum Lucretio componere non dubitet « *Macer et Lucretius legendi quidem, sed non ut phrasin, id est corpus eloquentiae, faciant, elegantes in sua quisque materia, sed alter humilis, alter difficilis* ». Gratius subobscurus interdum in oratione est propter rem ipsam, quam canit, adeo ut prima lectione non sine aliqua difficultate intellegatur, at loca quaedam aurea omnino sunt et praestantissimo quoque poeta digna. Exemplum sunt egregium versus, in quibus aut canes venaticos aut Vulcani officinas describit, aut etiam delicias voluptatesque contemnendas, virtutis praestantiam contra ab omnibus laudandam esse contendit atque suadet.

Ovid. IV. ex Pont. 16. 34.

Quint. X. Inst. 1. 87.

CCVI. Fabula etiam in hoc saeculo humi iacuit; neque enim eam *Melissus* ille Spoletinus altius sustulit, qui inter ordinandarum curas bibliothecarum, quibus ab Augusto per Maecenatem patronum praefectus fuerat, genere ipso novato, trabeatas, quae dicuntur, fabulas nonnullas conscripsit; neque item *Fundanius*, qui veterem palliatam restituere contendit, eamque multos annos iacentem erexit; *trabeatas* suas fabulas

ille ex Romanorum trabea appellavit. Haec autem vestis, candida purpureis pannis virgata, a vulgari toga differebat et equestri ordini, ut propria, addicebatur; atque inde coniectura facile trahimur ad suspicandum eum in scaenas equestris ordinis personas primum induxisse. At Fundanius veterem Romanorum palliatam renovare, quam rei novitatem sequi maluit. Unus ille, ut Horatius testatur, temporibus illis bene fabulas comicas docuit, nihilominus haud tanta laude valuit, ut a celebritate ludorum populum Romanum abductum ad theatra restitueret. Neque magis valuerunt, qui in tragicis fabulis condendis versati sunt. Mihi autem persuasum est consuetudine et studio harenae accidisse, ut Romani tanto inferiores vel mediocribus poetis Graecis in fabulis tragicis fuerint. Apud eos enim heroes habebantur vel qui dolore non afficerentur, vel dolorem patientia occultarent; at contra apud Graecos tragoediarum heroibus sensu carere non licebat, dum ipsis in cruciatibus constantiae specimen ederent, et diutius omnia perpeti mallent, quam cogitationes mutare et consilia. Hanc ob causam spectaculis gladiatoriis magis quam fabulis tragicis Romani delectabantur. In tragicis Augusti memoriae *Octavianus Augustus*, *Asinius Pollio*, *Pupius*, *Turranius*, *Sempronius Gracchus* fuerunt, in primisque hoc genere clarus *L. Varius Rufus*, de quo iam locuti sumus. Hic laudatissimam fabulam docuit, quae « *Thiestes* » inscribebatur; hanc « *cuilibet Graecarum comparari posse* » Quintilianus affirmat, ideoque gravius ferimus eam una cum Ovidiana Medea intercidisse, quarum utraque, si exstaret, fabularum istarum in Latinis litteris insigne esset exemplar.

Quint. X Inst. 1. 98.

TITUS LIVIUS

CCVII. Inter scriptores qui Augusti saeculo, mortuo iam aliquot ante annos Cicerone, in conficiendis libris oratione soluta usi sunt, si eorum dicendi genus inspicias, palmam

Titus Livius facile tulit. Sin autem tempora et aetates perpendas, quae ipse ex ordine ab Urbe condita ad usque suam aetatem perpetua narratione primus prosecutus est, rerum quoque scriptorum omnium, qui vel ante, vel post eum fuere, principem invenias. Vir enim hic divino prope atque singulari ingenio praeditus mirificum historiarum opus condidit atque perfecit, quod nemo aggressus erat. Patavii, ut ex certis veterum scriptorum monumentis colligitur, lucem anno sexcentesimo nonagesimo quinto post conditam Urbem vidit, in patriaque urbe, fortissima atque mercaturis copiosissima, usque ad primam adulescentiam versatus est. Nobili eum loco natum esse ex quibusdam locis historiarum suspicamur, in quibus ipse vel novos homines ignobilesque insectatur, vel nobilitatem una cum virtute in magnis clarissimisque viris expetendam esse contendit. De parentibus deque prima eius pueritia nihil sane novimus. Rem enim nullam ipse tradit, quae vel ad parentes aliquomodo, vel etiam ad se ipsum pertinere possit; ceterum pauca de eo apud antiquos scriptores memorata reperiuntur. Multis tamen indiciis eum iis fuisse disciplinis eruditum putamus, quibus tunc pueri institui soliti erant, grammatica, rhetorica, philosophorum doctrinis, sine quibus memorandum illud historiarum exemplum conscribere non potuisset. Ceterum eum disertissimum fuisse Seneca testatur et ex orationibus ipse patet, quas narrationi rerum frequenter adnectit, ex sententiis, ex figuris et verborum quasi poeticis coloribus, quibus fit perpolitissimum et elegantissimum concinnumque orationis genus. Postquam igitur adolevit, urbe patria relicta, Romam se contulit ibique sub Augusto Tiberioque ad extremam senectutem vixit. A negotiis publicis vacuum omnino et liberum fuisse satis certum est, vel quod natura sua et indole ab iis abhorrebat in deliciisque tantum litterarum otia habebat, vel quod Pompei partes cum suis municipibus secutus, Caesaris favorem a se et gratiam iam tum alienaverat, cum hic solus in

republica dominari coepit. Nihilominus id nihil privatae inter eos amicitiae offecit neque item impedivit, quominus in Octaviani familiaritatem quandam perveniret Claudiumque, qui post Caligulam imperator factus est, ad historias conscribendas impelleret. Notitias eius quasdam domesticas ex Quintiliano et ex Seneca eruimus; oblata enim in rebus diversis per se occasione, liberorum, quos Livius habuit, in utriusque locis occurrit mentio. Hic enim in declamatorum tabulis Magium quendam memorat, quem Livii *generum* dicit; ille vero epistulam quandam a Livio *ad filium* missam laudat, quod tutissima brevitas dicendi in ea reperiatur. Quo Romae tempore versatus est, in rebus Romanorum enarrandis posuit, cumque opus iam confecisset in patriam urbem revertit ibique eodem anno, quo Ovidius in exilio mortuus est, diem obiit supremum anno p. Chr. n. septimo decimo.

De his conf. Mart. I. Epigr. 61, 3; Liv. XXVIII. ab. Urb. cond. 42; XXV. 37; Sen. l. de Ira a med., Tac. IV. Ann. 34; Suet. in vit. Claud. 4.

Sen. X. Contr. praef. 2; Quint. X. Inst. 1. 39.

CCVIII. Praeter historias, quibus apud posteros valde inclaruit, de philosophorum quaestiunculis dialogos quosdam scripsisse ex Seneca novimus, et sapientiae praecepta, quae exemplis ex historiis desumptis illustravit. Confecit praeterea *ex professo philosophiam continentes libros*, quos quidem cum dialogis statim evanuisse censemus ex hoc quod in nullo auctore eos memoratos invenimus. Totam aetatem in opere credendum est conscribendo posuisse, quod historiarum libris continetur. In his enim non singulas historiae partes enarrat, sed res quas Romani ab Urbis incunabulis ad recentem memoriam gesserant, diligentissime indagat et tamquam amplo in conspectu complectitur. Res omnes in libros centum quadraginta duos digessit, quos «*Historiarum ab Urbe condita libros*» sive «*Ab Urbe condita*» vel, ut videtur, brevius «*Annales*» inscripsit. Incertum enim est quo nomine appellaverit et lis hodie quoque apud iudices est. Ad aetatem nostram vix quinque et triginta libri pervenerunt: ceteri hominum incuria, vel ipsa eorum mole et pondere, exeunte, ut videtur, aetate media, tristissime

Senec. Epist. 100. 9.

Historiarum ab Urbe condita libri qui exstant et qui desiderantur.

fato interciderunt, atque a Leonis decimi deinceps saeculo ubique in bibliothecis exquisiti adhuc desiderantur. Ex tanto opere, quod propter rerum copiam et abundantiam, quae narrabantur, in bibliotheca capi posse argute negabat Martialis, quarta vix pars reliqua est. Primi hodie libri usque ad decimum integri exstant, in quibus res omnes, quas Romani gesserunt, a primordiis Urbis ad bellum Samniticum primum continentur, quod anno CCXCIII post Urbem conditam confectum est. Exstant etiam viginti quinque libri, a vigesimo primo ad quintum quadragesimum, hi quidem integri praeter quadragesimum primum atque tertium, qui locis quibusdam lacunosi sunt. Res in his enarrantur, quae actae sunt a bello Punico secundo inito, quod CCXVIII anno ortum est, ad bellum contra Perseum Macedonum regem, qui CLXXVII anno devictus est. Librorum praeterea deperditorum fragmenta nonnulla manent, quae aut in bibliothecis reperta sunt, aut ex scriptorum aliorum libris collecta. Omnium cum deperditorum tum quoque eorum qui sunt, praeter duo, centesimum sextum atque septimum, periochas, quae dicuntur, habemus, in quibus res uniuscuiusque libri enucleantur. A quo periochae exaratae sint, quoque tempore incertum est; inveniuntur tamen in codicibus Flori, de quo paulo post dicturi sumus.

Mart. XIV. Epigr. 190.

Periochae sive librorum summa

CCIX. Si consilii causam rationemque quaerimus, cur etsi tanta scriptorum rerum turba fuisset, Livius se in conscribendas historias contulerit, duplicem fuisse ex iis inveniemus, quae de proposito suo in prooemio loquens declarat. Quarum alteram, qua erat modestia, verbis his tecte significat: « *novi semper scriptores aut in rebus certius aliquid allaturos se aut scribendi arte rudem vetustatem superaturos credunt* ». Sperat nimirum se, maiore industria in fontibus notitiarum indagandis adhibita nec non polita et eleganti scribendi ratione, superioribus scriptoribus praestare posse: alteram paulo infra his indicat verbis: « *hoc quoque laboris*

Liv. ab. Urb. cond. in prooem.

praemium petam, ut me a conspectu malorum, quae nostra tot per annos vidit aetas, tantisper certe, dum prisca tota illa mente repeto, avertam, omnis expers curae, quae scribentis animum etsi non flectere a vero, sollicitum tamen efficere posset ». Ad scriptoris auctoritatem quod attinet, placet mihi iudicium in hunc locum Weissenbornii referre, qui in tanta sententiarum varietate aequissimum, ut mihi videtur, Livii existimatorem et iudicem doctum se exhibet: « *Ut in scriptorum ita in rerum quoque, quae probandae et narrandae essent, delectu sano et integro plerumque Livius usus est iudicio. Sic in antiquissimorum temporum memoria nec incanes aut indecoras fabulas a recentioribus inventas aut a Graecis illatas commemoravit, nec ieiuna interpretatione iis, quae fabulosa essent, veritatis speciem induere studuit, sed vulgarem fere famam aut ab Ennio ornatam non detracto mythico colore breviter eleganterque exposuit. In iis autem, quae deinde sequuntur temporibus multa, ut in annalibus videntur perscripta fuisse, succincte commemorat, alia iam a prioribus scriptoribus copiosius narrata, pugnas civilesque turbas, et ipse oratione exornat, alia a recentioribus addita ut incerta minusve apta reicit aut in dubium vocat, alia etiam a fide dignis scriptoribus tradita si legentibus nota ea esse aut minus praebitura voluptatis et utitilatis putabat vel omisit vel levius attigit. In iis libris, ubi Polybium sequitur, initio pauca ex eo hausit, paulatim plura, nonnullis locis omnia; sed permulta, quae Graeco scriptori vel propter consilii sui rationem, vel ut a Graecis res Romanae, a Romanis Graecae recte intelligi possent, necessaria visa erant, velut Graecarum inter se civitatum et Asiaticarum rationes, locorum institutorumque descriptiones, multa de hominum consiliis factorumque causis, de scriptorum fide aut neglegentia recidit et omisit, aut quod ab ipsius Romanorumve ingenio aliena erant, aut quod non ultra attingere externa, nisi qua Romanis cohaererent rebus*

Titi Livii ab Urb. cond. libr. iter. recogn. Will. Weissenborn. Pars I. Lipsiae. 1883.

statuerat, et accuratiorem eorum expositionem non necessariam aut minus iucundam putabat». Reliqua, quae apud criticum gravissimum invenio, praetergredior, ut quaestionem hanc Tacito auctori fide digno remittam, qui «*Titum Livium eloquentiae et fidei praeclarum in primis*» dicit.

Tac. IV. Ann. 34.

CCX. Titi Livii historiae prae ceteris narrationibus aliorum scriptorum, tum novitate et magnitudine ipsa rerum quae referuntur, tum arte mirifica, qua rhetorice et quasi tragice exornantur, tum afflatu quasi poetarum, quo exaggerantur et illustrantur, legentis animum maxime permovent et delectant. In maiorum gestis celebrandis ardore quodam animi perpetuo tenetur, quo fit ut industria summa in atrocissimis bellis describendis utatur, et prodigia mirabilia et quoque portenta deorum memoret, quae res prosperas significare vel adversas arcere visa sunt. Locorum ac temporum descriptiones frequentissimae occurrunt, quibus aut bella aut urbium eversiones acta sunt. Hominum mores, virtutes, vitia pervestigat, ut in illis eventuum atque rerum causas exquirat. Pulcherrima ex omnibus habetur Hannibalis morum atque naturae descriptio, quam pro multis in exemplum referre placet: «*Missus Hannibal in Hispaniam primo statim adventu omnem exercitum in se convertit: Hamilcarem iuvenem redditum sibi veteres milites credere, eundem vigorem in vultu vimque in oculis, habitum oris lineamentaque intueri. dein brevi efficit, ut pater in se minimum momentum ad favorem conciliandum esset. nunquam ingenium idem ad res diversissimas, parendum atque imperandum, habilius fuit. itaque haud facile discerneres, utrum imperatori an exercitui carior esset: neque Hastrubal alium quemquam praeficere malle, ubi quid fortiter ac strenue agendum esset, neque milites alio duce plus confidere aut audere. plurimum audaciae ad pericula capessenda, consilii inter pericula erat. nullo labore aut corpus fatigari aut animus vinci poterat. caloris ac frigoris patientia par; cibi potionisque desiderio naturali,*

Ars et industria in narrandis rebus

Liv. XXI. ab Urb. cond. 3.

non voluptate modus finitus; vigiliarum somnique nec die nec nocte discriminata tempora: id, quod gerendis rebus superesset, quieti datum; ea neque molli strato neque silentio accersita; multi saepe militari sagulo opertum humi iacentem inter custodias stationesque militum conspexerunt. vestitus nihil inter aequales excellens; arma atque equi conspiciebantur». Insunt praeterea in narratione ducum orationes quibus milites ad decertandum impelluntur quibusque res rerum auctores ipsas agentes et quasi loquentes prae oculis, ut in fabulis scaenicis, inducuntur. Urbis enim magnitudinem atque reipublicae Romanae magnificentiam cum celebrare statuisset, elatiore et ardentiore orationis genere usus est, quam in rerum scriptoribus exquiritur. Hunc sibi finem cum proposuisset, in suas historias et illa quidem minus certa et a poetis ficta rettulit, quae ante Urbem conditam poeticis magis idonea fabulis, quam incorruptis rerum gestarum monumentis tradebantur. Hanc ob causam equidem epicorum poetarum ei laudem una cum rerum scriptoris auctoritate tribuerim. Etenim id oratione soluta efficere contendit, quod eadem aetate Virgilius effecerat; Romanis videlicet ceterisque praesertim terrarum gentibus ostendere voluit et ipsis rerum eventibus comprobare Urbis imperium deorum fatis partum esse, et eorum opibus et auxilio esse auctum, ut populus unus rerum totius orbis terrarum, quasi deus in mundo, potiretur. Quod mihi saepenumero animo repetenti populum Romanum Livius sensisse videtur — quod etiam Iudaei multis ante annis de se senserant et litteris mandaverant — inter ceteras orbis terrarum civitates esse deorum numine delectum, qui imperium atque rempublicam unam sub unius Urbis dicione ac potestate ex gentibus pacatis omnibus conderet, qui civitates barbaras in infinita prope rerum discrimina adductas deorum ipsorum voluntate salvas atque integras servaret. Res enim humanas tamquam in altissimo monte considens, uno quasi aspectu conspicatus, populum Romanum

Perennis Urbis celebratio

gentium ducem et lucem esse indicavit. Qua quidem sententia Iohannem Baptistam Vicum nostrum, sapientissimum et doctissimum virum, praevertit, qui maiorum memoria nostrorum dialecticis rationibus exemplisque desumptis ex historia, mundum numine quodam et Dei providentia regi et administrari ipsis rerum vicibus comprobari posse contendit. Hinc accidit ut Livius numquam, etiam cum bella et vices Romanis adversa enarret, dolore teneatur, in bonam spem rerum secundarum citius erigatur, maximeque doleat cives suae aetatis, ac si id minus sentiant, in dies corrumpi. Pro hoc munere et officio, quod ipse ut veteres rerum scriptores huic litterarum generi assignat atque pro ratione illa, ex qua historia vitae magistra dicenda ad bonum assequendum est, nemo Livio melius virtutem praedicavit, nemo exemplis maiorum potius quam verbis homines, ut vitia fugerent edocuit, nemo aptius verum cum recti amore coniunxit.

Libertatis amor et studium

CCXI. Libertatem non minore coluit studio, quam mores integros maiorum laudibus extulit et praedicavit, quod cum ex sententiis acutis infertur, quibus occasionem nanctus multis locis eam commendat, tum in fine libri primi quam maxime patet. Scelera ibi Tarquinio enumerans, obscuris verbis colorat, tacite frendit et ardet. Oppressorem autem libertatis et vindicem, Tarquinium et Brutum, in dissimilitudine rerum ita repraesentat, ut animum suum facile ostendat: « *eodem fere tempore diversis itineribus Brutus Ardeam Tarquinius Romam venerunt. Tarquinio clausae portae exiliumque indictum; liberatorem Urbis laeta castra accepere* Post regem eiectum novum annorum ordinem initium cepisse ex libertate credit: « *regnatum Romae ab condita Urbe ad liberatam annos ducentos quadraginta quattuor* »; exhilaraturque, quod a cervicibus Romani servile iugum deiecerint: « *Liberi iam hinc populi Romani res pace belloque gestas, annuos magistratus imperiaque legum potentiora quam hominum peragam. quae libertas ut laetior esset, proxumi*

Liv. I. ab Urb. cond. 60.

regis superbia fecerat ». A libertatis amore ne Augusti quidem aut timor aut amicitia eum deduxit. Constat enim eum partes Pompeianorum esse secutum, atque Pompeium laudasse, qui libertatis vindex fuisset, et Brutum Cassiumque summis prosecutum esse laudibus, quippe qui libertatem contra Antonium et Octavianum ipsum defendissent. Hinc mihi ille vir vere Romanus animo et ingenio fuisse videtur; alia enim natura liberam illam liberorum hominum rempublicam immortalitati commendare nequivisset.

Liv. II. ab Urb. cond. I.

CCXII. Livii narrationes magis quam ingenti rerum et eventuum varietate, qua populus terrarum princeps in omnem posteritatem refulget, orationis genere delectant. Non enim Livius, ut annalium scriptores, ex quibus, tamquam ex fontibus, notitias depromit, nudo et exili et stricto orationis genere utitur, quod nonnulli critici vitio Caesari vertunt, neque subobscuram Sallustii brevitatem affectat, sed formam illam amplam, concinnam, numeris plenam adhibet, in qua oratorum et poetarum genus aequabiliter commiscet et in unum componit. Hinc fit, ut praesertim cum res illas narret quae ad poetarum ornatum magis idoneae videantur, figuris atque verborum coloribus narrationem variet, distinguat et illustret, ac si carmen solutum condere instituat. Non tamen, semper idem in libris omnibus stilus est neque idem color: pro varietate et praestantia rerum nec non pro scriptorum diversitate ex quibus haurit, modo gravior est, modo pressior modo lenior. Quintilianus Pollionem refert in Livii historia Patavinitem ut vitium deprehendisse, rationem videlicet quandam sermonis inflectendi ab urbe patria importatam. Huius honestissimum iudicium iuvat referre: « *At non historia cesserit Graecis. Nec opponere Thucydidi Sallustium verear, nec indignetur sibi Herodotus aequari T. Livium, cum in narrando mirae iucunditatis clarissimique candoris tum in contionibus supra quam enarrari potest eloquentem: ita quae dicuntur omnia cum rebus, tum personis accommo-*

Orationis virtutes et stilus

Quint. X. Inst. I. 101

data sunt; adfectus quidem praecipueque eos qui sunt dulciores, ut parcissime dicam, nemo historicorum commodavit magis. Ideoque illam immortalem Sallustii velocitatem diversis virtutibus consecutus est ». Quanti autem apud aequales T. Livius fuerit ex loco quodam Plinii conici licet, qui narrat usque a Gadibus quendam nomine Livii gloriaque commotum, illius visendi causa venisse, quem ut vidisset, abiisse statim, quasi in Urbe domina terrarum et populorum maius esset miraculum vir unus, quam opes reliquae et potentia.

Plin. II. Epist. 3. 8.

MINORES RERUM SCRIPTORES

CCXIII. Ex multis rerum scriptoribus, qui eadem aetate qua floruit Livius, in historiis conscribendis varia multiplicique ratione elaboraverunt, primum profecto locum *Trogus Pompeius* occupat. Hic Galliae Narbonensis familia natus, quam Pompeius Magnus civitate donaverat, natione quidem Gallus fuit, ingenio moribusque Romanus. Doctus et intelligens rerum aestimator, cum Graecorum historias evolvisset, Timaei praesertim libros, Theopompi, Polybii, quadraginta quattuor libris, quos « *Historias Philippicas et totius mundi origines et terrae situs* » inscripsit, omnium saeculorum memoriam et terrarum descriptionem complexus est. Civitatum omnium originem a Nino, Assyriorum rege, repetivit quem primum totius Asiae regnum obtinuisse et Ninivem, urbem Assyriae maximam, condidisse scriptores et Graeci et Barbari tradiderant. Deinceps res Assyriorum, Medorum, Persarum narrabat, tum tria bella, quae Graeci cum Persis gesserant; tum postea res Alexandri, Macedonum regis, fusius referebat et regnorum, quae post huius mortem ex imperii divisione orta sunt. Ab ultimis duobus libris Romanorum et Hiberorum res summatim enucleabat, qua instituta historiarum ratione duorum milium annorum spatia narratione continua prose-

cutus est, Livium ipsum rerum populorumque varietate superans, de quibus in suis libris mentio occurrebat. Huius operis fragmenta exstant et librorum « *prologi* » quibus Iustinus, qui confecit, rerum summam « *veluti florum corpusculum* » nobis delibandam exhibuit.

CCXIV. Livii quoque aequales fuerunt cum *L. Fenestella*, qui viginti unum historiarum libros composuit « *Annales* » inscriptos; tum *L. Arruntius*, qui Sallustii orationis genus imitatus « *Historias belli punici* » conscripsit; tum denique *C. Iulius Higynus*, Hispanus natione, libertus Augusti, qui Palatinae bibliothecae praefuit. Hic plura scripsit, quae ab auctoribus passim referuntur. Librorum, qui ad historiam pertinent, alios « *De vita rebusque inlustrium virorum* » alios « *Exempla* » alios denique « *De familiis Troianis* » inscripsit; praeterea a scriptoribus nonnullis libri eius « *De astronomia* » et « *De agricultura* » et « *De apibus* » memorantur, et etiam commentaria in «*Propempticon Pollionis*» de quo paulo supra sermo fuit, atque Virgilii poematum explanatio. Scriptoribus his *M. Verrius Flaccus*, *M. Vipsanius Agrippa*, *M. Valerius Messalla Rufus*, *M. Valerius Messalla Corvinus*, *Asinius Pollio Octavianus Augustus* accedunt, qui partes modo historiarum singulas singuli sui ipsorum celebrandi causa pertractaverunt.

IURIS ET SAPIENTIAE SCRIPTORES ORATORES

CCXV. Complures sive publici sive privati iuris viros peritissimos protulit litterarum aetas aurea. Ex frequentatissima enim Mucii Scaevolae Pontificis schola iurisconsulti clarissimi prodierunt duo, *L. Lucilius Balbus* et *C. Aquilius Gallus*, qui Ciceronis fuerunt fere aequales et familiarissimi, aetate maiores. Eorum alter tantos in stoicorum sapientiam progressus fecit, ut eum pro his sapientibus Cicero in suis

libris loquentem induxerit. In Bruto vero eum doctum et eruditum hominem vocat et tum in agendo, tum in respondendo gravi tarditate praeditum. Secundus autem, ex nobili pervetustaque familia Aquiliorum oriundus, homo acutus fuit exercitatus et in agendo respondendoque celerrimus. Hunc multis laudibus Cicero extollit in oratione, quam pro A. Caecina habuit. Utriusque in se laudes aeque conciliavit *Servius Sulpicius Rufus*, qui utriusque auditor fuit. Ineunte aetate in iisdem eloquentiae exercitationibus cum Cicerone fuit, et cum eodem una Rhodum profectus, quo melior esset et doctior. Attamen cum a Cicerone se eloquentiae laude superatum vidisset, in iuris arte, quae secunda est, primus esse maluit, quam in prima secundus. Servius primus, cum ceteri maxime iuris civilis usu valerent, huius disciplinae artem adhibuit. Dialectica ratione ius tractabat, qua obscura explanando, ambigua distinguendo, vera a falsis discriminando, rebus, quae confuse ab aliis aut respondebantur aut agebantur, lucem quasi afferebat. His itaque iuris laudibus et principem locum inter suae aetatis iurisconsultos obtinuit, et ad summas dignitates est evectus. Ex huius discipulis, qui multi fuerunt — frequentabatur enim eius domus incredibili iuvenum nobilium multitudine — *P. Alfenus Varus* Cremonensis et *A. Ofilius* memoratu dignissimi sunt. Etenim hunc apud Pomponium his verbis laudatum invenio: « *Fuit Caesari familiarissimus et libros de iure civili plurimos et qui omnem partem operis fundarent reliquit* ». Ad eum curam legum in unum corpus exigendarum Caesar mandavit, qui muneri egregie satisfecit. Prae eius commentariis liber « *De legibus vicesimae* » in primis memorabatur, in quo « *vicesimam hereditatum* » defendebat. Qua lege, cum militare aerarium conderet Caesar, instituerat, ut ex hereditatibus omnes cives persolverent vectigal, exceptis arcta sanguinis necessitudine iunctis et pauperibus. Librum etiam alium « *De iurisdictione* » scripsit primusque maxima diligentia

Cic. Brut. 41. 151. et seqq.

Pomp. 2. 44 De orig. iur.

« *De praetoris edictis* » disputavit; alterum autem Varum, abiecta sutrina, quam in municipio exercuerat, Romam petisse veteres scriptores tradunt, ibique eo dignitatis propter iuris scientiam pervenisse, ut consul suffectus crearetur. Scripsit hic « *Digestorum libros XL* » quos postea iurisconsultus in Paulus epitomen redegit. Haec autem epitome in Iustinianeis « *Digestis* » saepissime alligatur et memoratur.

Porphyr, e Arco ad Horat. I. Sat. 3. 130.

CCXVI. Ex Ofilii disciplina iurisconsulti clarissimi duo provenerunt, Q. Aelius Tubero et C. Ateius Capito, qui quidem, ut magister, Caesari dediti fuerunt. Eorum *Aelius*, cum adulescens in foro dicere coepisset, postquam a Q. Ligario, quem ipse, Cicerone defendente, accusaverat, causa abiudicata est, foro ac iudiciis relictis, ad ius et historiam multa se contulit laude. Propter sapientiam et eruditionem insignem et morum integritatem non minus ac ob paupertatem extremam, qua parva in domo multis cum filiis habitabat, in proverbium apud populum Romanum venit assimilatusque a Seneca est cum Catone Laelioque. Doctissimus habitus est iuris publici et privati atque complures utriusque libros confecit. Alter *Ateius Capito* pontificio iure valde pollebat. Indole hunc et natura iis obsequiosum, qui in civitate cum potestate erant, ab Augusti assentatione neque iuris scientia neque dignitas illa veterum Romanorum civium distinuit. Eum, quo favore et gratia arctius alliceret et devinciret, nondum aetatem agentem, quae ex consuetudine ad consulatus gradum consequendum requirebatur, consulem Augustus renunciavit. Praeter alios libros de iure publico privatoque, librum « *De iure sacrificiorum* » celebratissimum confecit.

Senec. Epist. 95. 72 73; ibid. 98. 13; 104. 21.

Tac. III. Ann. 75.

CCXVII. Eadem aetate, Ciceroni aequalis iurisperitus clarissimus alius floruit *C. Trebatius Testa*, qui quidem, ut Sulpicius Rufus, cum Cicerone in vitae consuetudine fuit. Huius iucundae amicitiae Cicero ipse testis est, qui multas ad eum familiarissime scriptas remisit epistulas eumque Caesari in Gallia tunc bellum gerenti multis commendavit laudibus.

Cic. VI. ad Fam. 6-22; VII., 5.

Huic quoque Trebatio, ut supra diximus, topica sua addixit. Augusto, cui a Cicerone insinuatus est, tum propter iuris scientiam, qua multum callebat, tum quoque quia in novis republicae rebus prudenter servivit, carus acceptusque in primis fuit. Apud veteres scriptores libri eius memorantur, quos cum de iure religioso tum de civili confecerat. Longe alius a Trebatio, quo iuris magistro usus erat, *M. Antistius Labeo* fuit. Ab assentationibus enim non modo vehementissime abhorruit, sed etiam libertatis memor, in qua natus erat, in Caesarem multa contumaciter dixit et fecit; quare a Tacito auctore atque critico severissimo *incorrupta libertate vir* celebratus est. Consulatum itaque, quem callide Augustus ei offerebat, si erectum animum hoc modo inflectere posset, fastidiose contempsit, ne tyranni favore corrumpi videretur. Volumina quam plurima vel quadraginta — loci enim lectio incerta habetur — de iure omni deque legibus interpretandis conscripsit, quae passim a Pomponio memorantur. A libera republica iurisconsultus alter *A. Cascellius* stetit, qui consulatum sibi eadem ratione ac Labeoni ab Augusto oblatum spretum noluit, unis iuris legumque studiis contentus, cum liberae reipublicae ius laberetur. Privatus multas quaestiones in scripturis pertractavit, quae praeter unam, quam « *librum bene dictorum* » inscripserat, Pomponii aetate iam evanuerant.

Gell. VII.5.1; Macr. I. Saturn. 16.

Porphyr. ad Hor. I. Sat.3 82; Tac. III. Ann. 75

Pomp. Dig. I 2. 2. 47.

Pompon Dig. I.2.2 45.

CCXVIII. Duriore fortuna Augusti saeculo — nam Ciceronis aetatem, quantum ad oratores spectat, penitus supra indagavimus — vera et perfecta eloquentia usa est. Cum enim ad maturitatem plenam et quasi felicitatem, republica adhuc integra et libera, Ciceronis praesertim usu atque ratione pervenisset, republica, legibus, libertate collapsis, cito diffluxit et evanuit. A foro enim contionibusque egredi coacta, ubi ex libera oratorum contentione vires atque lacertos sibi addiderat, praecisis praemiis publicisque honoribus, ad quae una cives praestantissimos adduxerat, in curiam tantum, in qua dictatoris primum, imperatoris postea voluntas domina-

Eloquentiae Romanorum occasus.

batur et in iudicia cum discessisset, servitutis frenis ac vinculis prohibita est quominus ex animo, quo vellet, erumperet. Veteris eloquentiae imaginem quandam *Asinius Pollio* in novum saeculum ex praeterito secum tulit eamque posteriori aetati nolens quidem vel ignarus commisit. Ipse enim atticorum oratorum vitia eo invexit, ut siccitatem illam ad rerum ieiunitatem et exilitatem adduceret. Cum itaque forum civium frequentia orbatum esset, in umbraculis apud bonos cives litteratosque de quaestiunculis deque rebus fictis declamandi usum hic primus invenit. Cum eo floruit *Valerius Messalla*, qui Ciceronis vestigia sequi conatus est, voce una cum libertate iam deficiente. His rerum condicionibus factum est, ut unus *Augustus* eloquentia claresceret, quippe qui, cum in republica solus dominaretur, quidlibet dicendi facultatem haberet. Nativa eloquentia usus, multaque cogitatione, apud populum, apud Senatum ita saepe locutus est, ut haud ignobilis orator haberetur. Eloquentiam vero, servitutis dedecore, assentationibus affectam, in pristinam libertatem, qui aliquo modo vindicare conati sunt, ut *T. Labienus Cassius* atque *Severus*, suam arrogantiam morte aut exilio luerunt. Etenim cum libera voce molesti Augusto essent facti, eorum alter, iussus vivus in maiorum sepulcro claudi, fortiter se stoiceque vitae molestia liberavit; alter vero cum in cives bonos invectus esset, Caesaris iussu in Cretam insulam primum est relegatus, Seriphum deinde in exilium missus, ibique obiit.

GRAMMATICI PHILOSOPHI RERUM VARIARUM SCRIPTORES

Grammatici critici que

CCXIX. Maximo in flore grammaticorum studia fuere, neque enim Caesaris Augustique de republica consiliis officere poterant et auribus iudicioque litteratorum obtemperabant, qui Alexandrinorum eruditione valde delectabantur. In perpetuis grammaticorum quaestiunculis, praeter Varro-

nem, Nigidium, Caesarem, Verrium, Hyginum, quorum unumquemque suo loco memoravimus, in poematibus explanandis atque illustrandis complures alii critici elaboraverunt; in primis *M. Antonius Gnipho*, in Gallia natus, vir doctus et litteris Graecis et Latinis eruditissimus, qui Iulium Caesarem adulescentem cum grammaticam et rhetoricam docuisset, litterarium ludum aperuit, quem a Cicerone praetore traditum est frequentatum. « *De latino sermone* » libros ex scholae usu confecit, in quibus de elocutione expurganda et ad pristinam bonae consuetudinis rationem emendanda agebatur. De bene loquendi usu atque facultate etiam *L. Ateius Praetextatus*, Athenis natus, praecepta tradidit, qui ob sermonis scientiam *philologus* appellari gavisus est; tum *Valerius Cato*, qui non purus grammaticus et criticus sed etiam poeta fuit, ex scholae illius umbraculis profectus, quae *nova* appellata est; tum *L. Orbilius Pupillus*, Beneventanus, quem iocans Horatius in epistulis *plagosum* vocat. Hic cum diu in urbe patria in pueris docendis esset versatus, quinquagesimum annum agens Romam venit *docuitque maiore fama quam emolumento*; huius rei in singulari libro querellas movit, qui « Περιαλγής » inscribebatur. Videlicet in eo de iniuriis conquerebatur, quas discipulorum parentes non in liberos, qui parum proficiant, sed in magistros, qui docent, saepius inferunt. Eodem tempore *L. Cincius*, qui ab annalium scriptore distinguendus est, res inter se diversas, quas pueris tradere solebat, multis in opusculis pertractavit; haec ex variis argumentis « *De verbis priscis* » « *De fastis* » « *De comitiis* » « *De consulum potestate* » « *De re militari* » inscripsit. Cum his vero multi alii fuerunt, et *Santra* et *Sinnius Capito* et *Caecilius Epirota* — qui fuit Maecenatis libertus et trabeatas composuit — et *Crassidius* et *Scribonius Aphrodisius*, qui grammaticam omnem atque criticam in suis scripturis commentatus est.

Horat. II. Epist. 1. 71.

Suet. Gramm. 9.

CCXX. Philosophiam, praesertim quae de hominum vita et moribus est, quam ex Graecis auctoribus primus Cicero

Philosophi

deprompsit, et ad Romanorum usum et rationem accommodavit, nullus fere huius Augusti saeculi vir doctus praetermisit, immo ad physicam etiam et ad res, quae in natura sunt, sive disserendi subtilitate, sive ipsius naturae investigatione mentis oculorumque aciem intenderunt. Philosophiam tamen auctores pauci dedita opera coluerunt. In his adnumerantur *Sextii* duo, qui ex Graecorum scholis provenerunt; attamen non modo stoicorum doctrinas in suis libris attulerunt, sed et libros lingua Graeca exararunt. His *L. Cassicius* atque *Papirius Fabianus* accedunt. Prior genere Tarentinus, cum multos ac nobiles adulescentes grammaticam publice doceret, dimissa repente schola, ad Sextiorum philosophorum sectam transiit. Secundus vero, praeter philosophiam, etiam disciplinas coluit, quae in rerum natura versantur.

Libri de rebus agricolarum

CCXXI. Artes vero, ex quibus homines vel ad colendos agros utilitatem quaerunt, animantium naturam indagant, vel terrarum mariumque descriptionem per figuras pictas exhibent, frequentius hac aetate in libris ex professo scriptis tractari coeptae sunt. Ad rem rusticam, quam in deliciis habuisse Romanos constat « *Rerum rusticarum libri* » Varronis spectant, quos iam memoravimus, quibus Xenophonteus addi potest « *Oeconomicus* » quem Cicero vertit, tum liber *Sabini Tironis*, in quo viridariorum hortorumque colendorum artem exponebat, eumque ad Maecenatem patronum suum misit; tum *C. Iulii Hygini* libri duo, in quorum altero agebatur « *De agricolatione* » in altero vero singillatim « *De apibus* ». Huc quoque accedunt, quae eodem fere tempore de herbis, de stirpibus, de arboribus etiam *Pompeius Trogus* atque *Papinius Fabianus* scripserunt, nec non *Nigidii Figuli* liber, in quo animantium ortus, figuras cum perscrutatus esset, ea quae de his rebus noverat, ad scientiam naturae et rationem quandam redigere conatus est. De arte autem illa Apollini propria, qua corporum morbi sanantur, *Antonius Musa*, medicus Augusti celebratissimus, praecepta plurima in suis

libris tradidit, qui quidem, si librum excipias « *De tuenda valetudine* » ad Maecenatem, et aliquot formulae de compositionibus medicis, quas auctores referunt, interciderunt.

CCXXII. Huic aetati pertinet prima et pro temporum ratione expleta terrarum descriptio. Prolatis imperii finibus ad extremas maris oras, regionum figurae desiderabantur eae, quae sub oculis, tamquam in conspectu, dominatus amplitudinem ponerent. Neque huic necessitati suppetere videbatur descriptio, quam Cornelius Nepos iam dedita opera fecerat, neque ea, quae passim a Caesare, a Sallustio, a Livio de singulis terrarum locis dicebantur. Hinc, Caesare rogante, ex senatus consulto doctis hominibus, quibus *M. Vipsanius Agrippa*, vir praeclarissimo ingenio rerumque usu praeditus, praeerat, munus officiumque datum est, ut terrarum Orbem et aspectum definirent, imperiique provincias describerent, locaque omnia, regiones, urbium situs, maria, flumina, vias in tabulis pingerent, additis gentium tabulis et notitiis, quae in illis incolebant. In conficiendo opere, cum triginta plus annos consumpsisset necdum perfecisset, Vipsanius Agrippa mortuus est. Gloriosi laboris collegae atque socii opus post eius mortem expleverunt eorumque cura « *Orbis pictus* » quem descripserant, in porticu Vipsania explicatus est, qui populo Romano peregrinisque imperii magnitudinem per imaginem explicaret atque superbe ostentaret.

Orbis pictus

CCXXIII. In geometriae quoque mathematicaeque studia, quae prius Romani aut non multum, aut nihil utilia arbitrantes neglexerant, in sidera spectanda, disciplinis omnibus atque rerum naturalium scientiis tot incrementa facientibus, eruditi quidam huius aetatis homines incubuerunt. Ex his *Lucius Tarutius* et *Nigidius Figulus* fuerunt, qui istas artes nobiles vel intra quotidianae utilitatis fines continuerunt, vel etiam superstitionibus subiecerunt. Ceteras vero artes, quae ingenuae dicuntur, si litteras excipias, quarum ignarus fuit, *Vitruvius Pollio* in opere quodam celebratissimo, quod

Mathematicae et geometriae syntagma

Libri de architectura

exstat « *De architectura* » vel passim attigit, vel pertractavit penitus. Vir enim hic singularis eam artis suae speciem mente conceperat, ut nullum ne architectonicae quidem artis vere peritum existimaret, ni eundem non pictura modo et sculptura, quibus architecti subsidio utuntur, satis pollere novisset, sed litteris, iure, legibus, sapientiae doctrinis eruditissimum invenisset. Id ipse in praefatione libri sexti aperte graviterque declarat: « *Itaque* » ait « *ego maximas infinitasque parentibus ago atque habeo gratias, quod Atheniensium legem probantes arte erudiendum curaverunt, et ea, quae non potest esse probata sine litteratura, encyclioque doctrinarum omnium, disciplina. Cum ergo et parentum cura et praeceptorum doctrinis auctas haberem copias disciplinarum, philologis et philotechnis rebus commentariorumque scripturis me delectans, eas possessiones animo paravi e quibus haec est fructuum summa: nullam plus habendi esse necessitatem, eamque esse proprietatem divitiarum maxime, nihil desiderare. Sed forte nonnulli haec levia iudicantes putant eos esse tantum sapientes, qui pecunia sunt copiosi. Itaque plerique ad id propositum contendentes audacia adhibita cum divitiis etiam notitiam sunt consecuti. Ego autem, Caesar, non ad pecuniam parandam ex arte dedi studium, sed potius tenuitatem cum bona fama, quam abundantiam cum infamia sequendam probavi; ideo notities parum est assecuta: sed tamen his voluminibus editis, ut spero, posteris etiam ero notus. Neque est mirandum, quid ita pluribus sim ignotus. Ceteri architecti rogant et ambiunt; mihi autem a praeceptoribus est traditum, rogatum non rogantem oportere suscipere curam* ». Libros decem de architectura, cum senex esset, composuit eosque ad Octavianum Augustum misit. A primo ad librum septimum de aedificiis aliisque structuris agit deque ratione, qua architectus in iis exaedificandis symmetriam, decorem, distributionem consectatur, in quo artis architectonicae pars praecipua consistit. In ceteris autem

Vitr. VI. de architec. in in prooem.

Librorum argumentum

libris reliquas huius artis partes pertractat, quarum prima ad aquaeductus extruendos pertinet, secunda gnomonice continetur, qua, solis luce et umbris indagatis, horologia solaria conficiuntur, tertia denique est de machinationibus, quae ad diversos usus inveniuntur. Praeter artis architectonicae pertractationem in libris loca reperiuntur, in quibus se facili ad rem musicam ingenio exhibet et pingendi insculpendique arte eruditum. Disciplinarum enim istarum notitiae multae intericiuntur, et rudimenta praeceptaque traduntur, quae ad has assequendas artes valde proficiunt. In exponendis rebus vocabulis artis propriis, quae ex Graeco sermone promuntur, saepissime utitur; alia vero ex lingua plebeia depromit adeo ut interdum, vel frequentius intellectu difficillimus sit. Hoc tamen rei ipsius abstrusitati potius quam scriptoris vitio tribuendum est; nam cum ex antiquis nullum opus de architectura, praeter Vitruvianum, ad nos pervenerit, ceterorum auctorum auxilio indigemus, quo illustrari et explanari possit. Ceterum Vitruvius illitteratum se hominem esse in prooemio librorum profitetur. Et revera plebeium dicendi genus in eo est et Latina elegantia scriptorum id aetatis indignissimum; nihilominus maximi momenti ponderisque sunt istiusmodi de architectura libri. Vitruvius enim eo reipublicae tempore floruit cum, Romanorum imperio orbis terrarum terminis definito atque pacatis gentibus, Caesar primum, Augustus deinde Urbem, populorum omnium caput et lucem, aedificiis novis, templis, porticibus exornandam, item viis latis, hortis magnificentissimis amplificandam curaverunt. Caesaris enim saeculo, insigne Caeciliae Metellae sepulcrum atque Pompei theatrum exstructum est; Sallustii et Servilii et Caesariani horti ad Tiberim pulcherrimis arboribus consiti sunt, ambulationibus instructi, statuis, diaetis atque id genus deliciis ornati. Aetate autem quae subsecuta est, Augusto in imperio dominante, publicis aut privatis impensis sumptuosissima aedificia condita. In his sunt *Theatrum Marcelli* in cuius

Aedificia, templa, theatra, monumenta Caesaris et Octaviani temporibus aedificata.

dedicatione Augustus tigrim primus omnium Romae ostendit in cavea mansuefactum; tum *Ara pacis* quae in Campo Martio sacrata est; tum *Porticus Octavia* quae in Augusti sororis honorem exaedificata est; tum etiam *Arcus triumphalis Drusi* atque rotundum Augusti sepulcrum, quod ex regia magnitudine *Mausoleum* est appellatum; tum praeterea C. Cestii Epulonis monumentum, in pyramidis formam erectum; tum etiam bibliothecae, villae, aedes, cetera huiusmodi aedificia; tum in primis templum ab Agrippa Caesaris iussu exstructum Iovique Ultori dicatum atque sacratum, quod ingenti mole rotunda atque Corinthio artis genere facile omnium pulcherrimum est dignissimumque quod in septem orbis terrarum miraculis habeatur. Pantheon nuncupatum est, vel quia « *in Martis Venerisque simulacris in ipso templo constitutis omnium deorum imagines essent effictae; sive quia ipsum rotunditate coelo persimile esset* ». Videlicet mihi templum cuius altitudo tanta erat, quanta latitudo, in quo dii deaeque gentium omnium capi poterant, quod caeli in orbem convexi prae se speciem ferebat, terrarum domitores videntur erexisse, ut per signum et monumentum amplitudinem magnificentiamque imperii, quam per Livii historias atque per divina Virgilii Horatiique carmina saeculis futuris mandaverant, architectonica arte effingerent atque exprimerent.

Dio. I. 53, c. 27.

LIBER QUARTUS DE PRIMA SENECTUTE LITTERARUM LATINARUM QUAE AB ANNO XIV POST CHRISTUM NATUM AD ANNUM CXVII EXTENDITUR

DE URBIS CONDICIONE SUB POTESTATE IMPERATORIA

I. Post Octavianum Augustum mortuum, qui in toto terrarum orbe tunc primum pacato ita sapienter moderateque dominatus erat, ut respublica etiam tum integra esse videretur, atque ipse de imperio deponendo de restituendisque civitati Romanae magistratibus suis consilium saepe mente animoque pervolutavisset, non summa modo rerum potestas et imperium apud unum principem manere perrexit, sed maiestas etiam et populi Romani dignitas rescissa funditus est atque penitus abrogata. Neque item senatui, qui consilio rempublicam adiuverat, neque consulibus, neque tribunis plebis, neque magistratibus popularibus reliquis, per quos sui moderandi potestatem populus habuerat, munerum fungendorum, quae post reges eiectos demandata fuerant, facultas reliqua ulla fuit, neque cives quidquam, ut servile iugum a cervicibus deicerent, agere potuerunt. Leges iuraque scripta, in quibus ius totius civitatis et vis constiterat, ab imperatoribus antiquata sunt; quod contra principi placuit id legis nomen attigit pro iureque publico valuit. Hac civitatis regendae ratione non modo cives universos servitute oppressos tenuerunt, sed singulis quoque, si probi honestique essent, dignitas et libertas vivendi praecisa est. Ex gente Iulia qui post Augustum cum imperio et potestate in Urbe versati sunt, alius alio peior fuit. *Tiberius* in Augusti demortui locum suffectus, cum principatum novo statim Postumii Agrippae caedis facinore inauguravisset, qua erat natura crudelis et ferox, occultus ac subdolus fingendis virtutibus

Impotens imperatoria potestas

primum, in scelera citius et dedecora simul prorupit, postquam, pudore et Seiani metu remotis, suo tantum ingenio usus est. C. Iulius Caesar autem, qui cognomento *Caligula* est appellatus, cum in morbum incidisset gravissimum, ex quo dolet eum convaluisse, insanus mente factus et furens, extremae crudelitatis ferociae et infamiae edidit monumenta.

II. Quo quidem necato, *Claudius* e palatii latibulis, quo se metu abdiderat, deprehensus a milite gregario praetereunte atque imperator salutatus, cum senex esset, et mente imminuta et socors, imperium administrandum libidinosis mulieribus assentatoribusque permisit, ut lepide arguteque Seneca in « *Ludo* » scriberet, toto eum anno celebrasse Saturni mensem, quo heris servi imperitare solebant. Omnium ex gente Iulia, qui imperium nancti sunt, deterrimus atque ferox et in primis civitati Romanae exitiosus Nero fuit, cui propter scelera immanitatesque universa generis humani conscientia infamiae notam inussit. Laeena enim saevior et ferocior, non in cives modo privatos nullum exquisitissimum crudelitatis genus intermisit, sed in Urbem totam, in consanguineos, in matrem, in uxorem, in magistrum nefandissimis suppliciis saevit. Britannicum, militari laude insignem, sanguini necessitudine cum matre coniunctum, interposita causa quod dominatum affectaret, propinato per Locustam medicum veneno, interemit. Item Agrippinam matrem in mare deiectam necari per fraudem imperavit. Tum vesano urbis novae condendae desiderio motus Romam horribili incendio vastavit, cumque autem in se rumores plebis totius minaciter converti novisset, excusandi sui causa perfide incendii culpam in Christianos transtulit eosque poenis suppliciisque asperrimis consectatus est. Detecta paulo post Pisoniana illa coniuratione, quam delictorum immanitate sua concitaverat, illustrium virorum sanguine caedibusque Urbem complevit, quibus Seneca, qui eius magister fuerat, et Lucanus poeta fortiter succubuerunt. Neque strage tot civium satiatus, Octaviam uxorem ipse morte

Deterrimus imperatorum Nero

affecit, ut Poppeam probrosissimis moribus in matrimonium duceret. Thraseas Paetus et Soranus Bareas, nobilissimi viri, eius iussu, interempti sunt. Monstrum hoc, qui temporum suorum expressa atque turpis ad verum imago est, abiectam et sordidam hominum condicionem ridicule significat. In theatris enim, Homeri aemulus Virgiliique ridendus, epica carmina canere solebat, certaminibusque quinquennalibus in bigis, cum cursoribus, cum musicis, cum palaestricis turbis gymnasticisque intererat. Ob facinora prava et ridenda, coorta legionum militumque conspiratione, desperata venia, cum sibi ense tandem mortem intulisset, incommodo maloque gravissimo vexatissimam Urbem atque imperium liberavit.

III. Res Romana cum in hanc dignitatis decorisque ruinam praeceps concidisset, honesta et proba privata omnia, si qua cladi superessent immani, necessario proruerunt in peius. Senatus civitatis quondam lumen et consilium, Romani cives, qui ipso civis Romani nomine recreabantur, servilem servitutem tulerunt, novis civitatis condicionibus indulserunt aut paruerunt. Huc spectat quod de Tiberio, quotiens curia egrederetur, memoriae proditum est, Graecis verbis eloqui solitum: « *O homines ad servitutem paratos !* ». Pauci, qui per vim impotentem unius dominationem refringere conati sunt, vel consilio suo saltem prudentiaque moderare, aut ab iudicibus maiestatis crimine accusati et delati, capitis poena multati sunt, aut ingrati imperatoribus facti mortem sibi stoice intulerunt. At contra apud imperatores huiusmodi, quibus odio invidiaeque erant virtutes, maximo favore novi homines atque ignobiles esse coeperunt. In his duo Claudii imperatoris liberti ponendi sunt, quorum alter Narcissus nomine ab epistulis, alter ab rationibus Pallas « *quos decreto quoque Senatus non praemiis modo ingentibus sed et quaestoriis praetoriisque ornamentis honorari libens passus est, tantum praeterea acquirere et rapere, ut, querente eo quondam de fisci exiguitate, non absurde sit dictum abundaturum*

Homines ad servitutem parati!

Tac. III. Ann. 55.

Suet. in vit. Claud. 28.

si a duobus libertis in consortium reciperetur». Pravis in his Callistus, Crispinus, complures alii, quorum multis in locis Tacitus et Iuvenalis, probrosa et obscena facinora narrant.

Morum depravatio et foeditas

IV. Domestici quoque privatique mores, quos multis Octavianus Augustus legibus ad pristinam maiorum integritatem et dignitatem restituire tentaverat, magis magisque in dies imperatorum licentia praevertente, deteriores probrosioresque fiebant. Nihil honesti amplius in familiis, quae fortissimis viris floruerant, nihil sancti, nihil veteris decoris reliquum erat. Relaxatis itaque morum vinculis imminutaque quoque patria potestate, familiae illae bene constitutae, ex quibus respublica vires atque perennem iuventutis florem hauserat, morborum vi quadam affractae primum labore deinceps dissolvi coeperant. In imperatorum etiam domo frequentissima adulteria erant, quae poetae vel in satiris, vel in epigrammatis turpibus coloribus adumbrabant, frequentissima erant in civitate; nam, quas viri uxores duxerant, iure et prava consuetudine permittentibus, iisdem repudium dicebant. Qua ex re sequebatur, ut aut nulla esset in parentibus liberorum cura, aut illos servis libertisque saepius officio munerique ineptis erudiendos educandosque committerent. Una cum hac libidine effrenata divitiarum quoque, ut par est, cupiditas et studium in omnium animos incesserat, ut, dummodo eam explerent, nulla iusti atque aequi ratione cupidinis terminarent modum viaeque omnes, nulla honesti habita religione, pertentarentur. Hereditates autem, quae sine labore, sine defatigatione facile lucrum afferunt, suppositis per fraudem testamentis, vel veneficiis et propinquorum internecione, frequentissime carpi solebant. Homines novi, fortunis divitiisque locupletati, de domibus suis privatis sumptuosissime exstruendis certabant inter se, easque simulacris ex marmore, columnis, tabulis pictis, aureis argenteisque vasis, aliis deliciis huiusmodi decorabant. In certaminibus

gymnicis publice apparandis non imperatores modo, sed privati quoque profusos et perpetuos sumptus faciebant, iidemque domum, favorem ostentandi causa, amicorum et clientium turbas ad cenas et convivia invitabant. Exquisitissima ibi coquinaria arte mensae epulis cibisque peregrinis, potionibus instructae, cum tibiarum et vocum cantu, cum saltatricibus et choreis, apparabantur. Nimirum, qui libertatem dignitatemque amiserant beatam a se his oblectamentis deliciisque felicem vitam agi posse credebant.

Litterae in assentationem gliscunt

V. Quid igitur mirum, si collabentibus maiorum institutis atque moribus, deficienteque scriptorum dignitate et libertate, litterae quoque ex perfecto artis gradu, ad quem superiore aetate pervenerant, aut humi maximam partem quasi exaustae procubuerunt, aut nova omnium consuetudine in tyrannorum turpem assentationem gliscere coepere? Ex libertate enim in clarissimis quoque ingeniis sententiarum granditas erumpit et ea verborum magnificentia, quae sincera sit nullo artificii pigmento fucata, et litterae ex scriptorum vitae dignitate maiestateque civitatis, in qua versantur, ita proveniunt et aluntur, ut in hortis consitae plantae arboresque procerae multo terrae nutriuntur humore et radiis solis foventur.

Generum variorum fortuna

VI. Inter varia itaque poesis genera meliore aliqua usa fortuna sunt, quae minus ingrata tyrannis in rebus gestis versantur et heroibus. In his poemata epica quaedam recensentur hac aetate, quae auream subsecuta est, haud indigna. Item in aliquo numero et honore habentur parva poemata didascalica et narratiunculae, quae fabulae dictae sunt; carmina contra lyrica, quae ex animi sensibus spiritum hauriunt atque fabulae scaenicae, si quas excipias, iacent penitus. Idem de illis generibus dicendum est, quae oratione soluta utuntur. Oratoria fortis et virilis, quae liberae civitatis alumna quaedam et quasi munimentum est, foro comitiisque tacentibus, vim omnem atque nervos in suasoriis atque declamationibus amisit, quas primus Pollio instituerat. Neque eam

procumbentem erexit eruditissimus magister, Quintilianus, qui in Ciceronis vestigia frustra adducere contendit. Oratio autem soluta, quae in huius aetatis libris rerum naturalium est, in grammaticorum et philosophorum operibus, magis rerum, quae continentur, causa commendatur, quam dicendi genere et stilo probatur.

VII. Opera tamen in suo genere perfectissima etiam haec aetas protulit, satiras nimirum et historias. Mortuo Nerone, cuius nomen ad tyrannum quemlibet crudelissimum significandum « θετικόν » factum est, res Romana in melius verti et libertas oppressa sub Vespasiano imperatore eiusque filio Tito tantisper caput extollere visa sunt; postea — interiecta Domitiani aetate, qui quidem ad imperii gubernacula ita superbe crudeliterque sedit, ut Nero alter appellatus sit — imperium etiam in pristinum liberae civitatis statum redire visum est, cum Nerva primus *res olim dissociabiles* inter se miscuisset *principatum ac libertatem* auxissetque inde *felicitatem temporum* Traianus. His novis rerum condicionibus litterae erectae et quasi recreatae sunt; in hanc enim aetatem Tacitus incidit et Iuvenalis, quorum alter altero modo per historiam et satiram, ex moribus principum et civium occasionem nancti, uterque severissimus iudex, ex servitute generis humani conscientiam vindicaverunt.

Tacitus et Iuvenalis hominum conscientiae vindices

DE AESOPIANIS PHAEDRI FABULIS

VIII. Phaedrus elegantissimus poeta aetatem auream inter et argenteam intericitur. Incorrupta enim sermonis Latini concinnitate cum superiore potius aetate coniungitur quam cum aequalibus, inter quos orationis forma et dicendi genere longe praestitit. Natione Thrax, in Pieria, quae in Macedonia est, aliquot a. Chr. n. annos humili admodum loco ortus est. Condicione servus Romam cum adulescentulus fere

Phaedr. III. Fabul. prooem.

venisset, Augusti liberalitate manumissus est. Seiani delatione maiestatis crimine sub Tiberio imperatore accusatus est, quod quibusdam in fabulis Tiberium et Seianum ipsum adumbravisset. Nova iudicii illius forma fuit, nam Seianus unus triplici accusatoris, testis, iudicis munere functus est. Quid autem de reo iudicatum sit, haud satis constat; ea profecto praesidia struxit ac molitus est delator, quae in posterum liberti animum refrenare et sermonem coercere valerent. Ad aetatem usque Claudii vixit eam animo gloriam affectans, quam ob asperrimas criticorum contumelias assequi nequiverat. Apud homines quoque, qui post eum fuerunt, eius memoria iacuit in tenebris. Neque enim Seneca philosophus eius meminit cum Polybium, Claudii Caesaris libertum, hortatur, ut, si suo nomini gloriaeque prospicere velit, apologos atque fabulas conscribat a Romanis ingeniis ad id tempus etiam intentata. Silentio eum obruunt Quintilianus, Gellius, Macrobius, etiam si in sermonem opportuna eius incidere mentio possit. Martialis vero eum, non quidem ut laudet, in epigrammate quodam memorat, et Avianus postea, qui quinto p. Chr. n. saeculo fuit, in epistula ad Theodosium post Babrium Graecum eum ut fabularum auctorem memorat et addit quinque ab eo fuisse fabularum libros conscriptos.

Phaedr. I. Fabul. 2. et III. prooem, 41-44.

Senec. Consol. ad Pol. 27.

Mart. III. Epigr. 20. 5.

IX. Narratiunculis istiusmodi fictis, in quibus inanima vel animalia mentis expertia et arbores ut inter se, aut cum hominibus loquentes inducuntur, veteres iam Romani usi erant et ad docendos et ad ridendos homines, narrationis sensu ab illo, quem habent, traducto ad alterum, ut Menenii Agrippae fabula est, quam repetit Livius. In fragmentis *Originum* Catonis equi ac cervi fabellae mentio est, quam Aristoteles propriam Stesichoro addicit. Fabulae aliae passim in Ennii et Plauti locis quibusdam narrantur easque lepide et Horatius in suis satiris inserit. Eas Domitius Marsus primus a ceteris avulsas et per se quasi genus quoddam singulare in litteris Latinis pertractavit, quarum Charisius in institutionibus grammaticis nonum memorat librum.

X. Quinque Phaedri libri, qui exstant, intercisi sunt et fabulis quibusdam detruncati. Eos « *Fabulas Aesopias* » inscripsisse videtur, quia parte ex maxima a Graeco Aesopo vel ad verbum fere reddidit, vel imitatus est. Nonnullas tamen primus ipse invenit, quae haud inferiores ceteris, quas ab Aesopo deprompsit, habentur. Omnes, cum morum probitate et integritate, quae per apologos inculcat, tum quoque dicendi genere simplici, quod sermonis integritatem apprime redolet, valde probantur. Quid sibi in conficiendis fabulis proposuerit vel ex hac una fabula inferri facile licet:

Muli gravati sarcinis ibant duo:
Unus ferebat fiscos cum pecunia,
Alter tumentes multo saccos hordeo.
Ille onere dives, celsa cervice eminens,
Clarumque collo iactans tintinnabulum,
Comes quieto sequitur et placido gradu.
Subito latrones ex insidiis advolant,
Diripiunt nummos, neglegunt vile hordeum.
Interque caedem ferro mulum dant truci.
Spoliatus igitur casus cum fleret suos,
« *Equidem* » *inquit alter* « *me contemptum gaudeo;*
Nam nil amisi nec sum laesus vulnere ».
Hoc argumento tuta est hominum tenuitas,
Magnae periclo sunt opes obnoxiae.

Phaedr. II. Fab. 7.

Suavissimi Phaedri senarii sunt eleganterque compositi et ad artem concinnati. Vitia quaedam in rebus potius sunt quam in sermone; nam in describendis animantibus, ex quibus aliquod vitae praeceptum eruat, illis attribuit mores, qui non ex ipsorum natura sunt, sed falsos addicit, ut cum praecepto arctius cohereant, quam cum natura. Hanc ob causam cum fabulas, quae tenui genere humilique continentur, ad pravos ridendos homines adhibeat iisque, ut praecepta de moribus tradat, utatur, laudem quasi eandem, quae est

poetarum satiricorum propria, iure meritoque Phaedrus sibi vindicat. Ceterum dedita ut opera hominum mores castigaret, cum fabellas illas conscriberet, poetam intendisse ex ipsius verbis colligimus, qui « *duplex libelli dos est* » exordiens ait «*quod risum movet et quod prudenti vitam consilio monet*». Immo si tempora perpendantur, non homines cunctos indiscriminate risisse invenietur, sed monstra et bruta carpsisse, qui imperatoria potestate et tutela praviter innixi, tamquam lupus ille in agnum ferociebant; eos videlicet, animantibus prudenter interiectis, per facilem significationem occulte, ut saluti suae prudenter consuleret, aggressus est.

Phaedr. Prol ad I. lib.

Non semper ea sunt quae videntur: decipit
Frons prima multos: raro mens intellegit
Quod interiore condidit cura angulo.

Phaedr. IV. Fab. 2. 5.

DE CARMINIBUS SATYRICIS

XI. In conficiendis vero carminibus, quae ex orationis forma et ratione proprio nomine satirica dicuntur, poetae nonnulli versati sunt, qui hac aetate floruerunt. Ex his autem alii aspero et vehementi dicendi genere usi sunt, quod ex Varrone deprompserunt, alii aequabile et temperatum genus adhibuerunt, quod Lucilii Horatiique est proprium. Nec defuerunt, qui hos vicissim auctores interpetrati sint, modo illum imitati. In postremis Petronius Arbiter atque Lucius Annaeus Seneca recensentur. De Petronio multa disputata sunt; quaesitum primo loco est, utrum idem hic revera sit ac C. Petronius ille, de quo multa Tacitus in annalibus tradit; an contra Petronius *Satirycon* auctor alius ab illo sit, etsi cum illo et ingenio et natura simillimus. De aetate quoque, qua vixisset, satis disputatum est. Nam cum sub Claudio et Nerone eum profecto floruisse inter omnes fere rerum scriptores conveniat, critici aliquot exstiterunt, qui Neapolitanum illum

fuisse et circa Antoninorum tempora vixisse censerent iidemque Neapoli scaenas, quae describuntur, collocandas putarent. Equidem ex operis sermone, cuius et emendata et Latina et expurgata locutio pro temporibus est, quibus Romani recte etiam loquebantur, ex stilo praeterea atque orationis forma, quae plerumque concinna atque elegantia sunt, aetateque aurea satis digna, qua nulla barbaries domestica scriptores infuscaverat, illorum sententiae facile assentior, qui Petronium Neronis saeculo floruisse arbitrantur. Quod autem ad primam quaestionem attinet, rationibus bene perpensis, cum illa, quae de C. Petronio apud Tacitum nobis traduntur, cum rebus et sententiis quae, in Satyrico leguntur omnino sint convenientia, unum eundemque hunc hominem Satyrici auctorem et Petronium illum Taciti fuisse ut credam impellor. In hac tamen quaestione et incerta et difficili propter argumentorum tenuitatem unicuique sequi liceat, quos rerum scriptores et criticos velit.

Quaestiuncula de satyrarum auctore deque eius patria

XII. Petronius singulari ingenio praeditus, etsi se a prima adulescentia vitiis libidinibusque tradidisset, nihilominus muneribus publicis summo cum honore functus est. In Bithinia administranda primum, et in consulatu deinde gerendo, navum et fortem hominem se praestitit, quo factum est, ut in curiam quoque a Nerone vocaretur, in qua *elegantiarum arbiter* evasit. Scilicet eo imperator libidinum deliciarumque ita administro atque socio scelerum utebatur, ut nihil reapse *amoenum et molle adfluentia* existimaret *nisi quod ei Petronius adprobavisset.* Attamen cum Tigellini in se odium atque invidiam concitavisset, qui alter quasi socius atque administer consiliorum principis esset, quod *scientia voluptatum potior* haberetur, a Tigellino falsis incriminationibus ad imperatorem delatus, sibi mortem inferre est coactus. Itaque Petronius cum cenam magnifico apparatu sibi atque amicis struxisset, inter *levia carmina et versus, quae post compotationes in conviviis certatim a convivis dici solita erant, arterias sibi stoice desecuit*.

Tac. XVI. Ann. 18.

XIII. Sub Petronii Arbitri nomine nonnulla atque satis longa operis ad nos, quod « *Saturarum libri* » vel « *Satyricon* » inscribebatur, fragmenta pervenerunt, quae in libris decimo quinto atque decimo sexto continebantur. Quot vero libris opus integrum constiterit incertum est, quamvis eos ad viginti quidam adnumerent. In parte quae exstat, Eucolpium quendam, audacissimum hominem et fortunatum beatumque, itinera sua et sociorum, fortunae vicissitudines, inaudita flagitia narrantem facit. In pulcherrimo operis loco, qui in omnium manibus est, senis cuiusdam ditissimi eiusdemque insipientis, Trimalchionis nomine, rusticanos mores effingit, cenamque, quam hic magnificentissime apparaverat, ridendi causa describit. Trimalchio itaque senex sonanti quoque nomine decoratus, cum homo novus sit ex nihilo ortus, eo vulgari plebeioque animo utitur, iisque moribus distinguitur, ut ex iis pristina asperitas putescat et redoleat. Ad coenam venientem in hunc modum depingit: *In his eramus lautitiis, cum ipse Trimalchio ad symphoniam allatus est, positusque inter cervicalia minutissima expressit imprudentibus risum. Pallio enim coccineo adrasum excluserat caput, circaque oneratas veste cervices laticlaviam immiserat mappam, fimbriis hinc atque illinc pendentibus: habebat etiam in minimo digito sinistrae manus annulum grandem subauratum; extremo vero articulo digiti sequentis minorem, uti mihi videbatur, totum aureum, sed plane ferreis veluti stellis ferruminatum. Et ne has tantum ostenderet divitias, dextrum nudavit lacertum, armilla aurea cultum, et eboreo circulo lamina splendente connexum. Ut deinde spina argentea dentes perfodit: Amici, inquit, nondum mihi suave erat in triclinium venire, sed ne absentivus mora vobis essem, omnem voluptatem mihi negavi. Permittitis tamen finiri lusum*». « *Potantibus ergo, et accuratissimas nobis lautitias mirantibus, larvam argenteam attulit servus sic aptatam, ut articuli ejus vertebraeque laxatae in omnem partem verterentur. Hanc cum*

Satyricon

Satyrarum argumenta

Petr. Satyr. cap. X.

super mensam semel iterumque abjecisset, et catenatio mobilis aliquot figuras exprimeret, Trimalchio adjecit:

> *Heu, heu, nos miseros, quam totus homuncio nil est!*
> *Quam fragilis tenero stamine vita cadit.*
> *Sic erimus cuncti, postquam nos auferet Orcus.*
> *Ergo vivamus, dum licet esse, bene.*

Laudationem ferculum est insecutum, plane non pro exspectatione magnum. Novitas tamen omnium convertit oculos. Repositorium enim rotundum duodecim habebat signa in orbe disposita, super quae proprium convenientemque materiae structor imposuerat cibum. Super Arietem, cicer arietinum: super Taurum, bubulae frustum: super Geminos, testiculos ac renes: super Cancrum, coronam: super Leonem, ficum Africanam: super Virginem, stericulam: super Libram, stateram, in cujus altera parte scriblita erat, in altera placenta: super Scorpionem, pisciculum marinum: super Sagittarium, otopetam: super Capricornum, locustam marinam: super Aquarium, anserem: super Pisces, duos mullos. in medio autem cespes cum herbis excisus favum sustinebat». Tigellinum, praecipuum scelerum Neronis administrum et socium, qui rusticis Agrigentinis parentibus cum rusticus natus esset, cum Petronio de omni *elegantiarum* laude contendere postulaverat, sub ridenda Trimalchionis persona occultasse poeta videtur; in malam enim partem ceperat, quod Nero, potius quam sibi, Tigellino convivia illa et bacchanalia exstruenda commisisset, quae apud Tacitus memorantur. Id ex colorum similitudine quoque suspicamur, quibus Petronius et Tacitus certatim quasi eandem cenam illam depingunt.

XIV. Ex satyrarum igitur fragmentis, quae reliqua sunt, plenam et perfectam Urbis imaginem expressisse poetam colligimus, qui non modo Neronis libidines et lubrica omnia repraesentavit, sed erronum, cauponum rapacium, furum, poetarum malorum, rhetorum ieiunio laborantium mores

effinxit et malas rettulit artes, in quas civitas universa, prava studia Neronis secuta, procubuerat. Inter haec, quae ex rebus veris describit, diverticulorum instar, ut rem perpetuo librorum variet et novet, ex Milesiis fabulis obscoenitate refertis multa vel partim, vel ex integro quasi in satyricum transtulit. Ex Varrone autem, quo auctore et magistro usus est, dicendi genus deprompsit; nam partem alteram operis, quae maior est, soluta oratione, alteram versibus structura diversis composuit. Orationis forma singularis est, perspicua et elegantissima; argumentum tot ex rebus obscoenis exquisitum tanta morum luxuria aspersum est, quanta in curia atque in Urbe quae, scelerum omnium sentina evaserant, conspiciebatur. Carminum, quae narrationi interiecta in satyrico reperiuntur, digna quae in primis memorentur duo sunt, in quorum altero, quod « *Troiae alosis* » inscribitur, poema illud Neronis per ridiculum detorquere videtur, quod vesanum ac furiosum monstrum, dum Urbs incendio vastissimo flagrat, Homerum aemulari ratum, lyra ludentem cecinisse in theatro traditum est. In altero, quod « *de bello civili* » est, epici carminis perfectum quasi exemplar imitandum Lucano exhibuit, qui poemate nefaria civilia celebrare bella instituerat. Nimia hoc arrogantia Petronium fecisse arbitror; etenim si exemplar hoc cum Lucani carminibus composueris, eandem ipsam *furentis animi vaticinationem* ei deesse compereris, quam in illo scite quidem desiderat, sed suo inepte contendit exemplo docere.

Imago Urbis in satiris expressa

XV. His Petronii satyrarum libris, tum rebus, quae pertractantur, tum dicendi genere — oratione enim soluta et versibus commixtis continentur — poema « Ἀποκολοκύντωσις » inscriptum accedit, quod L. Annaeo Senecae philosopho maxima criticorum pars ut proprium addicit. In poematio Claudii imperatoris ineptissimi apotheosis per satiram celebratur, qui propter imminutam mentem, qua usus est, cucurbitae glabrae assimilatur; item senatus ridetur, qui consuetudine principes

Ἀποκολοκύντωσις

laudandi, ita pronus ad vilissima evaserat, ut, qui cucurbitae simillimus videretur,in deorum numerum referret. At poeta. quo animo erecto est, in contrariam sententiam discedit: in carminis propositione, quid dicturus sit, rerum scriptoris in modum enunciat: « *Quid actum sit in coelo ante diem III. idus Octobr. [Asinio Marcello, Acilio Aviola coss.] anno novo initio saeculi felicissimi, volo memoriae tradere. nihil nec offensae nec gratiae dabitur. haec ita vera, si quis quaesiverit, unde sciam, primum, si noluero, non respondebo. quis coacturus est? ego scio me liberum factum, ex quo suum diem obiit ille, qui verum proverbium fecerat 'aut regem aut fatuum nasci oportere'. si libuerit respondere, dicam quod mihi in buccam venerit. quis unquam ab historico iuratores exegit?* » In narrationis exordio Mercurius, qui semper ingenio Claudii delectatus esset, a Clotho, e tribus Parcis una, expetens inducitur, ut homini misero subsidio occurrat, quippe qui animam agere coeperit, nec invenire exitum possit, quamvis annus sexagesimus et quartus sit, ex quo cum anima luctetur. Ne illi, quem nemo umquam natum putet, neve reipublicae invideat, Clothon rogat, quae etsi pusillum temporis adicere illi statuerat, rogatione movetur, iubetque Claudium, Augurinum, Babam, uno anno exiguis temporum intervallis divisos, mori, ne illum incomitatum dimittat, qui modo se tot milia hominum sequentia, tot praecedentia, tot circumfusa videbat. Agit igitur Clotho, quod sibi agendum est. Claudius animam ebullit et ex eo desinit vivere videri. Quid post Claudii mortem in terris actum sit, cum supervacaneum esse censeat referre, ad narranda, quae in coelo facta sunt, statim devertit. « *Nuntiatur Iovi venisse quendam bonae staturae, bene canum; nescio quid illum minari, adsidue enim caput movere, pedem dextrum trahere. quaesisse se cuius nationis esset. respondisse nescio quid perturbato sono et voce confusa. non intellegere se linguam eius; nec Graecum esse nec Romanum, nec ullius gentis notae. tum Iuppiter*

ἈποκοΛ 1.

ἈποκοΛ 5.

Herculem, quia totum orbem terrarum pererraverat et nosse videbatur omnes nationes, iubet ire et explorare, quorum hominum esset. tum Hercules primo adspectu sane perturbatus est, ut qui iam non omnia monstra timuerit. ut vidit novi generis faciem, insolitum incessum, vocem nullius terrestris animalis, sed, qualis esse marinis beluis solet, raucam et implicatam, putavit sibi tertium decimum laborem venisse. diligentius intuenti visus est quasi homo. accessit itaque et quod facillimum fuit Graeculo, ait :

Τίς πόθεν εἶς ἀνδρῶν ; πόθι τοὶ πόλις ἠδὲ τοκῆες ;

Claudius gaudet esse illic philologos homines: sperat futurum aliquem historiis suis locum. itaque et ipse Homerico versu Caesarem se esse significans, ait :

Ἰλιόθεν με φέρων ἄνεμος Κικόνεσσι πέλασσεν.

erat autem sequens versus verior, aeque Homericus,

Ἔνθα δ' ἐγὼ πόλιν ἔπραθον, ὤλεσα δ' αὐτούς ».

Deinde ementitur deos in concilio de Claudii sorte inter se disputare : Febris, dea a Romanis antiquissimis temporibus inde culta, quae, fano suo relicto, sola cum Claudio in caelum venerat, caelicolas illum mera mendacia docet narrasse; Lugduni illum, in Munatii municipio, natum dicit, lapidem ad sextum decimum fere a Vienna, Gallum germanum, qui, quod Gallum facere oportebat, Romam cepit. Se defendere Claudius ipse conatur; at Iovi in mentem venit privatis intra curiam morantibus sententiam dicere non licere, nec disputare. Claudius dimittitur, ut, reo amoto, iudicium fiat. Dii deaeque sententiam dicunt ; tandem ex Augusti rogatione decernitur ut Claudius intra diem tertium ex Olympo semotus in Tartara mittatur. Sententia ex tabella recitatur : « *Quandoquidem divus Claudius occidit socerum suum Appium Silanum, generos duos, Magnum Pompeium et L. Silanum,*

socerum filiae suae Crassum, frugi hominem, tam similem sibi quam ovo ovum, Scriboniam socrum filiae suae, uxorem suam Messalinam et ceteros, quorum numerus iniri non potuit: placet mihi in eum severe animadverti nec illi rerum iudicandarum vacationem dari eumque quamprimum exportari et caelo intra triginta dies excedere, Olympo intra diem tertiam». Lata ex sententia Mercurius Claudium ad Tartara ducit. Romanis vivis non minus acriter illudit quam imperatori mortuo irridet; nam, quem dii e caelo depellunt, eundem patres, iurisconsulti, causidici, dum efferunt, deflentes in numero deorum inani magnis cum laudationibus componunt:

'Αποκολ. 12. « *Nec mora, Cyllenius illum collo obtorto trahit ad Inferos,*

unde negant redire quemquam.

dum descendunt per viam Sacram, interrogat Mercurius, quid sibi velit ille concursus hominum, num Claudii funus esset? et erat omnium formosissimum et impensa cura, plane ut scires deum efferri: tubicinum, cornicinum, omnis generis aenatorum tanta turba, tantus concentus, ut etiam Claudius audire posset. omnes laeti, hilares. populus Romanus ambulabat tamquam liber: Agatho et pauci causidici plorabant, sed plane ex animo. iurisconsulti e tenebris procedebant, pallidi, graciles, vix animam habentes, tamquam qui tum maxime reviviscerent. ex his unus cum vidisset capita conferentes et fortunas suas deplorantes causidicos, accedit et ait: dicebam vobis, non semper Saturnalia erunt. Claudius ut vidit funus suum, intellexit se mortuum esse, ingenti enim μεγάλῳ χορικῷ *naenia cantabatur anapaestis:*

Fundite fletus!
Edite planctus!
[Fingite luctus!]
Resonet tristi
Clamore Forum:
Cecidit pulchre

Cordatus homo,
Quo non alius
Fuit in toto
Fortior orbe.
Ille citato
Vincere cursu

Poterat celeres,
Ille rebelles
Fundere Parthos
Levibusque sequi
Persida telis,
Certaque manu
Tendere nervum,
Qui praecipites
Vulnere parvo
Figeret hostes
Pictaque Medi
Terga fugacis.
Ille Britannos
Ultra noti
Litora ponti
Et caeruleos
Scuta Brigantas
Dare Romuleis
Colla catenis
Iussit et ipsum
Nova Romanae
Iura securis
Tremere Oceanum,
Deflete virum,
Quo non alius
Potuit citius
Discere causas
Una tantum
Parte audita,
Saepe et neutra.
Quis nunc iudex
Toto lites
Audiet anno?
Tibi iam cedet
Sede relicta,
Qui dat populo
Iura silenti,
Cretaea tenens
Oppida centum.
Caedite moestis
Pectora palmis,
O causidici
Venale genus!
Vosque, poetae,
Lugete, novi,
Vosque in primis
Qui concusso
Magna parastis
Lucra fritillo!

Aeacus delectus iudex, qui sontium peccata exquirat et supplicia inferat, ludibrio eum habet, novaque poena eum alea ludere pertuso fritillo in perpetuum iubet. Inter eruditos de Ἀποκολοκυντώσεως auctore satius disputatum est, utrum Annaeus Seneca revera ille sit, an potius cuidam alii auctori satira sit ascribenda. Lis hactenus sub iudice est; nam cum res et sententiae poematis nec non dicendi genus ipsum e, versuum numeri haud absona a ceteris Senecae scripturis videantur, valde nihilominus repugnat quominus Claudium

eundem, cui vivo saepe assentatus esset philosophus, nulla demortui habita religione, maledico dente carpsisse credatur.

A. PERSIUS FLACCUS

XVI. Lucilianam contra morum castigandorum urbaniorem rationem, qua Horatius usus erat A. Persius Flaccus, qui, Nerone quoque imperante, floruit, in satiras suas rettulit. Equestri familia trigesimo quarto p. Chr. n. anno Volaterris in Etruscis in lucem editus est. Patre cum nondum sextum aetatis annum ageret orbatus, in Fulviae Sisennae matris sinu educatus, ex matrona nobilis egregiique animi vitae simul usum et rudimenta sapientiae didicit. Romam deinceps cum venisset, Verginium Remmium Flavum rhetorem atque Palaemonem grammaticum audivit, qui postea a Nerone propter eloquentiam, qua adulescentes in libertatis studium incendebat, exilio multatus est. Sedecim annos natus in deliciis Annaeo Cornuto magistro fuit, quem grammaticam et stoicorum sapientiam pueris tradentem cum M. Annaeo Lucano condiscipulo audivit. Sanguinis necessitudine cum P. Thrasea Paeto coniunctus, qui postea capitis a Nerone damnatus est, in eius familiaritate ad obitum usque constantissime vixit. In patris autem loco Servilium Nonianum coluit, qui fuit clarissimus orator atque ex schola stoicorum philosophus nobilissimus. Serius Senecam suum aequalem novit, cuius tamen ob ingeniorum dissimilitudinem minime studiosus evasit. Ex animo miti atque egregia indole, quae a natura acceperat, ex materna institutione, ex praeceptis et exemplis clarorum hominum, cum quibus in amicitia fuit, in temporibus ad immanitatem omnem proclivioribus, modestia, temperantia, iustitia ornatus fuit, quae lenioribus virtutibus continentur. Lucilii satirarum lectione vehementissime permotus, in satras conficiendas se contulit, quarum cum iam

Tac. XV. Ann. 71

librum scripsisset, necdum perfecisset, ex stomacho laborans, duodetriginta annos natus defloruit, amicis spe illa deceptis, quam de eo conceperant animo. Satiras, bibliothecam, rem familiarem hereditarias Annaeo Cornuto reliquit, quo, ut modo diximus, adulescens magistro probatissimo usus erat; hic tamen, bonis ceteris repudiatis, ut in demortui sororem concederent, libros tantum et satiras adiit. Quibus evulgandis cum extremam manum ipse admovisset, et versus quosdam subduxisset, qui minus in contextu adhaerentes viderentur, Caesius Bassus poeta, qui a pueris Persii amicissimus fuerat, ab eo postulavit, ut sibi satiras rescribendi atque emendandi munus deferretur. Ut primus igitur in lucem liber prodiit, omnium probatissimorum hominum in se admirationem convertit. Huius favoris testis Quintilianus est, qui Persium summopere laudat: « *multum* » ait enim in institutionum libro decimo « *et verae gloriae, quamvis uno libro, Persius meruit* ». Quam quidem laudem etiam Martialis confirmat.

Quint. X. Instit. 1. 94; Mart. IV. Epigr. 29.

Satirarum argumentum

XVII. Sex in Persii libro satirae continentur, quibus prava eius memoriae vitia praecipua ridentur. Etenim litteratos homines et poetas in prima carpit, qui nimio fucatae studio granditatis incensi, opimo quodam in libris conscribendis et tamquam adipato dictionis genere uti consuerant. Deorum cultum in secunda exprobat, qui sacrificiis atque victimis mactandis tantummodo continetur, neque vitae sanctitatem et honestatem inculcat. In ceteris poeta, stoicorum doctrinis imbutus, virtutem illam, cuius ipse imaginem expressam prae se tulerat, hominibus suadere contendit. Hinc tristem quasi et durum praeceptoris vultum habitumque induens, modo adulescentes nobili loco natos, qui in deliciis libidinibusque aetatem agunt, detrectat, ut recte videndi rationem doceat, modo in eos invehitur, qui, nulla sapientia comparata, reipublicae regendae munera, quod divites sint, aucupantur. Satira quinta, quae ex omnibus maximo pretio est, de libertate vera agit. Celebratissimi in ea loci duo sunt, quorum in altero

gratos animi sensus in Cornutum magistrum suum candide ut adulescens fundit; in altero, cum divitiarum cupiditati et voluptatum libidini sermonem et humanam formam per rhetorum fictionem attribuat, colloquentes inter se et disputantes repraesentat. In satira denique sexta, quae postrema est, de rebus domesticis, quas fortunae beneficio munereque habemus, bene sapienterque utendis sermo est; videlicet homines ad stoicorum philosophorum doctrinas erudit, quo modo et ratione ad vitae commoditatem conducere possint.

Pers. Sat. 5. 83-90.
Pers. Sat. 4. 19-29. et 41-42.

XVIII. Persius in bonis, cum rerum et sententiarum dignitate, quae in satiris continentur, tum orationis forma, numerandus auctoribus est. In rebus tamen inveniendis, cum ex stoicorum praeceptis potius quam ex communi usu vitae et experientia proficiscatur, satiricorum poetarum modum longe excedit, caret enim salibus et aceto, perditosque hominummores acerbius, instar declamantium aetatis, et tristius perstringit. Item orationis genus, quo utitur, quamvis elegans est atque concinnum urbanumque, iis tamen quasi verborum tenebris offunditur, ut saepe non nisi multo labore intelligatur. Ceterum id vitae potius brevitati, quam poetae vitio esse tribuendum puto; nam, cum adulescens in quasi aetatis flore intercidisset, fortasse impeditus est, quominus carmina, quae scripserat, ad unguem perpoliret atque emendaret. Quod si contra diutius vixisset, non ea modo perfectiora et meliora fecisset, sed cum novam in dies Urbs materiam afferret, longe plura edidisset. A patribus nostris Persius probatus est, qui stoicorum in se morum perfectam dignitatem expresserit.

Satirae e praeceptis magis quam ex vitae usu proveniunt

DECIMUS IUNIUS IUVENALIS

XIX. Ex duabus diversis poetarum satiricorum scholis Decimus Iunius Iuvenalis provenit, qui cum Lucilii atque Horatii urbanitatem secutus esset, idemque cum Varrone et

Petronio dicacitate certavisset, ut secundum locum in tabulis poetarum satiricorum occupavit, ita inter optimos scriptorum fuit qui, aetate hac, quam appellant argenteam, floruerunt. Quamquam multa de D. Iunio Iuvenali nobis a veteribus scriptoribus tradita sunt, pauca tamen certis rerum constant argumentis. Etenim quo anno natus sit, satis ambigitur; alii eum anno quinquagesimo quinto in lucem editum p. Chr. n. credunt, alii contra septimo et quinquagesimo, alii denique circa sexagesimum. Aquinas certo fuit, in oppido Volscorum, nobilissimo loco natus. Ad mediam fere aetatem, ut tunc temporis apud omnes in consuetudinem venerat, declamationibus Romae se tradidit; at postea, cum satiris conficiendis operam posuisset, hominesque novos vehementer adgressus esset, qui per malas et sordidas artes honores sibi comparavissent, insimulatus est, quod etiam si homines vita functos perstringeret, ficte et simulate tempora sua infamia reapse notaret. Traditum memoriae est eum, quod in pantomimum Paridem, qui ab Hadriano multum amabatur, petulanter in satira septima invectus esset, cum senex iam octogenarius esset, Urbe ab imperatore summotum fuisse; ob eandemque causam per speciem honoris ad praefecturam cohortis in extremam Aegypti partem missum, ibique vitae taedio confectum exsiliique angore dilaceratum periisse.

Iuv. Sat. 4. 318-322.

Sidon. Carm. 9. 270; Auct. vit. sub num. VI. et V.

XX. Iuvenalis, praeter ultimam, quae postremis versibus intercisa est, quindecim exstant satirae integrae, quae varietate rerum et abundantia in pulcherrimis litterarum Latinarum habentur. Materiam satirarum ex corruptae civitatis moribus desumpsit, quae, cum pacis malis et saeviore armis luxuria laboraret, vitiorum omnium putida quaedam evaserat sentina:

Satirarum res

Quidquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas
Gaudia, discursus, nostri est farrago libelli.

Iuv. Sat. 1. 85-86.

Aspera eius carminum Musa indignatio atque stomachus est:

Si natura negat, facit indignatio versum.

Iuv. Sat. 1.79.

Satirae, quae a prima ad nonam continentur, peculiari animi acrimonia, ceterae ad decimam sextam remissioribus sensibus distinguuntur. Nam, cum in illis graviore bile iecur ferveat, rigidi accusatoris personam gerens, in perditos hominum eius aetatis mores, ira frendens, vehementissime invehitur, magnisque lateribus conclamat. Ex istiusmodi generis satiris tertia et sexta in primis laudantur. In hac non feminas modo vulgaribus moribus, sed matronas ipsas acrius et praeter solitum pugnacius perstringit, earum libidines, adulteria, facinora, per urbem ut turgidum atque lutulentum flumen quoddam profluentia, obscenis verbis et coloribus describit, ut iis ad dedecus augendum usus esse videatur.

Duplex satirarum genus, alterum acrius, remissius alterum

Credo Pudicitiam Saturno rege moratam
In terris visamque diu, quum frigida parvas
Praeberet spelunca domos ignemque laremque
Et pecus et dominos communi clauderet umbra;
Silvestrem montana torum quum sterneret uxor
Frondibus et culmo vicinarumque ferarum
Pellibus, haud similis tibi, Cynthia, nec tibi, cuius
Turbavit nitidos exstinctus passer ocellos.
Sed potanda ferens infantibus ubera magnis,
Et saepe horridior glandem ructante marito.

Iuv. Sat. 6 vers. 1 - 10

In satira tertia infinita Urbis pericula enumerat, quae assidue vel cives vexant, vel cervicibus impendent. In satiris vero, quae a decima ad sextam decimam reliquae sunt, cum in bonis potius moribus inculcandis, quam in pravis insectandis insistat poeta, urbaniore, ut par est, et pacatiore animo utitur. In istarum numero quarta decima pulcherrima habetur, in qua puerorum probe instituendorum artem, parentum in exemplis magis, quam in eorundem praeceptis, sive verbis e philosophorum doctrinis desumptis sitam esse commonet.

Plurima sunt, Fuscine, et fama digna sinistra
Et nitidis maculam haesuram figentia rebus,

Quae mostrant ipsi pueris traduntque parentes.
Si damnosa senem iuvat alea, ludit et heres
Bullatus parvoque eadem movet arma fritillo.

Iuv. Sat. 14. 1-5.

XXI. Ex satirarum partitione, quam mox institui, nolim tamen aliquis me in eorum sententiam inclinare putet, qui alterarum dicendi vim ab alterarum genere tanto differre credunt, ut uni eidem auctori satiras cunctas inscribi posse negent. Si quis enim eas diversis aetatis temporibus fuisse conscriptas cogitet, illas videlicet postquam poetae fastidio esse coeperunt declamationes, in quibus adulescens insudaverat, has vero vel cum esset aetate longe provectus, vel etiam, ut quidam arbitrantur, postquam in exilium ad praeturam missus est, nihil causae sane est, cur propter diversitatem quandam, quae in orationis forma inest, alteras alteri poetae attribuamus. Ceterum ne in satiris quidem, quas primo aetatis tempore scripsit, ita perennis dicacitas verborum est itaque irrefrenabilis acrimonia sententiarum et indignatio, ut nonnumquam remittatur et facetiis et iocis, ludificationibus socraticisque salibus locum cedat; neque vicissim in ceteris ita mitior et lenior poeta fit, ut nullatenus insurgat neque erga improbos suis instet armis, aut a vitiis in odium et iram moveri desinat. Satirarum varietate bene perspecta, rectius fortasse equidem dixerim poetam ex ingenio vario, quo a natura conformatus erat, ex animique condicione, varietate rerum, in quas mentis aciem defigit, aliter aliterque usque concitari. Hac de causa contingit, ut, furore in satira tertia repente demisso, ruris otia atque agricolarum delicias ad lyricorum modum poetarum toto pectore suavissime canat:

Iuvenali uni quindecim satirae sunt ascribendae

Si potes avelli circensibus, optima Sorae
Aut Fabrateriae domus aut Frusinone paratur,
Quanti nunc tenebras unum conducis in annum.
Hortulus hic puteusque brevis nec reste movendus
In tenues plantas facili diffunditur haustu.

Iuv. Sat. 3. 223-227.

In satira autem sexta, dum gravissima ira corripitur atque in lascivas corruptasque mulieres invehitur, quaesita sibi ex rebus diversis occasione, ad mitiores animi sensus libenter se vertit; misericordia enim servi afficitur, quem, etsi vir prohibeat, uxor crudelissima ad supplicium levem ob causam mandandum esse censet, itemque etiam tum, cum aetati suae veterum mulierum pudicitiam et verecundiam opponit, quasi recordatione solatus acrimoniam et dicendi nervos remittit.

Iuv. Sat. 6.

In vivos potius quam in mortuos invehitur

XXII. Quod vero, vivis silentio praetermissis, in mortuos nonnumquam pugnacius insurgere videatur, id a quibusdam eruditis nequitiae eius ignaviaeque ascriptum fuisse scio. Ab hac tamen accusatione eum defendendum esse censeo; per mortuos enim vivos ita aperte adumbravit, ut, cum imperatoris in se odium concitavisset, exilii poena multatus sit. Ceterum fortibus hominibus iisdemque sapientibus licuit, ut in tyrannos invehentes per simulationem quandam tyrannorum a se invidiam et iniurias avertere conarentur, praesertim si nullo pacto aliter ceteris profuturos esse sperarent, dummodo in temporum meliorum exspectatione manerent, et erectum in tyrannos et a servitute liberum animum servarent. Iuvenalis dicendi genus, quod verborum traslationibus longe petitis, tropis, figuris abundat, in proverbium et in exemplum venit, qua de causa magis declamatorio generi accomodatum visum est, quam poetarum rationi opportunum iudicatum. Equidem hanc criticorum notam fundamento non destitutam esse concedo, et appellationes, interrogationes, furores, adminicula rhetorum propria, quibus frequentissime utitur, furoris cuiusdam falsi fucatique speciem in se habere, quae satietatem quandam in iis, qui legunt, interdum faciat; verum magis quam in re ipsa, in orationis forma vitium est. Sincerus enim, etiam cum rhetoricorum in modum acriter conclamat, est, iisque irarum flammis ardet, quibus, si fieri possit, vitia revera comburet. In verbis vero adhibendis copiosus est et facilis, in eorum dispositione atque collocatione

diligens, in imaginibus expromendis insignis, in sententiis proferendis gravis in primis et grandis et sincerus. Verborum ambitus versibus numerosis et plerumque bene sonantibus concluditur, eademque rerum pondera et gravia philosophorum praecepta aculeis, ut par est, candidis teguntur et maledictis facetis occultantur. In universum si Iuvenalis satiras perpendas, sub exquisitis rhetoricis ornatibus et luculentis verborum coloribus rem novam et egregiam ita celari invenies, ut eius dicendi rationem ex Lucilio dicas profluxisse.

M. VALERIUS MARTIALIS

XXIII. Satirarum generi, praeter Aesopias fabulas, de quibus paulo supra locuti sumus, epigrammata quoque accedunt, in quibus conficiendis tantum inter poetas Latinos ceteros Martialis praestitit, ut eorum conditor dici possit. Epigrammatis nomen ad perbreve ac tenue carmen significandum sumitur, in cuius paucis versibus sententia quaedam aut arguta, aut festiva, aut salebrosa, aut faceta continetur. M. Valerius Martialis, de quo nobis sermo est, Hispanus natione, Bilbili, parvo in oppido parentibus modicis ad quadragesimum p. Chr. n. annum ortus est. Romam cum venisset, viginti alterum annos natus, sub imperatoribus Domitiano, Nerva, Traiano quattuor triginta annos in rerum omnium penuria quadam et in poesis deliciis versatus est. Paupertas eum ad versus condendos impulit, a carpendis autem qui in civitate cum auctoritate, tum dignitate pollebant, cum Lucani mors eum deterruisset, in adulationem atque assentationem animum inclinare lucrosius duxit. In Domitiano laudando multum operae posuit, hoc modo ratus se ab eo tantum favoris assecuturum esse, quantum opus esset, ut paupertate liberatus in rerum copia atque abundantia viveret. Gratia ergo sibi imperatoris conciliata, equestri ab eo dignitate et

Mart. X. Epigr. 103. 104; XII., 31. 34.

honorario tribunatu auctus cum esset, neque Maecenatem alium in eo invenisset, parvo tantum ad Nomentum agro et parva domo in Quirinali colle sita donatus est. A ceteris civibus, quibus assentatus in epigrammatis est, munuscula tulit, quae adiumento ad vivendum essent non quidem ipsum divitem efficerent. Tunc temporis enim, vetere liberalitate exhausta, causidici, citharoedi, auletae magis quam poetae, civitati placebant; apud imperatorem vero praecones, indices, delatores uni summo in honore erant. Propter ingenium suum et acre et acutum et in rebus quoque adversis aequo animo ferendis festivum, gratissimus eius aetatis scriptoribus fuit, Silio Italico in primis, Quintiliano, Plinio iuniori. Aetate admodum provectus in patriam cum se restituisset, dominae cuiusdam Marcellae beneficio rei familiaris copia usus est, quam frustra perennibus querimoniis laudationibusque ex imperatorum ac patronum liberalitate Romae quaesiverat. In parvo municipio, solitudinis provincialis impatiens municipalique invidia laborans cum extremam aetatem egisset, circa centesimum tertium p. Chr. n. annum e vita cessit.

Mart. I. Epigr. 108. 117; II., 38; IX., 18. 97; X., 58.

Mart. XII. Epigr. 21.

XXIV. Quindecim epigrammatum libri, quot eum confecisse certissimum est, ad aetatem nostram pervenerunt, quibus in libris non epigrammata tantum ex communi huius nominis usu et significatione continentur, sed carmina quoque plurima, quae ad lyricum genus potius spectant, immixta reperiuntur. Incredibili qua erat ingenii feracitate mille amplius trecenta huiusmodi parva carmina composuit, quae rebus, versibus, numerisque inter se discrepant valde. In libro primo, qui « *de Spectaculis* » inscribitur, spectacula, ludi describuntur, quae ab imperatoribus magnificentissime apparabantur. Peculiari titulo libri duo alii manent, quorum alter, tertius decimus «*Xenia*» inscribitur, alter vero, decimus quartus «*Apophoreta*». In illo versibus longiusculis res multas describit, quae hospitibus, advenis, peregrinis dono mitti solebant. Hinc libri nomen originem ducit, nam versus

Epigrammatum libri

Rerum diversarum copia

pro xeniis mitti poterant. In altero autem munuscula illa recenset, quae Saturnalibus diebus, quandocumque convivia et mensae erant peracta, compotantibus tradebantur, ut ea domum asportarent. In ceteris libris, qui « *Epigrammata* » communi titulo inscribuntur, nullo ordine ex rerum varietate praestituto, infinitam prope rerum segetem et materiam coacervavit; modo enim in illis, Domitiano, Nervae, Traiano assentatur, nunc amicos atque patronos laudat. In Domitiano adulando dignitatis modum excedit; non enim illius res gestas tantum celebrat et triumphos, non leges, quas de adulteriis, de meretricio vitandis tulit, neque tantum de templis ab illo vel reparatis, vel a fundamentis exstructis gaudet; sed quo ineptiores res sunt, eo ardentius miratur, praedicat atque celebrat. Quae vero ad imperatorem spectant, maximis non desinit laudibus cumulare; loricam illius in epigrammate quodam magnificat; in alio Iuliae statuam, neptis eiusdem, Phidiaco formatam caelo, vel Palladiae artis opus putat. In alio imperatoris domum amplitudine parem caelo sed domini dignitate minorem esse dicit, in alio piscinam piscium venerandorum refertam versibus ad neniam fluentibus decantat:

Mart. VI. Epigr. 4; VII., 2; VI., 13; VIII. 36;

Baiano procul a lacu, monemus,
Piscator, fuge, ne nocens recedas.
Sacris piscibus hae natantur undae,
Qui norunt dominum manumque lambunt
Illam, qua nihil est in orbe maius.
Quid, quod nomen habent et ad magistri
Vocem quisque sui venit citatus?

Mart. IV. Epigr. 30.

Domitianum autem, in quo acerbe vituperando scriptores rerum fere omnes conspirant, pluris quam Iovem ipsum facit! Stomachum haec, risum una simul movent, cum de homine in libidinem, in iracundiam, in ferociam prono dicantur, qui virtutes, quas primis annis exercuit, in vitia

deflexerit. Ad assentationem Martialis natura sua pronus videtur; etiam gladiatorem ignotum laudibus prosequitur:

Hermes Martia saeculi voluptas,
Hermes omnibus eruditus armis,
Hermes et gladiator et magister,
Hermes turba sui tremorque ludi,
Hermes, quem timet Helius, sed unum,
Hermes, cui cadit Advolans, sed uni,
Hermes vincere nec ferire doctus,
Hermes subpositicius sibi ipse,
Hermes divitiae locatorum,
Hermes cura laborque ludiarum,
Hermes belligera superbus hasta,
Hermes aequoreo minax tridente,
Hermes casside languida timendus,
Hermes gloria Martis universi,
Hermes omnia solus et ter unus.

Mart. V. Epigr. 24.

Rebus futtilibus illudit, an eas revera laudat? Vitium aliis epigrammatis emendat, in quibus clientes, parasitos, avaros, adulescentes delicatos, senes molles, foeminas lascivas, ceteros id genus homines ridet, notat, carpit. Omnia, quae in vita hominum moribusque sunt vel insueta, vel mendosa, carminibus parvulis repraesentat, ut ad naturae verique imitationem quam proxime accedat tabulasque ex rebus ipsis expressas quasi sub oculos subiciat. Rationem, quae naturam imitatur, a se cogitatam consulto prosequitur; id ex eius verbis colligitur « *hominem pagina nostra sapit* » quo in epigrammate amicum amicissime hortatur, ut, fabulis relictis, id legat et inspiciat « *quod possit dicere vita — Meum est* — ». Interdum a carminibus, quae opprime vitam, qualis revera est, hominum effingunt, ad suos animi sensus et studia canenda devertit. Huc carmina spectant dolore perfusa, quae in sepulcris amicorum, vel in suo, post mortem, inscribenda composuit, tum

Martialis paginae hominem sapiunt

Mart. I. Epigr. 88. et 101; v. 34; X., 61; XI. 91; VII. 96; VI, 68 et 85.

illa, in quibus suos amores, vel libidines atque voluptates corporis obscenissimas memorat. In his en castum epigramma.

Basia da nobis, Diadumene, pressa. 'Quot?, inquis.
Oceani fluctus me numerare iubes
Et maris Aegaei sparsas per litora conchas
Et quae Cecropio monte vagantur apes,
Quaeque sonant pleno vocesque manusque theatro,
Cum populus subiti Caesaris ora videt.
Nolo quot arguto dedit exorata Catullo
Lesbia: pauca cupit qui numerare potest.

Mart. VI. Epigr. 34.

XXV. At scurrilia plurima sunt; etenim cum sibi persuasum haberet aequalibus versus minime placere posse, nisi *prurirent*, adeo eius aetatis ingenio hominum indulsit, ut turpia et obscena, in quae corruit, non tantum salibus aspererserit, sed ea consulto nimis aperte depinxerit. A quo obscenitatis crimine ipse se excusare contendit, quippe qui, cum *paginam lascivam* esse profiteatur, saepe *probam* contra suam esse vitam dictitet; neque in lasciviis describendis se lascivum putat; *Romanam simplicitatem* et *Latine* loqui arbitratur. Ex prava vivendi ratione cum *nequitiae procaciores salesque nudi* necessario proveniant, aliquam ei veniam certe dabimus, non eam tamen, quae omnimo eum a culpa purgare valeat. Ceterum, obscenitatibus praetermissis, is poeta Martialis est, cui aetatis litterarum Latinarum argenteae palma optimo iure deferri possit. In carminibus eius enim inest quidam sine fuco veritatis color, quo accidit, ut, non modo poesis genus suum propriumque sit, sed dicendi quoque forma perfecta atque singularis. Locutio pariter expurgata et vere Latina est atque veterem orationis sanitatem atque consuetudinem redolet; quae quidem laus in poeta peregrino maior est, quippe qui, cum primam aetatem extra Urbem egisset, in Hispaniaque natus esset, cuius ex germana natura pingue quiddam atque barbarum scriptores sonent, poetis

Martialis pagina lasciva, vita proba.

Veritatis color et genus dicendi Latinum

Mart. I. Epigr. 35; XI. 20.

ceteris iam inquinate loquentibus, Romanorum recte sermonem in suis carminibus condendis adhibuerit. En iudicium, quod de se ipse tulit morum suorum et ingenii satis compos:

Lector et auditor nostros probat, Aule, libellos,
Sed quidam exactos esse poeta negat.
Non nimium curo: nam cenae fercula nostrae
Malim convivis quam placuisse cocis.

Mart. IX. Epigr. 81.

M. ANNAEUS LUCANUS

XXVI. Tristissimis Neronis temporibus nova alia, ut Martialis epigrammatis verbis utar, *Heliconis gloria nostri* affulsit; videlicet quasi lumen quoddam effusis in umbris M. Annaeus Lucanus illuxit, cuius fato acerbissimo e vita demigrati mira fuit et singularis in Latinis litteris ingenii fecunditas. Cordubae Lucanus, de quo nobis sermo est, anno undequadragesimo p. Chr. n., M. Annaeo Mela patre, Acilia matre, in lucem prodiit. Nobilis igitur parente utroque fuit. Avus enim maternus, Acilius Lucanus, ex quo Lucanum nomen sibi ascivisse constat, haud ignobilis orator fuit. Ex familia autem Annaea insignes doctrina viri complures nati sunt, inter quos Seneca philosophus, qui huius nostri patruus fuit. Infans vix octo menses natus Romam a patre delatus est, ut educaretur. Adulescens summa cura ab optimis magistris, qui tunc litteras Romae pueros docebant, a Palaemone et a Verginio primum, a Cornuto deinde, una cum Persio, cum ingenuis condiscipulis aliis, ita institutus eruditusque est, ut festinata naturae maturitate cum nondum quintum decimum aetatis annum attigisset, praeclare et Graece et Latine declamaverit. Hoc eodem tempore, arctissimo, ut inter condiscipulos fieri solet, amicitiae consuetudinisque vinculo se cum Persio coniunxit. Seneca autem, qui illum propter sanguinis

Mart. X. Epigr. 64, 3.

necessitudinem atque praestantem ingenii famam plurimum diligebat, eum Neroni discipulo suo insinuavit. Deinde, annos sedecim natus, Athenas se properanter contulit, ut ingenii maturitatem, ad quam citissime pervenerat, novis Graecorum doctrinis puro ex fonte haustis, cumularet.

De his omnibus conf. Suet. Vit. Luc.

XXVII. Post duos annos inde a Nerone revocatus est, apud quem tanta gratia atque favore valuit, ut priusquam annum quintum vicesimum explevisset, praeter morem et consuetudinem, quaestor renunciatus sit, subinde, secundo populi favore, in sacerdotium ascitus inauguratusque. Uxorem Pollam Argentariam duxit, egregiam sane mulierem et ipsam litteris bonisque artibus ita eruditam, ut tres priores libros « *Pharsaliae* » una cum viro suo perpolivisse et emendasse dicatur. Ut autem gratum suum in Neronem animum quam primum significaret, in quinquennali certamine eius laudes versibus concelebravit. Huius tamen gratia post aliquot annos in invidiam cessit; nam cum iterum certamen pentatericum ageretur, fama est Lucanum, quia ex tempore « *Orphea* » recitavisset, a iudicibus corona donatum esse; quam rem cum imperator iniquo animo ferret — nam certamen ea mente indixerat, ut « *Niobem* » quam scripserat, per Chinium pronunciaret — invidiam victori habere coepit. Nerone iubente, foro, theatro, poetica, Lucano interdictum est, quo contigit ut, iniuriae ulciscendae causa, coniurationi Pisonianae adhaereret; quae cum per indices et delatores detecta esset, crudelissime in conscios saevitum. Lucanus minime constantem tunc se animo praestitit; nam vivendi desiderio adactus, quo tenebatur, cum necdum sextum vicesimum annum egisset, eo ignominiae animum flexit ut, Tacito aliisque auctoribus, non crimen tantum fassus sit, sed, impunitate sibi promissa, inter conscios Aciliam matrem innoxiam indicaverit impietatem sibi apud parricidam principem profuturam sperans. At eum nihil impium facinus iuvit, nam post delationem eius caedes a Nerone iussa est. Tum demum, nefandi criminis angore

Tac. XV. Ann. 49. 56. 70; Luc. III. Phars. 638-646.

Sid. II. Ep. 10.

Tac. XV. Ann. 56; Suet. Vit. Luc.

cruciatus, desperatione ipsa cum se in fortitudinem redintegravisset, medico ad arterias secandas brachia praebuit. Quod cum hic egisset, profluente sanguine, versus quosdam poematis sui recitans, in quibus vulneratum militem per mortis ipsius imaginem periisse narrabat, paulatim pedibus manibusque ab extremis frigescentibus, spiritum efflavit.

XXVIII. Qua Lucanus singulari mentis ubertate fuit, multa sermone soluto, multo plura versibus immaturam ante mortem in lucem ediderat. Ex illis « *Orationes* » nonnullae et « *Epistulae* » a rerum scriptoribus referuntur. Ex carminibus autem, quae ad lyricum genus spectabant « *Epigrammata* » et « *Saturnalia* » memorantur et libri carminum decem, quos propter res inter se diversas « *Silvas* » inscripserat. Poesis genera, quae restant, tragicum, comicum, didascalicum, epicum vel attigit, vel pertractavit. Non minus enim quattuordecim « *Fabulas salticas* » atque tragicam, quae « *Medea* » inscribebatur, docuit. Praeterea « *Orpheum* » sive « *Catachthonion libros* » confecit, in quibus deorum inferorum et manium condicionem docebat. In epicis carminibus condendis enixius elaboravit. Huic vero generi poemata duo, alterum «*Laudes Neronis*» alterum «*Iliacon libri*» inscripta, assignantur, quorum utrumque, cum ceteris operibus, quae iam memoravimus, intercidit. Ad genus idem denique pertinet poema — hoc unum ex tot tantisque carminibus deperditis ad nostram memoriam manet — quod ab aliis « *Bellum civile* » ab aliis « *Pharsalia* » inscribi solet. Hoc praecipuum eius opus.

Varia poesis genera, quae coluit.

XXIX. Poematis huius materiem, ut ipsa inscriptione patet, ex bellis civilibus deprompsit, quae, cum primo inter Marium Sullamque tum inter Caesarem et Pompeium postea de adipiscenda reipublicae dominatione exarsissent, post proelium ad Pharsalum composita sunt, ex quo Caesar superior discessit. Bella haec, propter recentem eorum memoriam minus apta erant, quae carminibus concelebrarentur epicis. Vetustate enim illa carebant, quae obsoletis quasi

Poema Pharsalia inscriptum, quod exstat

temporum coloribus res antiquitus gestas offundit, neque ea sermo et vulgi recordatio fabulisque ornatibusque poetice decoraverat, quae novitate ipsa rerum atque magnitudine mentes hominum percellunt. Attamen cum iam apud Romanos invaluisset usus, ut poetae ad carmina epica condenda ex rebus suis in historiis enarratis argumenta desumerent, idque complures a Naevio ad Rabirium fecissent et Virgilius eidem aetatis suae studio in sexto et octavo Aeneidos libris indulsisset, satis opportune gravia tempora sua Lucanum concelebrasse dices, quibus praeclarissimi duces et fortissimi exercitus manus inter se conseruerunt, non ut urbis cuiusdam moenibus potirentur, sed ut, liberis institutionibus eversis, reges pulcherrimae Urbis fierent, quae in orbe terrarum dominaretur. In rebus itaque ipsis cum clarissimorum virorum contentio inesset, in qua epicorum vis et ratio poematum consistit, heroes ex vero eos expressit, quos non nisi in ipso aetatis flore atque vitae iucunditate gentes ex stirpe sua et origine eruunt atque effingunt. Inter ceteros Pompeius, qui primas rerum gerendarum partes agit, tantum elato animo atque virtute praestat, ut herois in se speciem habeat. Huic proxime Cato Uticensis accedit, cuius personam poeta laudibus omnibus explet, ac si per eum speciem et exemplar viri liberae reipublicae amantissimi exhibere contendat. Caesar vero haud par cum adversariis est, immo non modo aemulis ipsis sed semetipso longe inferior, qualem ex historiis reapse fuisse novimus. Personarum autem dignitas et gravitas novo lumine illustratur cum duces heroasque, sententiarum granditate in sermonibus alternis addita, colloquentes inter se et disceptantes inducit. Magnitudinem enim rerum, quas canit, non epicorum poetarum, sed more tragicorum sentit atque exornat. Hac de causa ardentem et concitatum sententiisque redundantem se exhibet, ut magis in declamatoribus esse enumerandus quibusdam videatur. Videlicet divino igne et afflatu furoris ardentius inflammatur, quare in animi

concitatione verbis reddenda, dicendi genere quodam pingui et adipato utitur, quod Cicero aetate sua in poetis Cordubae natis notaverat. Lucani ipsius vocem audiamus, qui Pompeium post pugnam Pharsalicam Larisam profugientem et desperantem secum loquentem versibus describit:

Cic. pro Arch. 10. 26.

Nonne iuvat pulsum bellis cessisse nec istud
Perspectasse nefas spumantes caede catervas?
Respice turbatos incursu sanguinis amnes
Et soceri miserere tui. Quo pectore Romam
Intrabit factus campis felicior istis?
Quidquid in ignotis solus regionibus exul,
Quidquid sub Phario positus patiere tyranno,
Crede deis, longo fatorum crede favori:
Vincere peius erat. Prohibe lamenta sonare,
Flere veta populos, lacrimas luctusque remitte.
Tam mala Pompei, quam prospera mundus adoret.
Aspice securus voltu non supplice reges,
Aspice possessas urbes donataque regna,
Aegyptum Libyamque — et terras elige morti.
Vidit prima tuae testis Larisa ruinae
Nobile nec victum fatis caput; omnibus illa
Civibus effudit totas per moenia vires
Obvia ceu laeto: promittunt munera flentes,
Pandunt templa, domos, socios se cladibus optant.

Libr. VII. 696-711.

Lucano vitio etiam ascribi solet, quod poemate in contexendo mediis in rebus non ceperit initium, sed a Iove, ut dicitur, orsus, Livium, Pollionem, Caesarem in historiarum libris pedetentim secutus sit et narrationem inde ex ordine ad epilogum perduxerit. Hanc ob causam cum Petronius *Pharsaliam* legisset, eum commonuit, ut eam carminum condendorum rationem institueret, qua *potius furentis animi vaticinatio appareret quam religiosae orationis sub testibus fides*. Item Quintilianus, qui certe videbat in litteris,

eum non poema, sed historiam confecisse affirmavit. Ceterum Lucanus ipse vitium, quod in re sua inesse animadverterat, quo potuit modo, emendare contendit. Itaque, deverticulis adhibitis, quae exornandi causa poetae ementiuntur, pugnarum, urbium, locorum descriptionibus, verborum et sententiarum luminibus, aliis adminiculis rem suam variavit et distinxit, ut, si non omnibus numeris oxpletum et perfectum egregium sane et singulare proderet poema. Quae cum ita sint, rationibus cunctis perpensis et putatis, sic de Lucano, si placet, statuo, ut non secundum aut tertium post Virgilium locum teneat, sed longo tamen intervallo ei proximus accedat. Ceterum neque perfectum poema est, at ad decimum librum abruptum; nam Lucanus morte, quam sibi propter Neronis invidiam intulit, impeditus profecto est, quominus carmina ad rei conclusionem produceret et ultimam manum iis quoque adderet, quae scripserat. Nihilominus Pharsalia multis semper laudibus cumulata est, itaque assidue saeculis praesertim mediis perlecta, ut et ipsa aetatem tulerit atque auctoris nomen posteritati mandaverit. Quod quidem poeta animo divinante praesagiens de se in poemate affirmat:

Quint. X. Inst. I.

. . . *Pharsalia nostra*
Vivet, et a nullo tenebris damnabitur aevo.

Lucano critici nonnulli « *Culpurnii Pisonis elogium* » ascripserunt, quod plus quam ducentis quinquaginta versibus heroicis continetur; equidem perperam eos id arbitratos esse censeo. Instituta enim elogii cum Pharsalia comparatione, tantum discriminis cum re tum orationis genere inter ea interesse deprehenditur, ut illud a Lucano abiudicandum omnino esse videatur. Ceterum cum poeta Hispanus, cui laudationem Pisonis addicendam esse credunt, amplissimo genere natus esset atque apud Neronem multa gratia polleret, nihil causae fuit cur privato assentaretur, cuius ope nullo pacto indigeret essetque multis de causis illo praestantior.

SILIUS ITALICUS

XXX. Cum Lucano poeta epicus alius floruit, Silius Italicus, quem ex nomine alii ab Italica, Hispaniae civitate, alii vero ab Italica, quae in Pelignorum finibus erat, oriundum fuisse tradunt. Non desunt praeterea qui, non magnopere nomine confidendum esse rati, Romae eum — quibus autem documentis nescio — natum dicant. Cum igitur res satis incerta sit, cuique quidlibet de Silii patria tenere liceat, ne nos quicquam sine causa pro certo docuisse videamur. Vicesimo quinto p. Chr. n. anno, dum Tiberius in Urbe atque imperio saevissime imperitat, ditissimis parentibus ortus est, qui magistris eum, ut primum adolevit, eloquentia erudiendum commiserunt. Divitiis, quae ceteris detrimento esse solebant, cum viam ad magistratus capessendos sibi communivisset, consul eo anno creatus est, quo Nero obiit. Fama ferebat eum imperatoris gratiam prave per delationes quaesivisse; at consulatum ita egregie gessit, ut *maculam veteris industriae* abluisse Plinius testetur. A publicis muneribus sub Traino abiit et cum se in villas, quas in Campania habebat, privatus recepisset, in otio carminibus operam impense posuit. Huic studio intentus beatam reliquam aetatem ad diem extremam egit. Villas atque domus, non bibliothecis modo, sed statuis, tabulis pictis, quas in deliciis habebat, exornavit. Ciceronem prae ceteris et Virgilium inter deos quasi coluit; huius autem natalem diem, victimis ceterisque sacris, *religiosius quam summ celebrare* solitus erat. Senex septuaginta annos natus, taedio vitae affectus, quod insanabili morbo torqueretur, cibum omnem cum respuisset, inedia ieiunioque extenuatus periit.

Plin. III. Epist. 7.

Plin. ibid.

XXXI. In Campaniae secessu decem septem poematis libros composuit, quod « *Punica* » inscribitur. Ex rebus a Romanis gestis etiam ipse carminis argumentum decerpsit,

bellum videlicet Punicum secundum sibi canendum assumpsit, quo magnitudine rerum, clarissimorum ducum virtute, gentium et nationum praestantia, quae de terrarum imperio acerrime decertaverunt, nullum clarissimo poeta dignius inveniri poterat. At Silius mediocri sane angustaque qua fuit res poetice ementiendi facultate, vel etiam scite exornandi illas, quas rerum scriptores soluta oratione narraverant iam, ex maximo bello ineptum poema confecit. Etenim, cum Silius animi ardore atque divino mentis afflatu careat, quo pectora poetarum calefacta exagitantur, minus idoneus est, qui illa mirabilia de re sua cogitet atque sentiat, in quibus posita sunt carminum epicorum decus et granditas. Quam eandem ob causam, cum narrationes, quae in Polybio et Livio perbelle et egregie concinnatae repperiuntur, in suum refert poema propter humile et tenue dicendi genus, quo utitur, non sententiarum modo dignitatem et granditatem una cum animi ardore dissipat et perfringit, quae in Patavino scriptore praestantissima et elatissima sunt, sed rerum etiam ratione illa praetermissa, quam Polybius ad vera statuenda tamquam obrussam graviter adhibet, deteriorem ipsam per fabulas et adminicula ingenua facit historiam, quae veris rebus quam maxime illustratur. Pro magnitudine ergo belli Punici secundi, ex quo miros et incredibiles progressus, quos novimus, res Romana fecit, Silii Italici epicum poema, quod «*Punica*» inscribitur, pedestre penitus est itaque veris huiuscemodi generis carminum luminibus nudum et destitutum, ut vix ab oratione soluta versuum numeris distinguatur. Industria ipsa atque studium, quibus ignes animi et elationem, quae absunt, pensare poeta diligentissime curat, vitia alia nonnulla poemati addunt. Hinc fit ut, si ex Homeri Virgiliique imitatione deos deasque cum hominibus res humanas agentes commisceat, minus commode opportuneque faciat, tempora videlicet si perpendas, in quibus nulla amplius deorum fides et religio manebat. Propter eandem deorum hominumque in

rebus iisdem agendis coniunctionem, quam quidem praeclare in Aeneide Virgilius composuerat, multum de deorum virtute et dignitate detraxit, neque tamen deorum numen et potentiam amplificavit. In veteribus referendis fabulis Virgilium auctorem secutus, Iunonem in poemate inducit, quippe quae Carthaginiensium studiosa, Hannibalem, eorum ducem, acerrimo in Romanos odio inflammet atque ei in pugnis ad Saguntum et Cannas stimulos novos admoveat. Eadem tamen atrocissimi belli qui sit futurus eventus incerta ab Urbe oppungnanda virum non semel deterret, demum in proelio ad Zamam heroem, dum fortissime pugnat, per oblatam Scipionis speciem decipit ea causa, ut fictum hostem hic per devia in arvis sequens in patriae excidio vitam ignarus servet. Romanis contra et Iuppiter et Venus magno studio prosperi adsunt. Ille Romanis in ancipiti sententia de rerum eventu versantibus bene fausteque omnia futura portendit, haec Tonantis animum per illecebras in Romanorum partem inclinantem convertit callidaque mente Poenis exercitibus funestissima Capuae otia suadet. Loci alii plures in Punicis inveniuntur, quos Silius ex Aeneide per imitationem exprimit. In his loci illi numerantur, in quibus aut ex consuetudine poetarum epicorum exercitus utriusque gentis recenset, aut insignia Hannibalis arma describit, aut difficilem descensum quoque ad inferos narrat, aut denique iusta mortuorum funebria et ludos, tempestates, auguria, portenta, cetera huiusmodi monstra memorat vel narratione continua prosequitur. Haec profecto diligentiam luculenter ostendunt, qua Virgilium assidue perlegit et ut deum coluit. Nihilominus, si narrationis aequabilitatem atque structuram poematis inspexeris, ne eum historiam quidem satis egregie scripsisse dixeris. Silium cum Livio XXI et XXII libros de eodem bello perscribente compone; hunc non modo Marte propitio et astante, sed Musis quasi faventibus, mirabiliter et poetice concinentem, illum, Apolline nullo, inepte et submisse narrantem reperies.

Lib. XII. vers. 701-728 conf. cum Aen. II. 589-623.

Lib. XVII. 523 et seqq. conf. cum Aen. X. 611-689.

Lib. III. 570. et seqq.

Lib. III. 557 et seqq. XI. 387 et seqq.

Lib. III. 129 et seqq. VII. 345 et seqq. II. 325 et seqq.; XIII. vers. 400-895.

Silii Italici poema de bello Punico secundo, quod multa saecula in tenebris delituerat, exeso in codice repertum est cum Latinae litterae revirescere coeperunt. Aetate *Petrarchae*, qui de eadem re poema celebratissimum edidit, nondum in lucem venerat. Rei granditate tantum ductus Petrarcha Silii vel aemulator vel victor insciens exstitit. Lib. XVII

XXXII. Poematium, quod modo « *Homerus de bello Troiano* » modo « *Ilias Latina* » vel « *Parva Ilias* » modo etiam, qua de causa nescio, obscurius « *Pindarus Thebanus* » inscribitur, huic quoque Silio a quibusdam eruditis hominibus ut genuinum addictum invenio. Quid vero de eius auctore dicendum sit equidem nescio, et lis adhuc sub iudice pendet. Preclarissima, quae in Iliade narrantur, mille septuaginta versibus hac in epitome enucleantur; quae etsi sicca sit et pedestris nullo artificio illustrata, aetate media, quae dicitur, in scholis legebatur et multis cumulabatur laudibus; nimirum eius lectione maiores nostri, rudiores quidem et inconditi, litteris Graecis omnino iacentibus, mirificas Homeri fabulas novisse poterant, quas nos Graeco sermone legimus. Nunc vero *Parva Ilias*, si comparationem cum Homerica instituas, litterarium pensum ineptum vel discipuli in exercitationem vel ludi magistri in scholarum usum iudicabis.

C. VALERIUS FLACCUS SETINUS

XXXIII. A celebrandis Romanorum rebus, quas novissime gesserant, epicum poema revocandum et vetustissimis fabulis restituendum esse duxit poeta alius, Lucani Siliique aequalis, *C. Valerius Flaccus*, qui *Setinus* cognomine appellatus est. De hoc poeta pauca admodum neque certa memoriae prodita sunt. Patavinum quidam eum fuisse ex Martialis versibus arbitrantur, in quibus spes atque alumnus Antenorei laris vocatur. Antenor, ut poeticae fabulae ferunt, urbem illam

in Italia condidisse dicitur, quae nunc Patavium nuncupatur; alii contra a cognomine, quod poeta adeptus est, a Setia, parvo Campaniae vico, eum originem duxisse credunt; alii denique Romae nobili familia natum putant. Haud minus incertum est, quo anno in lucem venérit, quamquam certo novimus eius adulescentiam in Neronis tempora incidisse. Id ex loco poematis colligimus, cum opus, quod conscripturus est, in prooemio Vespasiano addicit, quem, uno anno interposito, post Neronem imperavisse scimus. Poemate in contexendo, quod «*Argonautica*» inscribitur, cum multis vigiliis totam aetatem posuisset, immatura morte praeventus, Domitiano imperatore, octavo et nonagesimo p. Chr. n. anno obiit, neque opus ad exitum absolvit.

Argonautica

XXXIV. Poematis libri octo, quot reapse composuerat, ad memoriam nostram exstant, quorum postremus inchoatus tantum est, ut poeta illum reliquisse videtur. Attamen ex partium convenientia atque conspiratione earum, quae in poematis structura continentur, eam rerum partitionem sibi eumque ordinem poetam proposuisse suspicamur, ut cuncta narratio decem vel duodecim potius posset contineri libris, videlicet quot Aeneidis sunt. Apollonium Rhodium, qui poema «*Argonautica*» inscriptum in quattuor libros redegit, ducem et auctorem ita secutus est, ut fabulas, quas ille summis, ut dicitur, labiis delibaverat, evolveret atque novis rebus ornamentisque quasi conflaret et dilataret.

Poematis argumentum

XXXV. Notissima de Argonautarum expeditione fabula est, quam iuverit quam brevissime referre. Aeson, Thessalorum rex, cum sibi finem vitae adesse intellegat, filium Iasonem puerulum adhuc, quem ex Alcimede uxore acceperat, Peliae fratri in tutelam commendat, eidemque tradit regnum, ea lege, ut Iasoni, cum primum adoleverit, ex promissis reddat. At Alcimede mater, nullam fidem Peliae habendam rata, filium Chironi magistro alendum committit. Iason vero sub Chironis disciplina aetate, cursu, venationibus corroboratus,

paternum regnum repetiturus domum revertit; audiverat enim fraudem patruum machinari, ut regno potiretur. Hic Iasoni suadet, ut in Colchos ad auferendum aureum vellus iter faciat. Res haud facile factu esse videtur, tum quia ingenti regiones pelago dividuntur, tum quia pervigil draco flammas expirans vellus aureum custodit. Navi ab Argo aedificata, cum principibus Acheorum per mare tum primum temptatum in Colchos ire Iason contendit. Inter navigandum ad Lemnum insulam appellit, ubi ab Hypsipyle hospitio atque thalamo excipitur. Inde profectus, ad Phyneum, regem Paphlagoniae, cursum devertit eumque ab Harpyis, quae locum infestant, incredibili incolarum laetitia liberat. Ad Colchos deinde, mari iterum repetito, cum tandem devenerit, a Medea, huius regionis regis filia—eius amore haec incauta facile capitur—quo modo aeripedes tauros perdomare possit et draconem pervigilem sopire audit. Hac ratione, vellere aureo sublato, clam cum Medea, sociis comitantibus, fugam arripit sospes tandemque in patriam revertitur.

Artificium et genus orationis

XXXVI. Fabulam, quae per se ea est, ut audacia atque temeritate rerum gestarum, novitate locorum, ancipitibus variisque casibus, qui occurrunt, hominum mentes percellat et in admirationem commoveat, poeta noster multa industria et labore, multis sententiarum quasi luminibus distinxit verborumque ornamentis illustravit. Poema hoc, propter dicendi ornamenta, si verborum immanitates quasdam et locutiones nonnullas subobscuriores excipias, Virgilii elegantiam, quam sibi Flaccus ut exemplar imitandum proposuit, copiam et suavitatem Argonauticon apprime reddere et quasi redolere videtur. Eiusdem quoque Virgilii vestigia, ad rationem rei per diverticula exornandae quod attinet, secutum esse ex multorum locorum affinitate quadam luculenter patet; quae similitudo in locorum et itinerum descriptionibus, in morum notationibus deprehenditur, in sententiis et verbis, quae ipse a Virgilii poemate mutuatur. Attamen etsi varium et illustre

poema sit, cum nimia eruditione gravetur, durum alicubi et ingratum fit, nisi qua parte Iasonis sensus animi privatos et muliebres Medeae affectus describit, ut hoc loco:

> *'O decus in nostras magnum ventura penates,*
> *Solaque tantarum virgo haud indigna viarum*
> *Causa reperta mihi, iam iam non ulla requiro*
> *Vellera, teque meae satis est quaesisse carinae.*
> *Verum age et hoc etiam, quando potes, adice tantis*
> *Muneribus meritisque tuis: namque aurea iussi*
> *Terga referre sumus; socios ea gloria tangit.'*
> *Sic ait et primis supplex dedit oscula palmis.*
> *Contra virgo novis iterum singultibus orsa est:*
> *'Linquo domos patrias te propter opesque meorum;*
> *Nec tam nunc regina loquor, sceptrisque relictis*
> *Vota sequor: serva hanc profugae, prior ipse dedisti*
> *Quam — scis nempe — fidem, di nostris vocibus adsunt,*
> *Sidera et haec te meque vident: tecum aequora, tecum*
> *Experiar quascumque vias, modo nequis abactum*
> *Huc referat me forte dies oculisque parentis*
> *Ingerar; hoc superos, hoc te quoque deprecor, hospes.'*

Lib. VIII. vers. 37-53.

Quod si Flacci *Argonautica* cum mirifico Apollonii Rodii poemate componis, de nullo poeta Latino verius, quam de quo loquimur, illam dici posse Ciceronis sententiam videbis, quam de rebus aliis locutus his verbis protulit: « *sed meum semper iudicium fuit omnia nostros aut invenisse per se sapientius quam Graecos aut accepta ab illis fecisse meliora, quae quidem digna statuissent, in quibus elaborarent* ». Adde Quintiliani sententiam, qui aequalis poetae mortem deflens « *multum* » ait « *nuper in Valerio Flacco amisimus* ». Neque quidem iniuria; nam a multis viris, qui nunc sunt, litterarum et antiquitatis peritissimis, poetarum aetatis argenteae propter amorem atque pietatem Iasonis et Medeae, quibus alter in alterum inceditur, Flacco facile palmam tribuunt.

Cic. I. Tusc. I. 1.

Quint. X. Inst. I. 90.

P. PAPINIUS STATIUS

XXXVII. In poetarum numero, qui hac eadem aetate in carminibus epicis operam condendis posuerunt, tempore et laude inferior, afflatu intimo melior, P. Papinius Statius subit in mentem mihi. Hic, Silio vix adulescente, anno p. Chr. n. quadragesimo quinto ortus est; cuius patriam Neapolim fuisse inter omnes fere convenit. At non defuerunt qui, alterius Statii rhetoris patria decepti, Tulosanum eum existimarent, inter quos Danthes in primis poetarum nostrorum, qui vernaculo sermone in suis scripturis usi sunt, facile princeps et lumen. Pater eius P. Papinius Statius fuit, et ipse haud ignobilis poeta et ad carmina praesertim extemporaliter fundenda ingenio paratissimus, qui cum et Graeca et Latina lingua et poetarum omnium notitia maxime valeret, Neapoli primum, tum Romae, pueros publice poeticam et rhetoricam docuit. Hanc ob causam tantum apud Domitianum fama et honore percrebuit, ut multo auro atque corona donatus sit. Ex patris eruditissimi schola profectus Statius noster, quo erat ingenio praestanti navoque, incredibili quadam quasi naturae facilitate, quam citissime versus extemporaliter factitare didicit, quos cum in theatris, vel in certaminibus pronunciaret, magnum in se admirantium clamorem et plausum concitare solebat. Omnibus gratus — Domitiano Caesari carissimus, cui Statius ferociter in orbe dominanti satius necessario est assentatus — in copia rerum atque abundantia Romae diu vixit. Eius felicitatem Claudia, quam ex amplissima familia uxorem duxerat, modestia singulari, verecundia, mariti observantia cumulavit. Quae mulier non virtutibus tantum insignis, sed ingenuis moribus etiam et litteris, in quibus mirum est quantum valuerit, summa laude a rerum scriptoribus celebratur. Cum itaque bene beateque Romae

Stat. III. Silv. 5. 28-31 V. 3. 225-227.

viveret, peracto certamine quodam, ex quo ipse inferior discessit, tantum animo dolorem coepit, ut hanc ob causam Romam reliquerit et in urbem patriam reverterit ratus se solacium inventurum in otio. Ibi cum reliquam aetatem in Claudiae amore et studiis beatam egisset, nonagesimo sexto p. Chr. n. anno vita decessit. Ad haec tempora usque Statii opera supersunt tria. Ex his duo ad genus epicum spectant, quorum primum «*Thebais*» inscribitur, secundum «*Achilleis*» tertium «*Silvae*» ad genus lyricum pertinet.

XXXVIII. In Thebaide bellum illud canit, quod Argivi ad Thebas Boeotias gesserunt, in quo Etheocles et Polynices fratres mutuis vulneribus ceciderunt. Rem ab ingenti Antimachi poemate deprompsit, qui ita longum et verbosum poema scripsit ut, antequam septem duces sub Thebarum moeniis deproeliantes faceret, per viginti quattuor libros rem produxerit. Statium enucleatius narrasse censeo, qui duodecim tantum libris atque integram continuerit, attamen etiam ipse longior est et dicendi genere turgidior. Ceterum argumentum, quod in facinoribus et immanibus et exsecrabilibus totum positum est, fabulis tragicis aptius quam carmini heroico convenientius videtur. Hanc ob causam ex rebus haud satis idoneis epicum poema ineptum prodiit, quod sententiis quibusdam, morum notationibus, deverticulis hic atque illic illustratur. Achilleis, imperfecta cum sit, uno et dimidio tantum libro continetur. In hoc poemate res, quae ante bellum Troianum ab Achille gestae memorabantur, ita concelebrat, ut longe plus in hoc litteratis quibusdam, quam in Thebaide praestare videatur. Praecipuum Statii opus equidem carmina censeo triginta duo, quae propter res diversas Silvas inscripsit. Cursim quidem haec exarata, ut fama fert, et ex tempore nonnulla recitata videntur; nam cum ex repentina et germana quasi animi concitatione proveniant, qua ex inopinato afficitur poeta, domesticorum eius morum imaginem effingunt. Inter haec silvarum carmina

Thebais

Achilleis

Silvae

plurimi illa facienda sunt, in quibus vel parentis funus acerbissime deflet, vel mortem filii luget, quem sibi adoptaverat, vel amicos aegritudine atque angore laborantes solatur, vel iisdem omina fausta dicit. Claudiam suavissime ex Urbe ad se Neapolim fidissimam uxorem hoc carmine invitat:

Libr. V. 3. et 5; III. 3; II. 2; I. 2; III. 2.

Quid mihi moesta die, sociis quid noctibus, uxor,
Anxia, pervigili ducis suspiria cura?
Non metuo ne laesa fides, aut pectore in isto
Alter amor: nullis in te datur ire sagittis,
Audiat infesto licet haec Rhamnusia vultu,
Non datur; et si egomet, patrio de litore raptus,
Quattuor emeritis per bella, per aequora, lustris,
Errarem, tu mille procos intacta fugares;
Non intersectas commenta retexere telas,
Sed sine fraude palam, thalamisque orbata negasses.

III. Silv. 5.

Nonnullis vero in silvarum carminibus ineptiae quaedam, pro consuetudine, quae apud poetas invalescere coeperat, et stultissimae nugae celebrantur. Huc equi et leonis laudationes spectant, quos Domitianus in deliciis habuit, tum psittaci et platani mirificum elogium, quod ad amicum quendam misit, tum denique carmina, in quibus signa, balnea, huiuscemodi describit ineptias. Silvae, diutius cum in bibliothecis sub pulvere multa ignoratae saecula delituissent, in lucem post tempora Danthis erutae prodierunt. Hac de causa Florentinus poeta, dum, Virgilio suo duce, beatas caelicolum sedes purus petiturus sacrum montem excelsum scandit, ubi hominum defunctorum animae malefactorum in vita poenas persolvunt, istorum carminum ignarus, quae ne ab auctoribus quidem noverat, Statium poemata epica tantum memorantem facit:

Libr. I. 1; II. 5; II 3. 4: IV. 6; I. 5; II. 4.

Tanto fu dolce mio vocale spirto,
Che, Tolosano, a se mi trassè Roma,
Dove mertai le tempie ornar di mirto.

Stazio la gente ancor di la mi noma:
Cantai di Tebe, e poi del grande Achille;
Ma caddi in via con la seconda soma.

Dant. XXI. Purg. 88-93.

Equidem, si Silvas novisset, censeo, istarum potius laude quam fama epicorum carminum aeternis caelorum orbibus eum donaturum fuisse. Silvae enim, si in dolore solaciando versantur, amorem in alios et charitatem redolent, quae in Statium Christi fere asseclam occultum deprehendunt.

POETAE MINORES AETATIS ARGENTEAE

Genus epicum

XXXIX. Cum epicis poetis maioribus, de quibus nunc sermonem habuimus, imperatores *Nero* et *Domitianus* mala et ridenda poetarum fama praeter quam scelerum gravi infamia nefandissimorum floruerunt. Primus enim Homericam gloriam aemulandi cupidissimus, poema de Troiano bello componere ausus est « *Troiae halosin* » inscriptum, quod vel in Neapolitano theatro ore suo, vel potius ex Maecenatiana turri incendium Urbis prospectans tragico habitu recitasse videtur. Inepte recitavit et stulte, siquidem Petronius, facetissimus nebulo, qui pluries ei, mea quidem sententia, per iocum assentatus erat, turpiter eundem occulteque in Satyricon loco carpit et ridet. *Domitianus* vero, si Quintiliani nobis iudicio standum sit, poeta maximus fuit. « *Hos nominavimus* » ait — Valerium Flaccum atque Lucanum cum aliis nominat — « *quia Germanicum Augustum* » — qui Domitianus, ut constat, est — « *ab institutis studiis deflexit cura terrarum, paremque diis visum est esse eum maximum poetarum* ». Iudicium sane blandum et mirificum, ut fides adhiberi possit, etiam adulationis nota detracta! Expeditionem, quam ipse in Galliam et Germaniam inchoaverat, in poemate celebrasse videtur, quod publice pronunciavit. In aliquo numero etiam *Saleius Bassus* et *Rabirius* et *Pedo Albinovanus* fuerunt;

Tac. XV. Ann. 39. — Quint. X. Inst. 1. 91. — Suet. Dom. 2.

quorum primus, eodem Quintiliano auctore fide dignissimo, « *vehementi et poetico ingenio* » usus est, cum necdum « *senectute maturuisset* » qui a Vespasiano, ob ingenium acre et elatum, quingentis sestertiis donatus est. *Rabirius* vero et *Pedo* ita carmina epica conscripserunt, ut non eos indignos cognitione et laude Quintilianus idem censeat.

Quint. X. 1. 90.

XXXX. Genus lyricum post Horatium defloruit. Etenim aetate hac, praeter Lucanum, Statium, Martialem, quorum carmina lyrica alio loco recensuimus, poetae provenerunt, quorum opera, cum nullam in se artem atque laudem haberent, perenni temporum oblivione offusa sunt. Supersunt tantum *Calpurnii Pisonis* «*Eclogae*» septem, quae genere potius, quod posteris aetatibus placuit, servatae sunt quam poeticis ornatibus commendarentur. Huic Calpurnio criticis a quibusdam « *Elogium Pisonis* » adscribitur. In poetarum igitur tabulis eorum, quorum opera interciderunt, nomina tantum hinc illinc eruta ex rerum scriptoribus inseram. In his *Caesius Bassus* est, quem non ignobilem omnino poetam fuisse ad suspicandum ducor, eo quod Quintilianus eum post Horatium commendat dignum qui legatur. In his etiam *Tiberius Caesar*, qui « *Conquaestionem de morte Caesaris* » scripsit, *Virginius Rufus*, *Vestricius Spurinna*, *Pompeius Saturninus*, *Sentius Augurinus*, quorum mentio passim in epistulis Plinii recurrit; iisdem accedunt *L. Arruntius Stella*, qui columbae mortem quibusdam in carminibus ita deflevit, ut a Martiale superior Catullo habitus sit; tum *Passennus Paulus*, ex familia Propertii ortus, cuius vestigia secutus, alteram quasi illius imaginem carminibus suis expressit; tum *Nerva Caesar*, qui Tibullus alius ab aequalibus est appellatus; tum *Sulpicia* poetria, Calaeni uxor, quae muliebri quadam elegantia carmina amatoria nonnulla fudisse videtur.

Genus lyricum

Plin. I. Epist. 16 IV., 27.

XXXXI. Spectant ad idem genus fabularum tragicarum loci nonnulli *Senecae*, quibus vel per concinentium cantica, quae Graece chori dicuntur, suos animi sensus, ad quos

atrocitate rerum commovetur lyricorum poetarum more et numeris fundit, vel eundem in modum personarum metus atrocia facinora cogitantium et secum loquentium exprimit. Per chorum audaciam deplorat eorum, qui primi naturam et deos contemnentes vel provocantes se ratibus commiserunt:

Audax nimium, qui freta primus
Rate tam fragili perfida rupit;
Terrasque suas post terga videns,
Animam levibus credidit auris;
. . . .
Venient annis saecula seris,
Quibus Oceanus vincula rerum
Laxet, et ingens pateat tellus,
Tethysque novos detegat orbes;
Nec sit terris ultima Thule.

Sen. Med. Chor. Corinth. act. prim.

Insunt quibusdam in locis sententiae et cogitationes elatissimae, quae, cum a fabulis praecidi possint, res hominum universas et sensus attingunt. Studia vero et affectus, quae hominum pectora vexant, iis pietatis motibus, humanitatis, doloris exornat, quae tragicis in fabulis spectantium animos delectant et permovent, ut, etiam si a Virgilio et Horatio depromat, tamquam propria et genuina e pectore erumpere ad communem condicionem significandam videantur.

Senecae tragoediae

XXXXII. Veniamus, quoniam huc sermone decurrimus, ad genus tragicum, in quo mirum est quantum *Seneca*, qui ex professo philosophorum sapientiam coluit, operae et studii posuerit. Eius enim genuinae novem numerantur tragediae, quae « *Agamemnon* » « *Phaedra* » « *Phoenissae* » «*Hercules furens*» «*Hercules Oetaeus*» «*Medea*» «*Oedipus*» «*Troades*» « *Thyestes* » inscribuntur. Istarum fabularum rem ex perennibus fontibus Graecorum, sive Sophoclis, sive Euripidis, philosophum profecto deprompsisse tituli, nexus, actionis personae ostendunt. Sed exemplaribus, quae sibi sequenda

constituerat, longe inferior Seneca discessit. Etenim auxit rerum immanitatem, neque tantum auxit, sed ad eum illam invexit gradum, ut minus dignam efficeret, quae in mentes hominum caderet. Sermones autem alternos cum ampliores philosophorum disceptationibus atque turgidiores fecisset, vim tragediae, quae in actione expeditissima et cito ad epilogum properante posita est, vel multis dissipavit verbis, vel penitus dispersit. Rerum contextus non semper unus est; interdum unitate caret; neque in agendo et in colloquendo sibi usque constantes personae; animi motus concitatius et ardentius expressi vel hominum naturam satius necessario praetergrediuntur, vel fuco atque pigmento exaggerantur, ut oratorem potius, quam poetam decere videantur. Hac igitur de causa plurimum, ut diximus, in fabulis tragicis istiusmodi concinentium carmina laudantur et loci illi pulcherrimi, in quibus personae, sapientissimi et divini cuiusdam hominis instar, de humanis rebus et eventibus, astante atque audiente theatro, secum disputant et tamquam si eos, qui audiunt, edoceant, sermocinantur. Nihilominus, cum ex veteribus tragoediis versus aliquot vix supersint, insigne Romanorum ingenii praebent documentum, ex quo colligimus in genere tragico non inepte Romanos, dummodo voluissent, elaborare potuisse. Senecae diu a nonnullis inscripta fabula alia est « *Octavia* » quae, cum tota Romana sit, praetexta dicitur; eam tamen translaticiam et suppositiciam credo, quia, ceteris ratiocinationibus praetermissis, quae optimae sunt, omnis ambigendi causa hac una re praeciditur, quod Neronis in ea mors distinctis et apertissimis rerum indiciis adumbratur, quae nos probe vetent, quominus fabulam conscribi potuisse cogitemus ante imperatoris mortem. Nero enim, ut scimus, tribus annis post Senecam obiit.

XXXXIII. In fabulis tragicis recitandis potius quam in scaenis agendis cum Seneca nonnulli alii incubuerunt, in quorum numero recensendi sunt *Lucanus*, qui fabulam

« *Medeam* » inscriptam inchoavit neque perfecit, *Faustus*, *Paccius*, *Rubrenus Lappa*, *Varro*, *Bassus*, *Scaevus Memor*, quorum mentio apud rerum scriptores atque grammaticos est; denique *Pomponius Secundus*, qui quidem, Quintiliano testante, omnium longe princeps, eruditione atque nitore omnes praestitit. Ad fabulas comicas *Sordinus Vergilius* et *Romanus*, quantum novimus, se contulerunt, quorum alter palliatas et, qui mimiambi dicuntur, edidit. Ceterum, cum circorum ludis atque spectaculis homines aetatis, de qua loquimur, vehementissime delectarentur, conditiones illae defecerunt, concursus videlicet civium in theatra et plausus, quae tum ingenio et naturae, tum studio hominum vitia ridendi stimulos addere possent, si eorum quid tristissimis in rebus ad id tempus ex vetere libera civitate reliquum esset.

Quint. X. Inst. 1. 98.

XXXXIV. Genus autem, quod didascalicum dicimus, a *Claudio Germanico Caesare* excultum est, qui « *gloria Pieridum summa* » fuisset, nisi eum a litteris multa munera publica prohibuissent et ei vita suppeditavisset; triginta enim quattuor annos natus Antiochiae obiit, non sine suspicione veneni opera Cn. Pisonis propinati, atque, ut opinio tulit, Tiberii fraude, qui eum prius in filii locum Augusti iussu susceperat. Eius saepe non sine laude Tacitus in Annalibus meminit. Apud Svetonium vero de eo haec verba leguntur: « *Omnes Germanico corporis animique virtutes et quantas nemini cuiquam contigisse, satis constat: formam et fortitudinem egregiam, ingenium in utroque eloquentiae doctrinaeque genere praecellens* ». « *Oravit causas etiam triumphales, atque inter cetera studiorum monumenta reliquit et comoedias Graecas* ». Ex his nunc « *Phaenomena* » exstant, quae cum ex Arato libere atque egregie vertisset, Ciceronem, qui eidem poemati Latine reddendo, ut supra diximus, impense operam posuerat, superasse certissimum est. Hanc ob causam hoc poemate prae Ciceroniano magistri in scholis utebantur, ut discipulos caeli dimetiendi artem docerent.

Genus didascalicum

Ovid. IV. ex Pont. 8. 70.

Tac. II. Ann. 69-73.

Suet. Cal. 3.

Eiusdem Germanici « *Prognosticorum* » fragmenta supersunt atque epigrammata. Etiam de sideribus poema aliud est, quod « *Astronomicon* » inscribitur, a *M. Manilio* confectum. Hic Augusto imperante natus, aetate quae subsecuta est, floruisse videtur. Non defuerunt grammatici tamen, qui eum non Romanum, sed peregrinum dicerent, eiusque aetatem ad Arcadii Honoriique tempus transferrent. Poema quinque libris constans, quorum postremus inchoatus tantum est, rem omnem pertractat, quae ad caelum et sidera pertinet. In primo enim libro, quae caeli figura sit atque forma docet, in secundo duodecim signorum orbem describit, ex quo, sideribus nataliciis inspectis et perpensis, hominum singulorum auguria capiuntur, vel per siderum influxiones futurarum rerum eventus indagantur. Quamvis res ea sit, quae « *ornari ipsa neget contenta doceri* » nihilominus eam et prooemiis in unoquoque libro exordiendo pulcherrimis illustravit, et fabulis, descriptionibus, in quas opportune devertit, multifariam variavit, et modo vera, quae sint, homines edocens, modo falsa et superstitiones refellens, praeceptis et philosophorum sententiis poetice exornavit. Hac igitur rei obscurae et reconditae pertractandae ratione usus, varium, iucundum, eruditum poema exaravit, in quo tantum elegantiae Virgilii tantamque Lucretii vim atque artem deprehendere credas, ut dicendi genere et stilo illorum temporum haud indignum esse videatur. Ceterum, si verba quaedam excipias, quae poeta ex Graeco sermone mutuatur et excudit, ut res omnes suis certis atque propriis vocabulis nominentur, eius locutio purissima est et vere Latina.

III. Astron. 39.

XXXXV. Cum his etiam *Caesius Bassus*, quem paulo supra in lyricorum poetarum numero memoravimus, poema ad docendum aptum coluit. In poemate enim, quod « *De Metris* » inscribebatur, ut ex titulo ipso colligitur, artem versuum condendorum pertractavit. Hunc, tum argumento, tum rerum partitione, Terentianus Maurus Africus secutus

esse videtur, qui postea, ut suo loco dicturi sumus, vario carminum genere, de litteris, syllabis, pedibus, metris poema conscripsit. Claudii autem Neronisque aetate Senecae aequalis floruit *L. Iunius Moderatus Columella*, Hispanus origine, Gadibus ortus, qui cum rem rusticam omnem sermone soluto pertractare in opere instituisset, quod libris duodecim continetur, decimum librum « *De cultu hortorum* » cum esset scripturus, versuum Virgilii horum meminisse videtur:

Verum haec ipse equidem, spatiis exclusus iniquis.
Praetereo, atque aliis post commemoranda relinquo

Virg. IV. Georg. 148-149.

eiusque rogatu arcessituque de hortis librum quadringentis triginta quattuor versibus exaravit. Itaque partem prosecutus, quam Virgilius reliquerat, longe eo inferior fuit, quippe qui praecepta omnia similiter atque uno usque modo exposuisset; nihilominus temporum rationem si habeas, peregrinus cum esset, nitide atque eleganter quam qui maxime locutus est. Columellae etiam singularis exstat liber, qui ex re ipsa, de qua in eo agitur « *De arboribus* » inscribitur.

Poematium Aetna inscriptum

XXXXVI. Poema « *Aetnam* » inscriptum, quod exstat, multis auctoribus attributum invenio; alii enim Cornelio Severo illud proprium addicunt, cuius supra sermo fuit, alii contra Manilio inscribendum volunt; alii *Lucilio Iuniore* assignant argumentis, mea quidem sententia, probabilioribus usi. Etenim cum Lucilius hic iunior Siciliae procurator sub Nerone fuisset, Aetnae diutius visendi facultatem habuit, itaque usu atque experientia edoctus, ineptas fabulas esse ostendere potuit, quae de Vulcani officina, de Cyclopibus, de Iovis fulminibus, de Encelado, passim a poetis tradebantur. Ceterum poema a Lucilio fuisse confectum ex Senecae loco colligitur, in quo philosophus amicum hortatur, ut de hac re carmina condat. Hoc poematium, quod sexcentis amplius hexametris versibus constat, re ipsa singulare cum sit atque novum, stilo quoque et orationis forma commendatur, quae

Senec. Epist. 79. 5.

aurea aetate non indigna videntur, et iis verborum laudibus versuumque commendatur, ut non defuerint, qui poema inscribendum esse Virgilio putaverint.

XXXXVII. Hic denique poetarum huius aetatis recensionem peragenti, *Turnus* et *Sulpicia* in mentem occurrunt, qui cum maioribus illis, quorum paulo supra mentionem fecimus, satiras haud gratas temporibus scripserunt. Turnus igitur Suessae in eadem Lucilii patria natus, cum municipem sibi auctorem praecipuum imitandum constituisset, se « *ad satiras ingenti pectore contulit* ». Eius praeter versus duo obscuri — sunt enim corrupti et a germana profecto dictione mutati — in quibus de muliere venefica loquitur, Locusta nomine, quae sub Nerone fuit, nihil aliud ad nostram exstat memoriam. Etenim fragmentum triginta versibus heroicis constans, quod sub eius nomine aliquandiu circumlatum est, a Balzachio quodam Gallo exaratum esse inter doctos viros omnes hodie convenit; quibus quidem versibus eruditos homines, qui cum eo erant, equidem eum decipere voluisse censeo, immo coniectura ad suspicandum ducor sub veterum poetarum specie celatum poetis irrisisse, qui aequales erant. Multos post annos Turnum adhuc in honore fuisse ex loco Rutilii Namatiani colligimus, in quo eius nomen cum Iuvenale coniunctum memorat. Sulpicia autem haec, de qua nunc loquimur, eadem est, quam in lyricorum poetarum tabulas supra rettulimus. Huic enim poetriae satira illa a nonnullis criticis inscribitur, sermone alterno confecta, qua conqueritur, quod Domitianus philosophos et sapientissimos homines in exilium misisset; in istorum numero poetriae vir fuerat.

Mart. XI. Epigr. 11. 1.

Rut. I. De red 609.

RERUM SCRIPTORES

XXXXVIII. Mihi solutae orationis rerum scriptores recensuro A. Cremutii Cordi imago in primis occurrit, non eius nominis tantum suavitate invitato, quod ex corde cadit,

sed acerbi memoria fati commoto, cui vir innocentissimis moribus ornatus ob Tiberii atque Seiani invidiam succubuit. Ex stoicorum scholis *Cremutius Cordus* profectus, quo animo erat natura aperto candidoque, historiarum libros quosdam confecit, in quibus bella civilia narratione continua prosecutus, cum de imperii origine satis libere disseruisset atque sermonem ad suam aetatem usque produxisset, quaedam exposuit, quae aliquid de Seiani laude detrahere visa sunt; videlicet vir praeclarissimus potius ingenio quam temporibus indulgens, cum, Tiberio dominante, nulla liberae reipublicae vel species vel umbra maneret, verum et vitae decus gratia longe pluris facienda esse censuit. Maiestatis itaque crimine accusatus est, quod in annalibus laudibus maximis Brutum cumulavisset Cassiumque, qui Caesarem necaverat, *ultimum Romanorum* appellasset. In manibus nostris oratio est, quam Tacitus refert, pulcherrima et constantissimo homine digna, qui, cum sibi supplicium parari intellexisset, nequissimis quibusdam Seiani clientibus prolatis testibus, ad Tiberium ita locutus est, ut non pro se, cuius nihil ex turpissima vita migrare interesset, sed pro dignitate poetarum, rerum scriptorum, oratorum, pro hominum quidlibet scribendi facultate defendenda dicere visus sit, quae, cum divinitus data sit, nullo ab homine hominibus potest denegari. Quam defensionem cum truci vultu a Tiberio excipi vidisset, sibi moriendum esse certior factus, causam suam peroratione nobilissima in memoriam posteram commendavit. « *Suum cuique* » inquit « *decus posteritas rependit. Nec deerunt, si damnatio ingruit, qui non modo Cassii et Bruti sed etiam mei meminerint* ». Singularia quidem atque divina verba! quibus sibi mox nominis immortalitatem perituro non uni, sed etiam libris, quos conscripserat, superfuturam esse praesagivit. Habita hac oratione, senatu egressus, vitam abstinentia finivit; at patres in imperatoris libidinem procliviores facti, Cremutii libros per aediles cremandos censuerunt. Attamen cum a

Cremutius Cordus veterum Romanorum imago.

Tac. IV. Ann. 34

Marcia filia eorum exemplar esset occultatum indeque ex illo nonnulla alia essent transcripta, clam in liberorum hominum manibus primum esse coeperunt, deinde, cum Tiberius mortuus esset, ab imperatore in lucem eos edendi facultas data est, dummodo sententiae quaedam ex iis circumciderentur « *quae dixisse ei nocuerat* ». Sed quos libros filiae pietas in patrem servaverat, incuria hominum saeculis, quae subsecuta sunt, interciderunt. Quo autem animo suas exaraverint historias *Seneca Maior*, *Aufidius Bassus*, *Servilius*, *Nonianus*, qui cum eodem Cordo aut paulo post vixerunt, nullo modo suspicari possumus. Operum enim eorum nullum exstat fragmentum, neque de iis iudicium scriptorum manet.

Quint. X Ins. I. 104; Sen. Cons. ad Marc. 22; Suet. Tib. 61.

XXXXIX. Assentandi vero consuetudini, cuius monumenta insignia iam Senatus ediderat, *M. Velleius Paterculus*, non indulsit modo sed penitus inservivit. In hoc homine magnum fuit dedecus, arbitror, Hirpinis gentibus, qui, ita blandum et molestum in historiis conscribendis se assentatorem exhibuit, ut cernas eum vitio depravatae voluntatis a stirpe sua degeneravisse, quae multis annis ante patriae libertatem una cum Samnitibus ad civitatum internecionem omnium defendisset. Eclani natus Velleius est, anno, ut videtur, a. Chr. n. undevicesimo. Tribunus militum factus in Thracia et Macedonia fuit; inde cum Romam revertisset, praefectus equitum renunciatus Tiberium arma in Germanos ridicule inferentem secutus est. Deinde quaestor fuit, Tiberii legatus, demum praetor. Libros duo « *Historiae Romanae* » inter munerum otia, brevi tempore et celeritate qua potuit maxima exaravit, ac si occasione rerum narrandarum ideo uteretur, ut multa in operis fine de Tiberio uno esset praedicaturus. In libro priore, cuius initium interiit, res gestas multarum gentium summatim perstringit et cursim incunabula Romanorum exponit; in posteriore res ceteras ita narratione prosequitur, ut, cum ad memoriam recentiorem proprius accedat, eas aliquomodo dilatet atque amplificet.

Historia Romana

Attamen periochas non certo historias conscripsit, quamquam passim in narratione inveniuntur iudicia, quae de poetis, de rerum scriptoribus, de Homero, de Hesiodo, de Cicerone profert, vel de quibusdam viris, quorum mores insculpit. Virorum clarorum imagines, Scipionis Aemiliani, Mithridatis, Marii, Pompei, Caesaris, Maecenatis, Catonis Uticensis propriis lineamentis et coloribus effinxit et ad veri similitudinem mirum in modum expressit. Ad genus dicendi quod attinet, Sallustium sibi ut exemplar proposuit, ideo locutio elegans eius est et Romana, floridior atque turgidior, ut oratoriam potius quam historicam referat orationem. Velleium traditum fama est Tiberii ipsius iussu esse interfectum, quod una cum Seiano coniurationem fecisse deprehensus est.

Dictorum et factorum memorabilium libri

L. Cum hoc *Valerius Maximus* floruit, qui Tiberii adulandi studio Velleium aemulatus est, minore tamen ingenii atque litterarum laude. Amplissimo genere Romae natus, postquam cum Sexto Pompeio militavit, in Urbem reversus, a muneribus liber in legendis condendisque libris reliquam aetatem consumpsit. Ex multa sive Romanorum sive Graecorum lectione profluxere «*Factorum et dictorum memorabilium libri IX*» in quibus clarissimorum hominum imagines, ut in tabulis pictis adumbratae, res gestae memoria dignae, sententiae et praecepta continentur, ex quibus iucundum, utile, leve opus ad legendum efficitur. Rerum mirabilium narratione potius quam verarum consideratione homines delectare cum unum sibi statuisset, nulla aut veritatis, aut etiam credibilitatis habita ratione, mirifica et singularia ex historiis collaticios in libros transtulit. Ne tamen rerum silvam confuse et permixte colligeret, ordinem quendam ex rebus affinitate coniunctis sibi sequendum praestituit. Hac de causa res alias ab aliis diversas in libros singulos digessit. Itaque in tabulam aliam, quae spectant ad religionem, rettulit, in aliam, quae de auspiciis tradebantur, in aliam somnia praeclarissima, quae commemorabantur, in alias denique res ceteras huiusmodi,

quae homines percellunt. Cum non minus rerum novitate, quam orationis genere et artificio placere studeat, iis rhetorum ornamentis, sententiis, declamationibus, floridioribus fucatisque verborum coloribus, simplicia etiam, quae natura sua sunt, decorat et exaggerat, ut non minus propter haec nimius, gravis, molestus fiat, quam propter consuetudinem domui Augustae foedissime assentandi taedium ad satietatem ingeneret. Quarto p. Chr. n. saeculo, multis ex opere Valerii Maximi resectis et amputatis, *Iulius Paris* cetera in epitomen redegit, pauloque post idem *Ianuarius Nepotianus* egit, qui res novavit et variavit, ut longe satius ab auctore discesserit.

LI. Mirifica etiam facinora, quae hominum mentes animumqne moverent, cum sibi *Q. Curtius Rufus* invenire constituisset, oculos in Alexandrum Magnum defixit, cuius mirum est quot et quantae res gestae fabulis mirabilibus tradebantur. De aetate, qua Q. Curtius Rufus fuerit, satis inter eruditos homines disputatum est neque lis adhuc composita; alii enim eum ad Augusti aetatem arbitratu suo et nulla sane ratione referunt; alii autem ad Traiani tempora, alii plures ad aetatem Vespasiani. Neque defuerunt, qui Theodosii vel Constantini memoria eum vixisse arbitrarentur, aut etiam qui, in opinionum discrepantia, Rufum fuisse infitiari posse rati, eius historias a viro Italico, postquam Latinae litterae renovatae sunt, concinnatas dicerent. Cum causa nondum satis certis argumentis diudicata sit, iis equidem assentiri posse censeo, qui in Claudii aetatem Rufum putant incidisse. Hoc enim tempore Curtios Rufos duos vixisse certissimum est, quorum alter in Africa consul cum esset, senex multos annos natus obiit, alter huius filius, quem rhetorem illum esse credo, cuius apud Suetonium mentio est, res gestas ab Alexandro scripsisse videtur.

Tac. XI. Ann 21.

LII. Res gestas decem libris narravit, quos « *Historias Alexandri Magni* » inscripsit; eorum, amissis prioribus atque extrema libri decimi parte, ceteri exstant et cupide leguntur.

Historiarum Alexandri Magni libri

Non eos ad certam rerum fidem exegit, quamvis optimis usus sit auctoribus, inter quos Pompeius Trogus praecipuus est recensendus, sed ea ratione confecit ut, qua erat incredibili mentis celeritate, res veras amplificando, vel multis fabulis miscendo, quasi floridius pabulum sereret, ex quo non mediocrem, qui legerent, voluptatem animo capere possent. Hinc fit ut mira et nova et portentosa utcumque de Alexandro in fabulis tradita, quae hominum mentes incredibilitate ipsa movere solent, vividioribus coloribus depingat, praetermittat contra vera, quae de illo memoratu dignissima tradebantur. Testes deverticula sunt, in quae inter res narrandas facile excurrit, locorum descriptiones, contiones et illustriores sententiae, quibus rem variat et novat; testis etiam stilus est atque orationis forma Milesiis fabulis quam historiae magis idonea tropis poetarum atque figuris distincta lucescentibus.

C. PLINIUS CAECILIUS SECUNDUS

LIII. In rerum scriptorum tabulas, quas nunc conficimus, etiam referendus est C. Plinius Caecilius Secundus qui, ut probe a nepte eiusdem nominis distinguatur, *Maior* vel *Senior* saepius dicitur. Vir enim hic, quamvis litteratis hominibus notior sit propter variam et multiplicem doctrinam, quam in naturalis historiae libris exposuit, haud obscurior esse aequalibus historiarum debuit laude, quam fuisse summam suspicamur. Comi, in Galliae Transpadanae urbe, tertio et vicesimo p. Chr. n. anno ortus, Romam vix adulescens cum venisset, causas in iudiciis agere coepit. Deinde praefectus equitum creatus in Germania primum, in Gallia Narbonensi deinde versatus est, quoad eum Vespasianus revocavit, ut negotia et munera tum militaria tum civilia ei administranda committeret. Classi praeerat, ad oras Miseni legendas, cum Vesevi montis incendium factum est, quod Pompeios ignibus,

saxis liquefactis, cineribus obruit. Plinius rei illius novitate commotus, quo facilius causas eius cognosceret atque pervestigaret, ita prope flammas cupidior accessit, ut nimio ignis calore fluminis instar ex monte profluentis combustus, sextum quinquagesimum aetatis annum agens se ipsum abstrusis rerum miraculis devovens nobilissimum vitae finem invenerit.

LIV. Philosophiae naturalis et ceterarum disciplinarum scientiam, qua unus Romanorum insignissimus fuit, multa lectione atque rerum pervestigatione comparavit. Otio atque tempore, quod inter munera administranda studiis non impendisset, male se usum esse censebat, subsecivas horas atque vigilias multas, ut ingenio suo indulgeret, ad studia quotidie conferebat. Hac instituta vitae ratione incredibile est quot non modo aliorum volumina perlegerit et pervolutaverit, sed etiam quot quantaque ipse conscripserit. Librorum atque scriptorum elenchos sive Romanorum sive Graecorum, quos legit, tot in primo « *Historiae naturalis* » libro exhibet et alligat, qui non una, sed multis bibliothecis vix capi possint; inscriptiones librorum, quos Plinius confecit, ex ipsius neptis recensione novimus. Ad genus historicum, praeter libros duo « *De vita Pomponii Secundi* » qui in fabulis tragicis edendis versatus est, opera duo pertinebant, quorum primum « *Bellorum Germaniae libri XX* » inscribebatur, secundum « *A fine Aufidii Bassi libri XXXI* ». In prioribus, quae cum gentibus Germanis populus Romanus bella gesserat, memorabantur; in posterioribus res gestae eorum imperatorum narrabantur, qui in eius aequalem memoriam inciderant. Quod autem opera haec interciderunt, doctos homines et totius antiquitatis investigatores hac de causa quam maxime piget, quia, si exstarent, Taciteis cum narrationibus fieri posset comparatio, ex qua haud parum luminis ad res illas obscuras illustrandas proveniret.

Mira viri industria

Plin. Iun. III Epist. 5.

Historiarum libri

LV. Ex eadem librorum enumeratione, quam in neptis epistula esse diximus, iis etiam disciplinis eruditissimum

Libri de rebu ad grammacam spectantibus

fuisse Plinium colligimus, quae ad provinciam litteratorum hominum et grammaticorum spectant. In libris tribus, qui « *Studiosi* » inscribebantur, rhetorum artem pertractabat. Quaestiones et disputationes, quae inter eruditos de sermonis formis et nexibus fiunt, qua ratione nomina et verba iis sint immutationibus subicienda, quas flexiones appellamus, quo pacto vocabula ab aliis vocabulis cadere et provenire dicantur, quibus verborum ambitus connectendi legibus sint, variae verborum interpretationes «*Dubii sermonis octo libris*» continebantur. Rem etiam militarem attigit; nam librum unum «*De iaculatione equestri*» confecerat, cum in Germanis militiam faceret, qui in proeliis equis utebantur. Hic quoque «*Electorum commentarii centum sexaginta* » nominandi sunt, in quibus diversas res et varias notatu dignas ex veterum auctorum scripturis ea mente decerptas collegerat, ut singulas postea pro uniuscuiusque specie in singulos libros referret.

LVI. His praestantissimi ingenii monumentis deperditis, una tantum philosophiae naturalis laude Plinius celebratur; neque immerito, inquam. Prae manibus enim omnium sunt volumina, quae « *Naturalis historia* » inscribuntur, ponderosa sane atque aspera, quae « *nec admittunt excessus aut orationes, sermonesve, aut casus mirabiles, vel eventus varios, non alia iucunda dictu, aut legentibus blanda, sterili materia* ». Rei auctor arduae conscius animadvertit iter sibi ineundum esse, quod nemo ante trivit. « *Nemo* » inquit « *apud nos, qui idem tentaverit, nemo apud Graecos, qui unus ea omnia tractaverit* ». Cum omnia hoc uno in opere attingat, quae ad artium et disciplinarum descriptionem pertineant, optimo iure « ἐγκυκλοπαιδείαν » quandam ille composuisse dici potest. Ex ingenti rerum silva, quam undique congessit, liceat nobis videre quae praecipua sint, atque hunc in locum, si fieri poterit, summatim atque breviter referre, quo facilius viri singulare ingenium et industria summa perpendantur.

Plin. in prooem. Nat. Hist.

LVII. Confectis itaque tabulis, quae in primo libro sunt,

et scriptorum et librorum, ex quibus, tamquam ex fontibus, notitias illas haurit, quas ad praestitutum ordinem exigit, in libris, qui ad sextum sequuntur, de mundi caelique natura plura et pulcherrima docet. Cum caelum Deum ipsum esse dicat, cuius numen in spatiis infinitis sentimus, multa de caeli forma atque motibus disceptat, de stellis sideribusque, de dimetiendorum astrorum arte, de solis luce, de tenebris nocturnis, de caelestibus ceteris, quae ex illis proveniunt. Deinceps oculos ad terrarum orbem devertit, cuius aequora, regiones, montes, flumina, ac si omnia ipse peragraverit, describit, adiectisque quibusdam de imbribus, de ventis, de rebusque omnibus aliis, quae in aere fiunt, populos quoque, qui id temporis terras incolebant, omnes recenset, multaque eruditione eorum originem, mores, instituta atque religiones exponit. Pars vero praecipua et quasi totius operis caput, libris continetur tredecim, qui accedunt. In his enim — utar auctoris verbis — *rerum natura, hoc est, vita narratur* quae in hominibus viget, in animalibus, in iis, quae e terra proveniunt. Quae hominum generis stirpes sint, quae formae corporum et figurae, qui aspectus et colores, distinguit et explanat; item facultates, mentem, rationem, sensus indagat, quibus homines ad intelligendum et ad sentiendum utuntur. Multa de iis, quae ad hominum mores spectant, edocet; virtutes, vitia enumerat, instituta, ex quibus bene constitutae civitates, artes sordidae et liberales oriuntur, quorum auxilio cum cibum, potum, cetera necessaria homines comparaverint, vitae cultum, deliciis atque commodis inventis, suae quisque naturae consentaneum effingunt. Ad genus inde animantium, quae ratione carent, sermonem deducit atque in species terrestrium, aquatilium, volucrium, insectorum partitur. Habita utilitatis ratione de animantibus disputat; quae ad vescendum, ad vehendum, ad corpora vestienda maximo usui sunt, ab iisque distinguit, quae vel venenis vel immanitate nocent. His pertractatis, ad philosophiae naturalis partem

Naturalis historiae argumenta

Plin. in prooem. Nat. Hist.

Infinita rerum silva et notitia

transit, quae in iis pervestigandis posita est, quae e terra gignuntur. Duplex istarum species est, altera arborum, altera herbarum; ex illis aliae sativae sunt atque frugiferae, aliae silvestres, aliae peregrinae, omnes diversas ob causas hominibus utilissimae. quae fruges, ligna, unguenta suppeditent. In multitudine herbarum sunt, quae sponte sua e terris ortae pabula animantibus praebent, aliae sativae, quas in agris cultis homines serunt, ut messem inde faciant. Hinc suum iter retrorsum quasi relegens, rerum usum omnium, de quibus hactenus locutus est, per tredecim libros, qui ad trigesimum alterum sequuntur, ea mente inspicit, ut rationem edoceat, qua ex herbis, ex floribus, ex stirpibus, ex animalibus, ex medicatis aquis, remedia et medicinae confici possint ad sanandos varios corporum hominum morbos satis idonea. Tertiam rerum naturalium partem, quae in metallorum, pervestigatioue versatur, quinque postremis libris explet, in quibus de metallorum generibus et natura agit, de auro, de argento, de aere, de ferro, de ceteris huiusmodi, nec non de marmoribus, de argilla, de gemmis, de artibusque et rationibus hominum, qui illa in terris abdita inveniunt inde eruunt et tractant. Loci quidam delectationis et pleni notitiarum sunt, ut ii in quibus pingendi insculpendique artem exponit; rem gravem recordatione variat virorum, qui mira artis architectonicae opera exstruxerunt, vel tabulas pinxerunt, vel signa deorum et statuas insculpserunt. Placet mihi mirificum Italiae elogium ex tertio libro referre: «*Nec ignoro ingrati ac segnis animi existumari posse merito si breviter atque in trascursu ad hunc modum dicatur terra omnium terrarum alumna eadem et parens, numine deum electa, quae caelum ipsum clarius faceret, sparsa congregaret imperia ritusque molliret et tot populorum discordes ferasque linguas sermonis commercio contraheret ad colloquia et humanitatem homini daret, breviterque una cunctarum gentium in toto orbe patria fieret. Sed quid agam? tanta nobilitas*

Plin. III. Nat. Hist. 5.

omnium locorum — quos quis attigerit? — tanta rerum singularum populorumque claritas tenet, urbs Roma vel sola in ea et digna tam iam festa cervice facies quo tandem narrari opere? qualiter Campaniae ora per se felixque illa ac beata amoenitas, ut palam sit uno in loco gaudentis opus esse naturae? Iam vero tota ea vitalis ac perennis salubritas, coeli temperies, tam fertiles campi, tam aprici colles, tam innoxii saltus, tam opaca nemora, tam munifica silvarum genera, tot montium adflatus, tanta frugum vitiumque et olearum fertilitas, tam nobilia pecudi vellera, tam opima tauris colla, tot lacus, tot amnium fontiumque ubertas totam eam perfundens, tot maria, portus gremiumque terrarum commercio patens undique et tanquam iuvandos ad mortalis ipsa avide in maria procurrens. Neque ingenia ritusque ac viros et lingua manuque superatas commemoro gentes. Ipsi de ea indicavere Grai, genus in gloria sua effusissimum, quotam partem ex ea appellando Graeciam magnam! ».

LVIII. Virum omni doctrina abundantem et excultum in his voluminibus se nobis Plinius exhibet, qui infinitam prope rerum varietatem, quam carptim ex bis mille amplius auctoribus et Graecis et Latinis deprompserat, ad rationem quandam et conformationem doctrinae primus exegit, mirabilique ordine et nexu abstrusa omnia et recondita veteribus hominibus non collegit modo, sed « *vetustis novitatem dedit, novis auctoritatem, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubiis fidem, omnibus vero naturam, et naturae suae omnia* ». Res sane ardua temporibus illis. Neque item ignoro multa, quae Plinius tradidit, satis inepte scripta hodie videri, at cum novis cognoscendis rebus doctrina crescat in dies, multa etiam eorum, quae nos nunc certa atque vera credimus, falsa in posterum fortasse reperientur. Hoc itaque vitium hominum potius conditioni ascribendum est, qui rerum in tenebris latebras indagant, quam Plinii ingenio tribuendum, qui cum rerum naturalium scientia iaceret, eo veritatis

Plin. in prooem. Nat. Hist.

studio flagravit, ut in vero quodam ardentius perscrutando amiserit vitam. Ceterum vir praestantissimus, si qua repudianda reliquit, laude orationis ea profusius pensavit; quae quidem oratio ea est, ut mirum fortasse videatur, in opere tam vario tamque eruditionis pleno, etiam cum rusticis verbis, externis, barbaris, a rebus ipsis uti cogatur, auctorem non Latinum modo colorem servasse sed perspicuitatem atque elegantiam, quae in scriptoribus aequalibus desiderantur.

P. CORNELIUS TACITUS

LIX. Atrocissima imperatorum facinora apud memoriam posteram infamiae nota P. vel G., ut Sidonius opinatur, Cornelius Tacitus commendavit, qui insigne et praestantissimi animi monumentum tum edidit, cum Latinae litterae in principum adulationem foedissime prolapsae eorum etiam qui in omne genus crudelitatis eruperant, cum pristina dignitate amiserant decus et nomen. At iacentem Tacitus populi Romani conscientiam et libertatem in se unus erexit atque tragico in tyrannos odio commotus, quod tristissimo multorum silentio annorum aluerat, maximum historiae sonum vocis addidit atque ad veritatis officium unus revocavit. Hanc ob causam in eius imaginem, quam quidem ex Annalium lectione animo concepi atque effinxi, mihi saepenumero mentis oculos defigenti ex optimis liberae reipublicae temporibus miraculo quodam in corruptissimam aetatem demigratus ille videtur; indeque munere et officio perfunctus, quod ipsi immortales viri demandaverant, insciis quasi hominibus, ad sedes suas devertisse. Etenim, cum pauca admodum sint, quae eius aequales nobis de eo prodiderunt, neque qua urbe, neque quo sit certe natus anno, hactenus novimus; etsi non desint recentiores nonnulli, qui ad annum p. Chr. n. quintum quinquagesimum, Interamnae quidem, eum esse ortum probare

conentur, causa ea praesertim innixi, quod in maioribus suis historicum hunc nostrum M. Claudius Tacitus recensebat, qui bis centum post annos imperator fuit. De se ipse autem Tacitus haec protulit: « *Mihi Galba, Otho, Vitellius nec beneficio nec iniuria cogniti: dignitatem nostram a Vespasiano inchoatam, a Tito auctam, a Domitiano longius provectam non abnuerim* ». Quibus, ut patet, verbis honorum cursum adumbrat, quem perfecit. Ad munera publica imperatorum potius voluntate quam studio suo adductus a Vespasiano ad vigintiviratum arcessitus esse videtur, qui ineunte modo adulescentia accipi solebat; post autem, Tito imperante, ad quaesturam gradum fecit, quae sibi aditum praebuit ad senatum; deinde propter Vespasiani favorem aedilitatem vel tribunatum plebis adeptus est, altius postremo, auctore teste, ad praeturam provectus; anno autem p. Chr. n. septimo nonagesimo exeunte, consul suffectus renuntiatus est et ex consuetudine T. Verginium laudavit, qui tunc de potestate decedebat. Uxorem Iuliam, Agricolae filiam, habuit, quam illi iuveni pater desponderat, sed non ante consulatum collocavit.

Tac. I. Hist. I

Tac. XI. Ann. 11; Plin. II. Epist. 1. 6.

Tac. Agric. 9

LX. Adulescentulus in rhetorum disciplinas industria summa incubuit, in foroque esse coepit oratores, qui tunc florebant, incredibili audiendi studio impulsus. Ex hac itaque industria atque studio liber ille provenisse videtur, qui « *Dialogus de oratoribus* » inscribitur, ad dignoscendam tum Romanorum, tum Graecorum eloquentiam omnem perutilis et undique perfectus. Historiam hanc hoc profecto consilio iuvenis ardens exaravit, ut, comparatione facta inter oratores aetatis suae et illos, qui eadem arte atque usu superioribus saeculis floruerant, corruptae eloquentiae causas indagaret, etiam si nullo ipse modo removere posset. Maiores nostri omnes fere dialogum de oratoribus aut Plinio Iuniori, aut Quintiliano, aut etiam Suetonio addicere consueverant; at eruditi homines, qui nunc sunt, nullo fere dissentiente, dicendi quidem genus in dialogo non idem ac in ceteris

Dialogus de oratoribus.

operibus esse fatentur, quod ex Ciceronis imitatione procedit, attamen nullam causam idoneam inveniunt, cur contra codicum auctoritatem Tacito ascribi non debeat.

LXI. Libri ceteri, in quibus res gestae continentur, multis annis post conscripti sunt. Tacitus videlicet, quo erat animo in omnibus vitae partibus et prudenti et moderato, minime sibi vitae periculo occurrendum esse censuit, ratus id, si contigisset, civibus oppressis vel reipublicae profuturum nihil. Testem exhibeo auctorem ipsum: « *Sciant, quibus moris est inclita mirari, posse etiam sub malis principibus magnos viros esse, obsequiumque ac modestiam, si industria ac vigor adsint, eo laudis ascendere, quo plerique per abrupta, sed in nullum reipublicae usum, ambitiosa morte inclaruerunt* ». Mortuo Domitiano, qui ferociter et crudeliter imperaverat, cum res Romana, umbris offusa, luce quadam illustrari coepit, et tempora veteris quasi libertatis imaginem prae se ferre et nova imperatorum dignitate exhilarari quodam modo visa sunt, tum vir clarissimus in virtutem usque erectus, rebus melioribus recreatus, in historias se contulit in iisque sensus illos effudit, quos diu multumque in animo pressos aluerat. Servato igitur temporum ordine, quo in singulis vicissim libris conscribendis auctor versatus est, primus ille nobis occurrit, qui « *Germania* » inscribitur. Duabus hic partibus constat, in quarum altera de origine et situ, de moribusque ac populis Germanorum universe inspectis loquitur, in altera singillatim ea, quae singularum gentium aut propria et praecipua sunt, aut memoratu digna videntur, narratione fusiore prosequitur. Mores tum domesticos tum publicos notat, instituta, leges, religionem explicat, vel cum Romanorum confert; quibus rebus Germanorum virtuti plurimum laudis tribuit, et eos, admiratione an timore aliquo affectus nescio, in exemplum civibus suis affert, praesagiens et quasi animo divinans gentes istas molem Romanam esse eversuras.

Tac. Agric. 42.

De Germania

LXII. Liber, qui « *De vita et moribus Iulii Agricolae* »

cumque divisimus, nos innocenti sanguine Senecio perfudit. Nero tamen subtraxit oculos suos iussitque scelera, non spectavit: praecipua sub Domitiano miseriarum pars erat videre et aspici, cum suspiria nostra subscriberentur, cum denotandis tot hominum palloribus sufficeret saevus ille vultus et rubor, quo se contra pudorem muniebat. Tu vero felix, Agricola, non vitae tantum claritate, sed etiam opportunitate mortis». «Si quis piorum manibus locus, si, ut sapientibus placet, non cum corpore extinguuntur magnae animae, placide quiescas, nosque domum tuam ab infirmo desiderio et muliebribus lamentis ad contemplationem virtutum tuarum voces, quas neque lugeri neque plangi fas est». Dicendi genere, orationis forma, operis compositione perpensis, colligitur auctoribus praecipuis Caesare Sallustioque eum esse usum. Eruitur etiam, cum scriberet, animum intendisse ad illa maiora opera duo, quorum aliud «*Historiae*» aliud «*Annales*» nuncupantur. «*Non tamen pigebit*» ait «*vel incondita atque rudi voce, memoriam prioris servitutis ac testimonium praesentium bonorum composuisse*». Quibus sane verbis utriusque operis praecipui argumentum significat.

Tac. Agric. 3.

LXIII. Res igitur, quae in utroque opere continetur, eadem est, quamvis ad aetates diversas referatur, hoc est rerum gestarum historia. Altero nomine opus alterum inscripsisse videtur, quia *Annales* ex sententia Gellii, grammatici appellare solebant narrationes rerum, quas scriptor non viderat, *historias* contra illarum, quibus auctor ipse quasi spectans interfuerat. In historiis igitur, quae saltem libris duodecim constabant *memoriam prioris servitutis* a Neronis excessu ad obitum Domitiani, in quam sua pueritia et prima adulescentia inciderat, litteris atque monumentis mandavit. Integri ex historiis libri a primo ad quartum exstant, quintus vero ad partem dimidiam; ceteri hominum incuria perierunt. Servitutem vero superioris memoriae ab excessu divi Augusti ad Neronem usque duodeviginti libris narratione perpetua

Annales et Historiae.

prosecutus est. Hi quoque libri maximam partem evanuerunt, nam sunt quattuor primi et, praeter quaedam quinti et sexti libri fragmenta, pars dimidia altera undecimi, libri a duodecimo deinde ad quintum decimum, denique etiam prima pars decimi sexti. Dolendum igitur quam maxime est, quod temporibus iniquis, cum multae ad nos pervenerint ineptae imperatorum laudationes et nugae, tot tantaque detrimenta fecerit praeclarissimum historiarum monumentum. Damna accepta vir quidam eruditissimus, Gallus stirpe, Broterus nomine, multa quidem diligentia et industria sarcire atque scripturis suis supplere ausus est, notitias ex auctoribus ceteris, qui sunt, ita in libros suos commenticios referens, ut eos iisdem nervis eodem stilo atque colore depingeret et ad quandam veteris integritatis speciem Taciti opus utrumque restitueret. Pari dicendi ratione usus, epitomas quasdam exaravit, in quibus res gestas Nervae et Traiani complexus est *testimonium praesentium bonorum* ipse exhibens illud, quod morte interceptus ex praestituta sententia detrimento historiae summo conscribere Tacitus nequiverat.

LXIV. In Annalibus igitur atque Historiis res Romanas omnes ab excessu Divi Augusti ad Domitiani obitum ita servatis temporum ordinibus prosequitur, ut earum in primis causae aliae cum aliis aptae atque necessitate nexae penitus perspiciantur. Id sibi proponit et aperte testatur: « *Ceterum antequam destinata componam, repetendum videtur, qualis status Urbis, quae mens exercituum, quis habitus provinciarum, quid in toto terrarum orbe validum, quid aegrum fuerit, ut non modo casus eventusque rerum, qui plerumque fortuiti sunt, sed ratio etiam causaeque noscantur* ». Qua quidem nova inita scribendi ratione, non facta tantum et eventa, si qua aut illustria, aut insignia id temporum evenerunt, non arma tantum et bella in gentes externas atque nationes illata Tacitus litteris mandat, sed rerum civilium potius rationes in animis hominum repertas acerrimo mentis

Tac. I. Hist. 4

acumine notat et explicat aequaliumque mores, studia, vitia, virtutes sollerter perscrutatur, ut ex his causis duo illa suprema civitatis mala provenire ostendat: auctam in dies senatus populique servitutem et ignaviam nec non obitum bonorum fere omnium atque occasum. Turpissima facinora imperatorum, libidines foedas, inexplebilia odia et arbitria notat et dinumerat; itemque civitatum desolationes, agrorum vastationes, Urbis incendia, clarissimorum civium, oratorum, sapientium, poetarum occisiones, quibus per iniustitiam, per vim atque rabiem, per insaniam, immanitatis ipsius instar, imperatores atque eorum administri in universum hominum genus saevire atque debacchari delectati sunt; frendenti animo colligit, refert et congerit iisque verbis atque fuscis coloribus vel cursim adumbrat vel fusius describit, ut, omni tegumento detracto, formidolosum quid et horrendum ante oculos ponat, quod timorem in legentium animis et pavorem incutiat. « *Praecipuum munus* » ait « *annalium reor, ne virtutes sileantur, utque pravis dictis factisque ex posteritate et infamia metus sit* ». Raro in narrationibus repperiuntur virtutis exempla, temporum magis vitio, quam scriptoris incuria; qui privatorum, si qua sint, egregia undique virtutis monumenta conquirit, quae fuscis in tenebris, tamquam lumina quaedam micantia, corruptis ceterorum civium moribus opponat. Ergo si aut decoris aliquid aut honesti et probi, si quid erectae et constantis conscientiae ei inter narrandum occurrat, incredibili quodam gaudio et divina quasi laetitia afficitur, ac si reperiens quod penitus periisse crediderat, hominum conscientiam et constantiam, ex diuturna totius perturbatione valetudinis tamquam ad aspiciendam lucem revocetur. Virtutem libertae cuiusdam, Epicharis nomine, in exemplum commendat, quae exquisitissima maluit supplicia perferre, quam coniuratorum nomina Neroni indicare: « *Atque interim Nero recordatus Volusii Proculi indicio Epicharim attineri ratusque muliebre corpus impar dolori tormentis*

Tac. III. Ann. 65.

Tac. XV. Ann. 57.

dilacerari iubet. at illam non verbera, non ignes, non ira eo acrius torquentium, ne a femina spernerentur, pervicere, quin obiecta denegaret. sic primus quaestionis dies contemptus. postero cum ad eosdem cruciatus retraheretur gestamine sellae — nam dissolutis membris insistere nequibat — vinclo fasciae, quam pectori detraxerat, in modum laquei ad arcum sellae restricto indidit cervicem et corporis pondere conisa tenuem iam spiritum expressit, clariore exemplo libertina mulier in tanta necessitate alienos ac prope ignotos protegendo, cum ingenui et viri et equites Romani senatoresque intacti tormentis carissima suorum quisque pignorum proderent. non enim omittebant Lucanus quoque et Senecio et Quintianus passim conscios edere, magis magisque pavido Nerone, quamquam multiplicatis excubiis semet saepsisset».
Hanc ob causam ex rerum scriptoribus, qui de moribus ac virtute disputant, primus vel dicam solus, Tacitus est, quippe qui, cum permovere animos et ad bona impellere et a malis deducere sibi proposuisset, id quod egregie voluerit, tantaque in re tamque difficili sit consecutus apprime. Nullo ad finem hunc aut artificio, aut rhetorum adminiculo utitur: nam in eo tantum virtutis atque libertatis studium est, tantum odium, quo natura et ingenio homines in servitudinem vel turpitudinem pronos prosequitur, ut quos in se sensus et alit atque animadvertit, commotione et mentis concitatione ipsa ceteris quoque facili communicet sermone. Dicendi genus adhibet suum et singulare, ita pressum ita concisum, ut Tacitea brevitas apud litteratos homines in proverbium venerit atque sui admodum simillimus nec aliis rerum scriptoribus comparandus exstiterit. Oratio eius, gravibus sententiis et subtilissimis morum notationibus frequentata, perlucens est, quamvis in ea Livii elegantia et facilis Sallustii perspicuitas desideretur, quibus auctoribus utitur. Ex Taciti cum Livio comparatione discrimen idemque maximum aliud inter historias utriusque interesse colligitur. Nam

Tacitea brevitas orationis

cum Livius stantem rempublicam atque incolumem nominis Romani maiestatem vidisset, Tacitus iacentem libertatem, submissum populum conspexit, ut non modo imperatores sine lege, sine iure saevientes toleranter perferret, sed iis quoque sese addiceret serviliter et in deorum numero haberet. Itaque cum tamquam praeconium aeternumque Romanae testimonium amplitudinis Titi Livii annales fuissent, Taciti opera probi hominis atque honesti quaedam quasi exsecratio improbitatis et ignaviae contemptio dicenda est.

Scriptoris auctoritas

LXV. Non defuerunt nonnulli existimatores, qui nimio partium et libertatis studio malefacta imperatorum a Tacito exaggerata esse putaverint, neque critici quidam leviores, qui mendacem et calumniatorem illum putantes, imperatores sordibus suis expurgare conati sint, vel saltem a gravioribus criminibus defendere. Boni iudicis voluntatem scriptorisque auctoritatem defendendam esse non censeo; integer Tacitus est, in iudiciis ferendis iudex aequus et intelligens atque humanitate plenissimus. Hinc illum puto incredibili doloris sensu commotum, res veras inscientem nolentemque colore illo tragico depinxisse, qui male de eius fide existimandi criticis quibusdam fecit copiam. Cum veteribus scriptoribus equidem consentio: cum Plinio Caecilio, qui eloquentissimum illum et immortalitatis datorem appellat, cum Orosio, qui, quamvis ei alio nomine infensus sit, diligentissimum vocat historiae scriptorem, cum Sidonio, qui nulli ori tacendum esse dicit. A Casaubono dissentio, qui magnum quidem et acerrimi virum ingenii illum censet atque novae cuiusdam gravis, concisae, sententiosae eloquentiae genere praeditum, verumtamen principem rerum scriptorum esse negat, quia dignam ei tanta facultate materiam tempora negaverint, qua illos provocare potuerit. Inepte quidem, nam, non egregia et illustria tantum facinora commendat historia, sed, quae vera sunt, indagat, et eo modo, qui hominibus dignus sit, ne rerum suarum mentes veternus occupet, narrat posteritati.

Plin. II. Epist. 1-16 et II. 17; IV., 13. 10; VI., 16. 20 alibi Oros. 7. 10; Sidon. Paneg. Anthem. 192. et Carm. 23. 154.

ORATORES ET RHETORES

LXVI. Oratores hac aetate nullos invenio; nam cum publica potestas et imperium in unum eundemque impotentem principem cessisset, exstincta populi Romani voce et libertate, forum quoque, quod fuerat eloquentiae palaestra quaedam atque celeberrimum quasi disceptationum civilium theatrum, desertum atque penitus vastatum conticuit. Ipsum oratoris nomen intercidit, nam etiam hi, qui versabantur in causis, causidici potius, patroni, rabulae, advocati, quam oratores appellati sunt. In verae et perfectae eloquentiae locum, qua antea inter patres et cives clarissimos de legibus condendis, de republicaque bene administranda disceptabatur, genus illud successit tenue, vacuum, ineptum declamationum, quibus continenter septem Urbis colles et vacuae Tiberis ripae vel altae aeriaeque Frontonis platani magis magisque in dies personuerunt. In aliquo tamen numero et honore, imperante Tiberio, *P. Vitellius* fuit, cuius oratione in Cn. Pisonem animadversum est, qui de tristi Germanici morte accusabatur. Cum hoc duo alii fuere, *Votienus Montanus*, Narbonensis, qui a Tiberio in insulas Baleares exilio missus est, *M. Aemilius Scaurus*, qui, cum in Tiberii suspicionem venisset, quam sibi parari mortem intellegerat, suapte manu intulit. Apud imperatores multum gratia et favore valere coeperunt homines nequissimi, qui eloquentiam — si hoc nomine turpissima in arte indicis uti licet — nobilissimam liberae quondam civitatis alumnam, falsis accusationibus et delationibus adhibebant ad innocentissimum quemque hominem clarum contra ius fasque in iudicium vocandum. In his *P. Suillius* recensendus, homo venalis, qui sub Claudio fuit, in his quoque *Eprius Marcellus* et *Vibius Crispus*, qui incredibile est quantam, Nerone stulte imperante, pecuniam

Senec. IX. Cont. 5. 17; X, in Praef.

Tac. Dial. 8; XVI. Ann. 26; II. Hist. 95.

sibi comparaverint. Cum his adnumerari possunt *Tiberius*, *Caligola*, *Claudius*, qui, astante populo, loqui soliti erant; *Nero*, qui orationes a Seneca exaratas pronunciabat; nam, extincta reipublicae libertate, in civibus et litteris servis, non oratores, sed uno tempore innumerabiles peregrini et in Urbe nati rhetores inepti provenerunt. *M. Porcius Latro*, Hispanus, *C. Albucius Silus*, Novariensis, *Arellius Fuscus*, Smyrnaeus, *L. Caestius Pius*, Asiaticus, *L. Iunius Gallio*, alii, eorum princeps Seneca, qui rhetor appellatur, certatim in scholis totam aetatem rhetoricam docuerunt.

Sen. II. Contr. in Praef. et 10. 8: Suet Rhet. 6; Iid. pass. alib.

LXVII. Vir hic insignis *M. Annaeus Seneca* Cordubae natus est anno a. Chr. n. tertio, equestri, nobili veterique familia. Cum Romam, Augusto imperante, venisset, litteras et dicendi artem edidicit atque ad extremam usque aetatem professus est. Eius nomen filiis tribus, quos ex Helvia suscepit, primo L. Annaeo Seneca philosopho, de quo paulo post sum dicturus, secundo L. Annaeo Mela, Lucani poetae parente, cuius supra meminimus, tertio Novato, qui postea ex adoptione Iunius Gallio appellatus est, multo sane clarius est quam voluminibus rhetoricas orationes continentibus, quas, exacta iam aetate, ut liberorum desiderio indulgeret, composuisse certo constat. Aetate ante acta de bellis civilibus historiam conscripserat, ex qua, si esset, germanum rhetoris Hispani ingenium et natura fortasse pateret. Eius controversiae et suasoriae orationes exstant, at nequaquam omnes. Ex libris enim decem, in quos eas redegerat, tertius, quartus, quintus, octavus evanuerunt; ceteri vero sunt, sed locis nonnullis lacunosi. In controversiis complurium auctorum utriusque linguae dicta, sententias, divisiones, colores colligit et inter sese confert; verum quaestiones ineptas atque vacuas pertractat, quae a ceteris rhetoribus ad domesticum usum atque umbratilem discipulorum exercitationem ex fictis rebus et ex argumentis futtilibus conflari solebant. Res nihilominus ipsas leves atque humiles

gravibus sententiis, vividis imaginibus, luminibus interdum verborum, quae ad res diversas significandas transfert, poetarum ornamentis distinguit, quamquam non sine fuco aliquo granditatis atque vividiore Hispano colore, sub quo rerum mediocritatem et tenuitatem animi solet occultare.

M. FABIUS QUINTILIANUS ET C. PLINIUS CAECILIUS SECUNDUS

LXVIII. Muneri suo et officio, qualia ex multa veterum lectione tunc fuisse noverat, cum floreret, eloquentiam restituere conatus est *M. Fabius Quintilianus*, praestantissimo vir ingenio praeditus omnique doctrina imbutus. Calagurri in Hispania citeriore natus p. Chr. n. quadragesimo altero anno, antequam e pueris excessit a Galba Romam perductus est, ut Hieronymus refert, atque in foro aliquandiu versatus non mediocri cum laude. Oratores, qui tunc in honore erant summo, Domitium Afrum, Iulium Africanum, M. Galerium Tracalum, Servilium Nonianum, Iulium Secundum maxime coluit. Deinde, rhetoricam artem quo melius profiteretur, scholam aperuit, primusque, Hieronymo auctore, stipendium ex aerario publice accepit. Eloquentiae ac sapientiae fama auctus, maximo puerorum concursu frequentari coepit; inter hos Plinius Caecilius Secundus erat. Hanc autem ob famam Clementis Flavii rogatu, Domitiani patruelis, dignitate consulari donatus est. Post Clementis necem, qui per mortem acceptam fidem in Christum testatus est, Domitiani sororis nepotum instituendorum curam cum suscepisset, nec forum reliquit nec ludum, sed in utroque viginti annorum spatio versatus est. Multo usu multoque studio et industria cum se ad eloquentiam eiusque artem applicuisset, auctor veris in causis praestantissimus et in notandis animadvertendisque et in instituendo edocendoque scriptor atque prudentissimus magister evasit. Impensam operam dedit, ut nimis vane

Auson. I. Profess. 7.

Quint. X. Inst. 12. 12; V., 7, 7.

Plin. II. Epist. 14 VI., 6.

Quint. Prooem 4.

sonantes oratores et sermonem barbarie infuscantes reprimeret eosque extra Latinas ripas diffluentes coerceret. Quo munere, quamquam consequi non potuit id, quod intenderat animo, satis eum egregie esse perfunctum ex libris iis colligimus, in quibus senex, Victorii Marcelli rogatu, puerorum rationem instituendorum et artem in syntagmate exposuit, quam quotidiano usu et exercitatione in scholis invenerat.

Quint. III. Inst. I. 22; V., 1.3. et 12. 15. et passim

De institutione oratoria libri XII.

LXIX. In hisce duodecim libris, qui « *De institutione oratoria* » inscribuntur, non eloquendi modo artem ex tritis rhetorum praeceptis et partitionibus tradit, sed prout ars et ratio expostulat, quae puerorum institutione continetur, quae et qualia principia, quae rudimenta pueris in pueritia tradenda sint, statuit et explicat. Videlicet vir et praeceptor insignis bonos architectos imitatus est, qui si solidam molem exstruere volunt, in operis initio talia fundamenta ponunt, quibus, ne concidat, aedificium firmiter innitatur. Puerum suum ab incunabulis excipiendum esse docet eundemque sensim gradatimque artibus, disciplinis, legibus et praeceptis per varias aetates et gradus erudiendum conformandumque, ut, cum ad maturitatem pervenerit, imaginem et perfectam eius oratoris in se speciem gerat, qui ex Catonis sententia vir bonus sit idemque dicendi peritus. « *Quidam litteris instituendos qui minores septem annis essent, non putaverunt, quod illa primum aetas et intellectum disciplinarum capere et laborem pati non posset. In qua sententia Hesiodum esse plurimi tradunt, qui ante grammaticum Aristophanem fuerunt; nam is primus* ὑποθήκας, *in quo libro scriptum hoc invenitur negavit esse huius poetae. Sed alii quoque auctores, inter quos Eratosthenes, idem praeceperunt. Melius autem, qui nullum tempus vacare cura volunt, ut Chrysippus. Nam is, quamvis nutricibus triennium dederit, tamen ab illis quoque iam formandam quam optimis institutis mentem infantium iudicat. Cur autem non pertineat ad litteras aetas, quae ad mores iam pertinet? Neque ignoro, toto illo, de quo loquor,*

Quint. I. Inst. 1.

tempore vix tantum effici, quantum conferre unus postea possit annus; sed tamen mihi, qui dissenserunt, videntur non tam discentibus in hac parte quam docentibus pepercisse. Rem suam subtilem sane atque laboriosam e fundamentis ordiens, in quo ars et ratio puerorum instituendorum posita sit, primo quaerit; tum eam praeceptoribus esse summopere necessariam docet, quo natura indolesque puerorum eius ope facilius cognoscatur. Necessariam ait: iis enim studiis pueri ac disciplinis instituendi sunt, ad quae sua sponte trahuntur, ut in iis, nullis calcaribus fere adhibitis, gradus et progressus faciant. Huc quoque spectat locus, in quo peracute disceptat, utrum in publicis potius scholis an in paternis et domesticis umbraculis institui pueri debeant; spectant huc, quae de disciplinarum generibus tradit, eas hoc proposito partiens, ut ex uniuscuiusque generis natura et difficultate distinguat, quae disciplinae ante rhetoris officium, quae post, ex ordine sint impartiendae. Haec et cetera alia, quae in primo libro institutionum pertractantur, cum ante Quintilianum nullus rhetor, nullus sapiens, ne Cicero quidem, qui in rebus istiusmodi satis videbat -- nec quisquam etiam eorum, qui ad exeuntem usque mediam aetatem post eum in eodem genere versati sunt — tanta intelligentia tantoque usu indagaverit, praecipuam, mea quidem sententia, causam exhibent, cur magister primus Fabius et praeceptor clarissimus habeatur.

LXX. In ceteris vero Institutionum libris Ciceronem auctorem et magistrum secutus, omnes artis rhetoricae partes tradit. Eruditi homines atque litterati ex omnibus decimum in deliciis habent; optimo quidem iure, inquam; nam in enumerandis auctoribus recensendisque, quos in exemplum pueris profert imitandos, de unoquoque peracute et quam verissime iudicat. Hic liber hodie, cum rhetoricae artis studia in desuetudinem venerint, in manibus criticorum versatur, quia ex eius lectione, tamquam ex unico fonte, multae et variae de Latinis Graecisque litteris notitiae eruuntur. Sub

Liber decimus litterarum Graecarum et Latinarum notitiam continens

Quintiliani quoque nomine ad patrum nostrorum usque memoriam « *Declamationes* » quaedam duobus libris collectae circumferebantur atque valde laudabantur, quas eruditi, qui nunc sunt, Calagurritano rhetore prorsus indignas et ab alio ad illum translatas putant. Istarum aliae undeviginti numero sunt maiores, aliae ad centum quadraginta amplius breviores. At fato adverso « *Dialogus de corrupta eloquentia* » quem sua manu scripserat, intercidit, tum « *Sermones* » et « *Artis rhetoricae libri duo* » evanuerunt, qui, eo in foro dicente, vel in acroasi docente, notis quam velocissime scriptis, a discipulis excepti editi sunt. Quanti autem Quintilianus apud aequales fuerit ex Martialis epigrammate intelligi potest;

Declamationes

Dialogus de corrupta eloquentia

Sermones

Artis rhetoricae libri

Quintiliane, vagae moderator summe iuventae,
Gloria Romanae, Quintiliane, togae.

Mart. II. Epigr. 9.

LXXI. Inter Quintiliani discipulos *C. Plinius Secundus* nominandus est, qui *Iunior* eo appellatur, ut a Plinio Maiore, de quo supra quaedam tradidimus, avunculo suo distinguatur. Novi Comi, ad Larium lacum, Plinius Iunior sexagesimo aut primo aut altero p. Chr. n. anno natus est. Fratre amisso, sub Verginii Rufi tutela fuit, qui eum secum etiam adulescentulum in Urbem contulit, ibique, ab avuncolo suo Plinio adoptatus, litteras atque rhetoricam a Quintiliano perdidicit. Undeviginti vixdum annos natus in foro dicere orsus est; paulo post in Syria stipendia meruit. Inde autem reversus celeriter ad maiores causas adhiberi coeptus est, quas apud centumviros et in senatu multa laude egit. Capitis periculum, Domitiano saeve imperante, cum adiisset, apud Traianum, qui moderate imperium regebat, tanta floruit gratia, ut per omnes honorum gradus ad consulatum et ad procunsularem Bithyniae potestatem ascenderet. Ex Quintiliani itaque schola et tamquam ingenuorum morum officina profectus, eo animo et candido et constanti et magno excelsoque fuit, ut non in Quintiliani tantum deliciis esset, sed

et familiarissime Suetonio, Silio Italico, Martiale, Tacito praesertim uteretur, cuius se pluries in epistulis consuetudine gloriatur. Calpurniam uxorem duxit, mulierem egregiam, acutam, doctrinis imbutam, cuius peramanter in epistulis suis imaginem reliquit expressam. Liberaliter divitiis, quibus ultra modum abundabat, usus, bibliothecam in patria urbe et litterarios ludos instituit, eruditorum hominum inopiam humaniter levavit atque sustentavit. Villis multis gaudebat, quas in epistulis memorat: « *Huius in litore plures villae meae, sed duae maxime ut delectant ita exercent. Altera imposita saxis, more baiano, lacum prospicit; altera, aeque more baiano, lacum tangit. Itaque illam tragoediam, hanc appellare comoediam soleo, illam, quod quasi cothurnis, hunc, quod quasi socculis sustinetur* ».

Plin. IX. Epist 7. 2.

LXXII. Litteris natura et ingenio deditus, earum genera fere omnia delibavit. Fabulam tragicam ex ipsius auctoris epistulis Graece scripsisse novimus, et iambos, elegos, epica carmina, epigrammata transtulisse, quae quidem, praeter versus nonnullos, citius evanuerunt. Ex orationibus item pulcherrimis, quas conscripsit, si « *Traiani Panegyricum* » excipias, nihil praeter laudem et famam exstat. Hic Traiani laudationem continet, qui centesimo p. Chr. n. anno consulari dignitate Plinium donavit. Ex consuetudine agendarum ob honorem acceptum gratiarum principi, qui auctoritate sua populi favorem conciliavisset, non propter virtutes modo privatas et domesticas Traianum laudibus cumulavit, sed res ab eo domi militiaeque gestas, bella, expeditiones memoravit. Laudationibus quidem Panegyricus abundat, nihilominus si iudicium de eo ferre velis prae oculis habendum post Domitiani mortem pronunciatum fuisse, cuius clades Christianorum in orbe terrarum iussas perterriti cives recordabantur; quibus de causis profecto ab ineptis et foedissimis laudationibus panegyricus seiungendus ac probe distinguendus est. Nolim tamen aliquis ex eo sententiam de tota Plinii eloquentia

Traiani Panegyricus

ferat; habet enim artificii in se aliquid atque insinceri et pinguius sonantis oratio, quae in celebrandis hominum laudibus est; oratoriis contra nervis caret, qui ex concitatione animorum, ex odio, ex invidia colliguntur et commoventur.

Epistularum libri

LXXIII. Nomini et scriptoris famae melius « *Epistulae* » profecto consulunt ad familiares, ad uxorem, ad amicos, ad privatos, ad Tacitum missae, quae novem libris continentur. In decimo sunt, quas muneris officiique causa ad Traianum scripsit. Se ipsum, qualis reapse fuit, in litteris exhibet; nam varios animi sensus quam sincerissime in aliis effundit; in aliis de rebus variis aetatis, de oratoribus, de poetis, de clarorum virorum morte, de miserandis Christianorum cladibus, de terraemotis, de eruptionibus vulcanorum loquitur; in aliis res suas, otia, studia narrat, rura, villas, flumina describit. Imaginem temporum quodammodo insciens adumbrat vel etiam ad verum ex parte exprimit. Clitumnum fontem coloribus vividissimis depingit, ex cuius descriptione spiritum ad carmen elatissimum componendum hausit Carduccius noster:

C. PLINIUS ROMANO SUO S.

Plin. VIII. Epist. 8.

Vidistine aliquando Clitumnum fontem? Si nondum — et puto nondum; alioqui narrasses mihi — vide quem ego—paenitet tarditatis meae — proxime vidi. Modicus collis adsurgit antiqua cupresso nemorosus et opacus. Hunc subter exit fons et exprimitur pluribus venis, sed imparibus, eluctatusque facit gurgitem, qui lato gremio patescit purus et vitreus, ut numerare iactas stipes et relucentis calculos possis. Inde non loci devexitate sed ipsa sui copia et quasi pondere impellitur fons adhuc et iam amplissimum flumen atque etiam navium patiens, quas obvias quoque et contrario nisu in diversa tendentes transmittit et perfert, adeo validus, ut illa, qua properat ipse, quamquam per solum planum, remis non adiuventur, idem aegerrime remis contisque superetur

Sapientes viri, qui elato animo temporum tulere iniurias

philosophorum scripturis suis mandaverint, tales sive probe vivendo sive stoico more moriendo constantis animi cives se praestiterunt, ut ex stoicorum fontibus et disciplinis illam sapientiam hausisse videantur, quam sanctitate vitae mortisque crudelissimae contemptione comprobarunt. In his mihi *Iulius Canus*, vir in primis magnus, et *Rubellius Plautus* occurrunt; hic capite a Nerone damnatus aequo fortique animo vitam finivit, quam fuga, sed cum infamia, servare potuerat; ille decem ante mortem dies hilaris cum transegisset, postquam de animorum immortalitate cum interfectoribus extremis horis vitae sapienter locutus est, morti subridens gratae occubuit. In stoicorum doctrinis *L. Annaeus Cornutus*, *C. Musonius Rufus*, *Barea Soranus*, *Thrasea Paetus*, *Elvidius Priscus* sese abdiderunt, aliique, qui, patria probrosis ab imperatoribus occupata, cum magis magisque in dies libertate cives ac dignitate spoliarentur, totam bene vivendi vim in animi magnitudine ac robore et in rerum omnium humanarum contemptione ponendam esse censuerunt. Itaque, cum in otio atque silentio philosophorum quaestiones litteris Graecis mandarent, alii alia de causa vel exilii, vel capitis poena multati, quantum in rebus adversis hominibus sapientia prodesset, usu et eventibus experti sunt! Ab his penitus distinguendus est *P. Egnatius Celer*, qui ficte stoicorum sapientiam simulateque professus est, ut eius dignitate nequissimum tegeret animum. Veterator hic atque simulator Berytensis eam stoicorum philosophiam coluit, quam una cum munere delatoris atque officio coniungeret; itaque ex effatis eorundem philosophorum vitae commoda et delicias consideravit, ut ea multis quidem verbis atque specie tenus aspernaretur, eaque tamen, nulla amicitiae officiique habita religione, per detrimenta et civium clarissimorum necem exquireret et insectaretur. « *Stoicus delator* » Iuvenalis verbis utar « *Baream occidit amicum discipulumque senex* » eiusque filiam, quos Neroni falsi criminis arcessitos detulit.

Iuven. Sat. I. 33 et 3. 116; Tac. IV. Histor. 10. 40.

habuit, neque illius mores, prava indole et natura obstante, ita correxit aut emendavit, ut in omne sceleris genus tandem non prorumperet. Nihilominus quamdiu postea apud eum gratia et consilio valuit, tamdiu imperium satis recte est administratum; per Neronis quinquennium illud inquam, quo res Romana in melius felicissime verti visa est. At quinquagesimo quinto p. Chr. n. anno mutatio in imperatoris aula maxima facta est; Agrippina mater eius Urbe amota est, veneno Britannicus e medio sublatus, paulo post Burrhus, quem Seneca frustra defenderat; hac defensione sibi vitae discrimen fecit, nam per Cleonicum sui ipsius libertum Nero venenum propinandum curavit, quod cum effugisset reliquissetque Curiam et domi se abdidisset, *pane sicco* vescebatur *et sine mensa prandio, post quod non erant lavandae manus*. Miserationem sane movent haec et lugenda cetera, quae de se in epistulis narrat ad Lucilium: « *Totus dies* » ait « *inter stratum lectionemque divisus est; minimum exercitationi corporis datum: et hoc nomine ago gratias senectuti: non magno mihi constat; cum me movi, lassus sum* ». Sensu ipso ac luce in solitudine illa et quasi carceris custodia carens, nihil cogitat, nihil sperat. « *Epistula tua* » ad Lucilium rescribens inquit « *delectavit me, et marcescentem excitavit memoria quoque meam, quae mihi iam segnis et lenta est, evocavit* ».

Tac. XIII. Ann. 20; XIV., 52; XV., 45.

Senec. Epist. 67.

Senec. Epist. 74: conf. 26 et 77.

LXXVI. Facta interea L. Calpurnii Pisonis coniuratio est consciorumque nomina ab indice quodam Natale delata. Hinc Nero, ut austeriorem et graviorem scelerum et facinorum suorum testem atque censorem e medio tolleret, *quando venenum non processerat*, ferro eius interimendi occasionem malam praetexuit. Falsa Natalis delatione, ac si vera esset, usus, centurionem quendam ex praetorianis cohortibus ire ad Senecam iussit, qui mortem ei nunciaret. Quam rem cum audivisset statuissetque aequo animo ac fortiter sibi esse moriendum, porrectis manibus, servis imperavit, ut sibi venas inciderent. Aderat Paullina uxor, quae, ne viro suo superesset,

Tac. 15. Ann. 62.

eandem sibi mortem inferri cupivit. Verum ne id fieret ab imperatore operibus interdictum. Inter moriendum Seneca, scribis vocatis, de morte sapienter obeunda multa eloquenter dictavit, quae Taciti etiam aetate avidissime perlegebantur et admirationem fletumque movebant.

Libri, qui philosophiam de moribus pertractant

LXXVII. Ingenio quo Seneca fuit multiplici, multa cum cumulavisset industria, librorum bibliothecam fere confecit. Ex his pars maior, eodem auctoris fato gravissimo usa, saeculorum incuria intercidit; perexigua, quae manet, ea nihilominus est, ut egregium sane eius doctrinae praebeat documentum. In hac parte, praeter fabulas tragicas atque 'Αποκολοκύντωσιν, de quibus paulo supra locuti sumus, sunt qui « *Dialogorum libri XII* » universe inscribuntur, quamquam singuli singulis nominibus distinguuntur. Primus « *De providentia* » est, in quo de ratione disserit, qua Deus bona ac mala in mundo aequum in modum componens, scite sapienterque regit atque tuetur. Secundus « *De constantia sapientis* » agit, qui nulla re ne iniuriis quidem aut rebus adversis movetur. Tertius, quartus, quintus «*De ira*» deque remediis pertractant. In sexto « *Consolatio ad Marciam* » continetur, quam in luctu Metilii filii scripsit. In ceteris ad decimum ex ordine « *De vita beata* » « *De otio aut secessu sapientis* » « *De animi tranquillitate* » « *De vitae brevitate* » multa sapienter disputantur. In undecimo « *Consolatio ad Helviam matrem* » continetur, quam, in exilio cum esset, ad matrem remisit. In duodecimo « *Consolatio ad Polybium* » libertum Claudii, qui gravi propter acerbum fratris obitum dolore afficiebatur. Cum dialogis « *De clementia libri III* » ad Neronem missi exstant, tum « *De beneficiis libri IV* » ad Aebutium Liberalem, et «*Naturalium quaestionum libri VII*» et « *Epistularum moralium libri XX* » ad Lucilium.

LXXVIII. Partem philosophiae illam, quae in hominum moribus in virtutibus vitiisque animi cum pervestigandis et describendis, tum emendandis castigandisque versatur, fuisse

Peculiaris ars et ratio praeceptorum tradendorum

a Seneca pertractatam ex librorum titulis colligitur. Quaestionibus, quae ad rerum naturam cognoscendam spectant, non alia de causa delectatur quam quod doctrinae de moribus exponendae occasionem praebeant. Praecepta ita tradit, ut exemplis potius quam ratiocinationibus utatur et ad vitae usum quam maxime aptet atque accommodet. Ob temporum diversitatem non eadem Seneca de hominum vita cogitat quae Cicero senserat. Hic tametsi spe sit destitutus, quod inclinantes Romanas res videat, virtutem tamen ex patria institutione in agendo sitam esse demonstrat; ille contra sapientis esse censet, ut se ab omnibus negotiis abstineat studiisque et rerum contemplatione vacet, in quibus perfecta animi tranquillitas invenitur. Hinc factum est, ut Cicero ad homines omnes praesertim Romanos praecepta sapientiae accomodari voluerit; Seneca ad singulos tantum, ad Serenum, ad Paulinum, ad Marcellinum, ad Liberalem, ad Lucilium, ad alios se verterit, quos pro uniuscuiusque natura edocendos et ad virtutem conformandos spectaverit. Non Seneca coetum hominum atque societatem universam prae oculis habuit, quam praecipiendo atque docendo emendaret, sed singulos homines et ab aliis distinctos ita instituit, ut rebus humanis sive secundis, sive adversis constanti animo sese fortique obicientes, ex perfecta sapientium ratione bene beateque vivere discerent. Hanc ob causam stoicorum paradoxa iactanter insectatus est, quae reconditis multis sententiis exquisitissimisque, atque dicendi genere presso, conciso rettulit, quo rerum, quas docet, granditatem quam brevissimis claudit verbis. Disputationes eius et quaestiones de iisdem rebus usque sunt, quae ad domesticam hominum vivendi rationem pertinent; in hominibus enim singulis erudiendis versantur itaque struuntur, ut ad stoicorum morem sententiis suis novis, quae minus expectentur, et a communi sensu abhorrentibus solvantur. Paradoxis contra communem hominum opinionem incredibili mentis acie excogitatis Seneca

gaudet, tamquam si multis saeculis ante aetatem, quae esset sua, natus, cum sectis et philosophorum scholis, quae multos annos post eum duo abhinc saecula floruerunt, tempore et institutione distans incredibili doctrinarum novitate contendere velit easque praevertere quasi. Orationis elegantia et concinnitate non caruit, sed sua genuina, cuius ope non verborum luminibus potius quam rebus summo studio conquisitis eius nitet oratio. In motibus animorum reconditis percipiendis atque notandis subtilissimus fuit, in virtutisque fundamentis statuendis non ingenio tantum promptus, sed usu exercitatus. *Virtutem quidem penes nos esse, ad quam omnia, quae in hominum vita sunt, vitamque ipsam laudatam pertinere posse* exsistimat. Quae omnia superiores Stoici docuerant quidem; attamen singulari quodam animi ardore Seneca praecipit, ut fractos hominum animos ex immensa vitiorum voragine in dignitatem, quae naturae suae consentanea sit, erigere et confirmare cupivisse videatur, sapientiae munimentis eos undique circumsepiens quasi exercitus in castris, quo bonorum finem eundem semper esse noscant. Quod quidem si non assecutus est, cum nondum homines inter sese diligerent — non enim Christi lux orbem illustraverat — tamen nobilissima Romanorum ingenia ita instruxit et confirmavit, ut, quibus malis obsistere contra nequirent, ea velut ex munitissimo sapientiae praesidio et quasi arce respicientes a se averterent vel patienter tolerarent.

Rebus mag quam verbi studet

DE GRAMMATICIS CETERISQUE DISCIPLINIS

LXXIX. In omni eruditionis genere et grammaticorum disciplinis, praeter Tacitum, Quintilianum, Plinium utrumque, quorum opera supra recensuimus, complures huius aetatis homines versati sunt. In his *Iulius Modestus* est atque

Pomponius Marcellus, C. Iulii Hygini libertus. Prior patroni vestigia secutus « *Confusarum quaestionum* » edidit libros quosdam, quorum secundum Gellius laudat, ex quo de equo Seiani historiam refert. Scripsit etiam opusculum quoddam « *De feriis* » inscriptum et poetas Horatium atque Virgilium interpretatus est. Eius tamen, si fragmenta pauca excipias, nihil nobis superfuit. Secundus vero, Pomponius, orationis vitia ex quotidiana consuetudine in litteratorum usum iam irrepentia ita acerbe insectatus est, ut in proverbium tamquam sermonis Latini exactorem molestissimum apud omnes venerit. Qui quidem, cum in ore Tiberii imperatoris vocabulum quoddam novum deprehendisset, ut munere suo etiam tum fungeretur « *Tu, Caesar,* » inquit « *civitatem dare potes hominibus, verbo non potes* ». Etiam *Claudius* in numero recenseri potest grammaticorum, qui antequam imperio est adeptus recte scribendi scientiam coluerit. Hic veteribus litteris tres novas addendas esse censebat, ut vocabulorum scriptura ad sonum, qui in vocibus pronunciandis reapse retinnit, magis accederet. Item ad Graecorum scribendi rationem in diphthongi *ae* loco diphthongum *ai* adhibendam esse arbitrabatur. Usus meliorem causam illa nanctus est, quam Claudius, etiam cum imperator est factus, multis ratiocinationibus attulit. Cum his *Q. Rhemnius Palaemon* fuit, Persii Quintilianique magister, qui cum, Suetonio testante, *infamis omnibus vitiis* esset, incredibili memoriter retinendi quae legeret, facultate atque versuum extemporaliter copia fundendorum celebrabatur. « *Ars grammatica* » et « *Carmen de ponderibus et mensuris* » huic tribuuntur, ex quibus multa cum Charisius tum Diomedes grammatici deprompserunt.

Gell. IV. Noct. Att. 9.

Suet. Gramm. 23.

LXXX. Sub Vespasiano imperatore *Q. Asconius Pedianus* et *M. Valerius Probus* floruerunt, uterque rhetor et grammaticus eruditissimus. Alter enim pulcherrimos in orationes quasdam Ciceronis commentarios, qui etiam nunc exstant, stilo puro et supra grammaticum composuit. Alter vero,

Probus, postquam militia functus est, mirum est quantum in grammaticorum quaestiunculis elaboraverit. Lucretii poemata, nec non Terentii, Virgilii, Horatii, Persii, tempore et incuria corrupta, ad pristinam integritatem et formam restituit, emendataque animadversionibus, scholiis locupletavit, quo facilius intelligi possent. Artem quoque illam docuit, in libro « *De notis* » inscripto, quae uno Graeco nomine *tachigraphia* dicitur, ex qua quam citissime pronunciata vel dictata scribuntur. Eadem aetate *Aemilius Asper* fuisse videtur, qui Terentium, Virgilium, Sallustium commentatus est; eius exstant ex « *Virgilianis quaestionibus* » fragmenta. Traiano imperante, simul *Flavius Caper* et *Velius Longus* floruerunt; hic praeter alia commentariolum « *De usu antiquae locutionis* » scripsit, quod Gellius memorat, et notulis notitiisque Virgilium illustravit, quorum reliquias, quae exstant, A. Maius in Virgilii commentariis affert; ille duos libellos, alterum « *De orthographia* » alterum « *De verbis dubiis* » composuit, ex quibus excerpta et ab epitomatore resecta et in unum collecta supersunt.

Gell. 18. 9.

LXXXI. Cum grammaticorum disciplinis iuris quoque cognitio atque interpretatio in honore esse coepit. Eruditissimi iurisconsulti, ne sub imperatoribus quidem esse destiterunt, qui scientiae huius in primis Romanae splendorem atque dignitatem togae tuerentur. Post rerum confusionem, quae iura, leges, mores, rempublicam ipsam, instituta permiscuit, novae iurisconsultorum scholae ortae sunt, quae civibus universis haud parum profuerunt. *Masurius Sabinus* Capitonis discipulus, quem supra memoravimus, iuris notitia ceteros superavit. Accepta enim a Tiberio publice respondendi facultate non modo ad eum civium concursus factus est, sed discipulorum quoque, qui in patriis legibus et iure cognoscendis versabantur. In communem igitur usum tres libros « *Iuris civilis* » scripsit, duos « *Responsorum* » quinque commentarios « *Ad edictum praetoris urbani* » alium « *De*

Scholae iuris consultorum

Pomp. Dig. 1. 2. 2.

indigenis » alios de aliis rebus et quaestionibus, quorum in Digestis et in Codice frequens mentio. Eum discipuli auctorem praecipuum interpretati cum essent Sabiniani, vel ex *Cassio*, Longini ipsius discipulo, Cassiani appellati sunt. Sabino adversarius eadem aetate *Sempronius Proculus* fuit ex Coccei Nervae et Labeonis disciplina profectus, qui in Pandectis saepissime laudatur. Ab eo Proculeiani *Celsi*, pater et filius, vocati sunt, *Pegasus interpres legum sanctissimus Priscus Neratius*, alii, qui eiusdem scholae fuerunt.

Iuv. Sat. 4.79.

LXXXII. Etiam sub Tiberio *A. Cornelius Celsus* fuit, qui cum scientias omnes et disciplinas summo studio coluisset, nullum fere genus intentatum reliquit. Catonis et Varronis vestigia ingressus opus unum confecit « *Artes* » inscriptum, in quo de agris colendis, de arte rhetorica, de sapientia, de iure omni, de re militari, de medicina summatim agebatur. Ex hac disciplinarum corona octo « *De re medica* » libri supersunt, pereleganter conscripti, qui in omnium manibus patrum nostrorum memoria versabantur. Propter nitidum sermonem et purgatissimum, quo in scribendo utitur, *Cicero medicus* appellatus est, idemque ob egregia artis medicae praecepta *Latinus Hippocrates*. Cum eodem clarissimus alius medicus *Scribonius Largus* fuit idemque libertus; librum « *De compositionibus medicamentorum* » confecit genere et forma orationis aetate sua admodum indignum. Hac eadem aetate *M. Apicius*, qui ita ligurritionibus, cibis delicatis, cuppediis deditus fuit, ut a Plinio *nepotum omnium altissimus gurges* appellatus sit. Artem, quam in culinis noverat, edacibus hominibus et gulosis profuturam ratus novo litterarum monumento commendatam voluit. Eius praecepta de re coquinaria in libro « *De opsoniis et condimentis* » repperiuntur, qui, cum verbis multis barbariem sonantibus obscuretur, temporibus, quae subsecuta sunt, accessionibus interpolatus esse videtur. In Traiani aetatem viri eruditi duo *Sex. Iulius Frontinus* atque *Hyginus* inciderunt, qui ex

Libri de medendi arte

Plin. X. 68. 1.

Libri de re culinaria

vulgari communique agrorum dimetiendorum usu rationem deduxerunt, quae geometricis formis continetur. Uterque enim commentarios scripsit, in quibus geometriam totam tradebat. Illius exstant excerpta ex libris duobus, quae profecto posteram ad aetatem pertinent; alterius fragmenta supersunt trium tantum librorum, qui « *De limitibus, de condicionibus agrorum de generibus controversiarum* » inscribebantur. Cum his in eodem scientiae genere versati sunt *Balbus*, qui « *Expositionem et rationem omnium formarum* » docuit; *Siculus Flaccus*, cuius superest « *De condicionibus agrorum* » libellus, Frontinus Hyginusque, qui commentariola laudatissima de rebus militaribus confecerunt; huius libellus « *De castramentatione* » seu etiam « *De munitionibus castrorum* » inscriptus ad nos initio mutilus pervenit. Item illius opus singulare tribus libris constans manet, quibus incerto ab auctore quartus « *Strategemata* » inscriptus adiectus est, quo callida consilia militaria impertitur ad hostem circumveniendum et superandum idonea. Eiusdem Frontini commentarii duo « *De aquis urbis Romae* » supersunt, insigne peculiaris artis monumentum, ex qua Romani primi vel per cuniculos sub terra effossos, vel opere arcuato aquas in Urbem e longinquis fontibus convectas duxerunt.

Libri ad geometricam spectantes

Libri de re militari

LXXXIII. Etiam disciplina, quae in describendis regionibus terrarum posita est, gradus aliquot fecit *Pomponii Melae* opera, qui sub Claudio floruit. Vir hic Hispanus mutam terrarum descriptionem, quam in Agrippae porticibus pictam conspexerat, notitiis ex rerum scriptoribus haustis illustravit. Confecit tres libros, omni genere eruditionis refertos, quos « *De chorographia* » vel, ut nonnulli volunt, « *De situ orbis* » inscripsit. Perspicua in hoc opere orationis brevitate utitur optimo scriptore digna; neque florida verborum elegantia caret, quae modum ipsum excedit, qui in re « *impedita et facundiae minime capaci* » apud eiusdem rei scriptores inveniri solet. Ceterum litterae omnes et artes

De chorographia

communi gravoque malo hac imperatorum aetate laborant, quod non in hominum singolorum condicionibus deprehenditur, sed in ipso universae reipublicae statu consistit. Libertate videlicet homines et republica carent, quae animos ad sensu suoss privatos aperte exprimendos moveat et impellat, quae eos, ne periculum faciant, legibus et iure tueatur, quae igniculos dignitatis, virtutis foveat atque incendat. Servitus et abiectio, in quam nolentes imperatorum arbitrio senatus et populus conciderunt, gravem litterarum mutationem fecit in corruptelam mox inclinantem, ex qua scriptores admodum pauci effugere. Litterarum dannum scientiarum auctio pensavit, nam pogressus in omnem naturalium, matematicarum, geographicarum, grammaticarum rerum partem memoravimus, quibus Taciti sententia de temporibus suis innititur: « *Nec omnia apud priores meliora, sed nostra quoque aetas multa laudis et artium imitanda posteris tulit.* »

Tac. III. Ann. 55.

LIBER QUINTUS DE LITTERARUM LATINARUM SENIO A TRAIANI OBITU AD CCCCLXXVI ANNUM P. CHR. N. QUO URBS AB ODOACRE EXPUGNATA EST

DE IMPERII STATU AD EXTREMAM FORTUNAM AFFLICTO

I. Amplitudinem atque magnificentiam nominis Romani, cuius etiam sub uno vel altero imperatorum, qui a Tiberio ad Traianum fuerunt, species quaedam manserat et umbra, post tristem huius obitum mente animoque frustra requirimus. Hac enim aetate Romana res integrae conquassatione et perturbatione valetudinis pereunda laborat. Herilis dominatio ingravescens atque in dies molestior, una cum immoderatissima militum licentia, non tantum quidquid ex iure, ex senatu, civitatis praesidiis et munimento, reliquum erat pervertit atque pessumdedit, sed etiam civium dignitatem singulorum, virtutem, constantiam labefecit abrogavitque et ad condicionem deterrimam futurorum servorum ab apice honoris civitatem gentium omnium dominam et quasi reginam corruptam et depudicatam abiecit atque prostravit.

Herilis dominatio et militum licentia.

II. In imperatorum serie, qui a Traiano ad Urbem a barbaris captam dominati sunt, nullus invenitur, qui tanti tamque vasti imperii regendi capax fuit. Si Antoninos, si Constantinum exercipias, qui in principibus de Romano imperio bene meritis numerandi sunt, ceteri maxima ex parte imbecilles vel socordes vel crudeles et inhumani fuere, aut hebetes mente ineptique honorumque cupidiores, quam reipublicae studiosiores. Imperatores ipsi, qui in aetatem imperii auream, quae dici solet, inciderunt, nihil aut non multum adiumento rebus inclinantibus fuere. Hadrianus, qui in Traiani loco suffectus est, aedificiis, templis Urbem quidem ornavit, at provincias trans Euphratem et Tigrim barbaris diripiendas reliquit. Antoninus, qui nuncupatus est

Imperatores inepti aut crudeles

Pius, pacis studio indulsit, ut *malle se unum civem servare quam mille hostes occidere* dicere solitus esset. M. Aurelius litteris Graecis insignis fuit, sed ad bella gerenda ineptus, siquidem, cum ad Aquileiam usque venisset, barbaris iisque territis pacem concesserit. Commodus immanitate, ferocia, dementia Neronem provocavit; dum enim Britanni murum ad fines imperii transgrediuntur currus vehere solitus erat iussitque Romam urbem Coloniam Commodiam atque se fictam propter fortitudinem Herculem appellari. Imperatores, qui subsecuti sunt, non magis militibus imperitabant, quam a praetorianis imperitabantur. Etenim, cum a legionibus perennes ob largitiones pecuniae principes renunciarentur, cuique legionum libidini se permittebant, quae ad dignitatem promovissent. Hinc factum est, ut effrenatos moderatis, mercenarios gratuitis, religiosis impios homines anteferrent, et potestatem, qua accepissent facilitate, eadem amitterent. Senescentibus Romanis, barbarorum crevit insolentia, ut in imperii fines irrumperent Urbemque captam vastarent.

Fron. 9. Hist.

III. Multitudo vero, perpetua servitute enervata, cum plagis asinino more perferendis assuevisset, legibus, iure, conscientia ipsa sponte sua se abdicavit, seque tyrannorum ad voluntatem transduxit. Si quid virtutis superfuit, dignitatis, decoris in abiecta servorum multitudine viguit, quae prima humanam Christi divinamque doctrinam secuta est. In actis martyrum, quos dicimus, insignia fortis constantisque animi documenta leguntur. Hi enim nihil minas pertimescentes eorum, qui suas de rebus divinis opiniones haud leniter ferebant, non solum verbis de novae religionis sanctitate testimonium exhibuerunt, sed suo laeti Christum sanguine confessi morte conscientiam nobilissimam suam defendere atque constantius tueri dignitatem maluerunt, ut confossi, obtruncati, contrucidati, mortui de vivis triumpharent.

Christianorum dignitas et decus

IV. Imperio marcescente haud multum loci esse litteris potuit. Etenim ingenia, si qua altiora provenere, cum nullum

esset iis praemium, exaruerunt. Quam maxime tamen iuris scientia viguit et orationis genus illud, quo Christi asseclae eruditi religionem pro viribus suam defenderunt. Eloquentia eas vires saeculorum transcursu ex sapientia Romanorum sumpserat, ut neque vis neque arma neque imperatorium arbitrium extinguere potuerit. Apologetica, quae ad iura defendenda nata est, Christianorum eloquentiae novum granditatis sonum illis etiam condicionibus addidit. Latinus sermo, qui iam a nativa puritate deflexerat ex Latio egressus peregrinitate atque barbarie infuscatus est. Praecipui enim scriptores huius aetatis, cum in Gallia, in Hispania, in Africa nati essent, vocabula sua in Latinas litteras invexerunt, alia ex novo excuderunt, alia ad alia significanda traiecerunt, alia antiquitatem redolentia et obsoleta in usum revocaverunt. At, cum barbarorum turbae populorum, quae sine tectis, sine sedibus, sine cultu trans Rhenum vagabant, a septentrionibus in imperii regiones ad meridiem in Africam patentes omnia evertentes irruperunt, litterae tunc, artes ingenuae, cultus et humanitas, ne penitus vastarentur, in coenobiis summis montibus impositis se abdiderunt. Paucorum anachoretarum amanuensium curis commissae membranaceis in chartulis linteisque millenariam fere per aetatem delituerunt, velut ignis sub cineribus calorem et lucem retinens sempiternus, quoad vir egregius Romano sanguine concretus Latinitatis exstitit praeco et futurorum concitator temporum. Latinitatem e latibulis Franciscus Petrarcha in lucem evocavit, suopte ingenio et eruditione, sumptibus, itineribus, conquisitionibus, gentibus, quae aetate sua fuerunt, quae nunc sunt, divino dono restituit, ut immanitatis tenebras perpetuo disperderet.

Latinus sermo corrumpitur

DE EPICIS CARMINIBUS

V. Epici poetae, qui Papinium Statium aetate consecuti sunt, furoris afflatu et divino mentis ardore caruerunt, ex

quibus et incitata et vehemens fit carminum forma et tam-quam ex igne oratio inflammatur. Rebus enim propter ignaviam et socordiam temporum penitus afflictis et profligatis, nullam vim rerum ante actarum memoria et recordatio in hominum mentes habebat, quas naturalis quidam praesentium rerum dolor occupaverat, neque, corrupti cum essent mores et civitas prolapsa, vir talis exstitit vel poeta, qui singularem quandam herois imaginem animo conciperet et obcaecatas mentes virtutis atque perfectionis illustraret lumine. Hanc ob causam genus epicae poesis ducentos amplius annos vel defuit, vel, qui in eo versati sunt, versus factitarunt, non carmina epica condiderunt. In istis versuum conditoribus *Alfius Avitus* ponendus est, qui quibus annis vixerit, summa est inter scriptores controversia, quamquam eius aetas circa annum ducentesimum p. Chr. n. incidisse videtur. Hic, cum hexametros reliquisset, qui ante eum in rebus gestis celebrandis adhibebantur, versibus iambicis dimetris usus, poematium confecit « *Excellentium libros* » inscriptum, in quo Livianas pedetemptim narrationes rettulit. Eius, praeter epigramma quod in Anthologia Latina continetur, exstat fragmentum de ludi magistro, qui liberos Faliscorum principum prodidit.

Libri excellentium

Victor. 3. 17. 12.

Anthol. Lat. n. 125.

VI. Ineptius exemplum imitatus *Rufus Festus Avienus*, qui postero saeculo fuit, Virgilii fabulas, verbis ex verbis expressis, nec non Livium versibus iambicis repetivit. De hoc nunc satis; de eo enim paulo poste iterum locuturi sumus. Paulo aetate inferior *Gordianus* poeta fuit, qui cum filio, senex cum esset, ab exercitibus in Africa anno p. Chr. n. ducentesimo duodequadragesimo imperator creatus est atque statim interfectus. Hic aduluscens etiam tum magnum poema triginta libris constans confecit, quod «*Antoninias*» inscribebatur. Videlicet in illo, ut res ab Aenea gestas Virgilius et Statius, quae Achilles fecerat, celebravit, res Antonini Pii et Antonini philosophi poetice narratione continua prosecutus est. Aliquot annis post eum, ut videtur — nam haud satis

Antoninias

Iul. Capit. Gord. tres. 3.

certa etiam istorum aetas est — poetae duo fere probabiles exstiterunt, alter *Vespa* nomine, alter *Reposianus*. Huius est epithalamium « *De concubitu Martis et Veneris* » quod ducentis triginta tribus versibus heroicis constat: pulchrum id ut temporibus illis, diceres, et amoenioribus sententiis distinctum atque poetico colore suffusum. Illius singulare ludricum superest carmen, quod ex re satis lepida lepide « *Iudicium coci et pistoris iudice Vulcano* » inscribitur.

Christiani poetae, qui genus epicum coluerunt

VII. Cum his aetate coniuncti — per idem enim tempus fuere — hic quoque — ne ex instituta ratione temporum gradus pertubem — poetae nonnulli recensendi sunt, quamvis re tum maxime spiritu illorum dissimillimi sint, quorum nomina ab initio operis hactenus memoravi; Christianos dico poetas, qui cum ex novis divinisque Verbi doctrinis et umbraculis laetis prodiissent, conditores primi potius et quasi litterarum nostrarum parentes dicendi sunt, quam in Latinis poetis numerandi. Primus ex his nobis *G. Vettius Aquilinus Iuvencus* occurrit, Hispanus, qui Constantini Caesaris aetate floruit. Hic, nobili genere natus et clarus Christi presbyter, evangelicas historias ad verbum ex libris sacris transferens in quattor libros hexametris versibus exaratos redegit. Caruit utique vi, granditate, copia, quam genus illud et tragica alicubi rerum magnituto postulabat sed vitium hoc nativa quadam et perspicua et simplici dictione pensavit, quae istiusmodi generatim rebus convenientior est atque opportuna magis. A veteribus eum satis laudatum invenio.

Iven. in fine poematis

Poema de Evangelicis historiis

VIII. Paulo aetate posterior *Proba Falconia* exstitit nobilissima Adelphi Romani viri consularis matrona et ex suae aetatis Christianis poetriis eruditissima. Versibus hinc illinc ex Virgilio promptis, poema, quod exstat, composuit « *De fabrica mundi et Evangelium* » inscriptum, cuius rem, ut nomine liquet, partim ex Hebraeorum libris, partim ex fontibus Christianorum hausit. Ex memoria autem cui interfuit bellum in altero poemate celebravit, quod Constans

De fabrica mundi et Evangelium

cum Magnentio de imperio potiundo gesserat. Hoc vero poema iniuria temporum evanuit.

IX. Post Probam ultima litterarum Latinarum aetate fere exeunte, de qua loquimur, provenit *Caelius Sedulius*; una cum eo Flavius Merobaudes, Claudius Marius Victor, Paulini duo, alter Petrocoriensis, alter Burdigalensis, atque Sollius Apollinaris Sidonius. Istorum primus, Britannus vel Scotus stirpe, episcopus cum in Achaia esset, celebratissimum « *Carmen Paschale* » confecit, quod antehac « *Mirabilium divinorum libri* » inscribi solebat. Egregius in carmine hoc in aliisque fundendis Maronis imitator exstitit, cuius verborum suavitatem atque contexendi artem ad rem sacram tam pie tamque scite accommodavit, ut si quis umquam Christianus poeta alius, ipse quam proxime accesserit. Ad carmen hoc quingue libris constans et probabili exaratum stilo elegia adicitur et epigramma et hymnus, ut dici solet, abecedarius, iambico versu conscriptus, quem quotannis die natali Servatoris Christianorum coetus recitant.

Carmen Paschale

X. Secundus *Flavius Merobaudes*, Hispanus, clarissimus dux fuit, cui ob virtutem, quam in proeliis ostendit, statua aenea in foro Ulpio cum inscriptione posita est, in qua, praeter alia haec verba legebantur « *ingenium ita fortitudine ut doctrinae natum, stilo et gladio pariter exercuit* ». In Christum breve et exile carmen non amplius triginta versibus longis constans conscripsit, atque orationes laudatorias nonnullas, quae non minus laudibus quam multis turgent verbis. *Cl. Marius Victor*, Massiliensis, in oratoria et poetica simul non sine aliqua laude versatus est; eius « *Commentarium in Genesin* » tribus libris affabre exaratum exstat et « *Carmen de Christi vita* » a nativitate ad resurrectionem deductum, denique « *Epistula* » in qua multo sale corruptos suae aetatis homines perstringit. Christianis poetis omnibus, qui cum eo fuerunt, *C. Pollius Sidonius Apollinaris* longe laude praestitit, qui cum mira ingenii mentisque celeritate

Commentarium in Genesin

Carmen de Cristi vita

tum non ingrata versuum condendorum facultate se nobis commendat. Lugduni in Gallia Narbonensi natus ad quadragesimum tricesimum p. Chr. n. annum, Aviti imperatoris gener fuit, praefectus Urbi, postea etiam presbyter, denique Averniae episcopus. Quo munere dum fungitur, exercitibus praefuit, qui omnibus viribus et opibus Gothis impetum in fines Romanorum facientibus repugnabant. Priusquam Christi doctrinam professus est quattuor et viginta carmina fudit, heroico versu confecta. Post haud breve silentii spatium Christianus factus melioribus se Musis reddidit. Eius carmina generis utriusque XXIV libris continentur, quibus accedunt novem epistularum. Genere dicendi non quidem inerudito utitur, sed duriusculo; oratio autem, quae corrupta multis est vitiis, satis superque domestica auctoris barbarie inquinatur. Liberius saepe atque ex arbitrio, quasi nulla consuetudinis regula teneatur, verba novat audacter et exudit, alia ad alia significanda transfert, alia a vulgari et cotidiano Gallorum sermone mutuatur. Nihilominus cum municipibus suis et Romanis aequalibus et propter carmina et propter epistulas quam maxime placuisset, vivus ab Anthemio Augusto apollinari laurea et statua donatus est in Traiano foro sita.

Carmina lyrica Sidonii

XI. Cum eo Paulini duo fuerunt, qui inter se civitate distinguuntur: alter Petrocorii in Gallia Aquitanica natus est, alter Pellae, quod oppidum est prope Burdigalam item in Aquitanica; hac de causa ille Petrocoriensis, Pellaeus hic vel Burdigalensis appellatur. *Paulinus Petrocoriensis*, post quam Christo est initiatus « *Divi Martini vitam* » auctorem Sulpicium Severum secutus sex carminum libris poetice enarravit. *Paulinus* alter *Burdigalensis* de vita sua singulare poematium confecit, quod « *Eucharisticon* » Graece inscripsit; videlicet cum in poemate ante actae vitae res memoravisset suas, gratias Deo agere voluit, qui immunem servavisset.

Divi Martini vita

Eucharisticon

XII. Restat hactenus, ut aliquid de *Claudio Claudiano* dicamus, quem in postremum hunc locum hoc consilio

remisimus, ut eius nomine epicorum poetarum pertractatio finiret. Neque hoc quidem tantum arbitratu statui. Etenim si tempora inquiro, quae a Statio huc usque post Claudianum fuere, nullum sane Latinum poetam invenio, qui hoc in genere aut tardiores aut uberiores fructus profuderit, quin immo, postquam e vita Claudianus migravit, cuius in carminibus eadem quasi veterum poetarum mens spirare et aestuare visa est, afflatus et spiritus, tenebris saeculorum barbarorum obortis, velut ventus sensim sine sensu factus remissior, homines doloribus atque curis extenuatos defecit atque evanuit. Claudianus Alexandriae, in clarissima Aegypti urbe, ad trecentesimum quinquagesimum p. Chr. n. annum ortus est, ibique vitam ad maturitatem transegit, litterarum, ut videtur, studiis unice intentus; cum ibi Graece prima carmina fudisset, Romam anno trecentesimo nonagesimo quinto se contulit. Multa de carminibus eius praeclare fama ferente, Theodosii et filiorum, Arcadii Honoriique, aetate poetarum laude floruit. Qua erat incredibili et singulari ingenii facilitate, decem fere annos, quot ad mortem usque Romae versatus est, non minus unum et viginti opera composuit Latine exarata. In his — nam nomina singula omitto ne longa enumeratione lector defatigetur — sex *«Panegyrici»* in consules recensendi sunt, quorum unus in Probinum et Olybrium fratres est, qui, cum Claudius Romam venit, consulari dignitate praediti erant; secundus ad Mallium Theodorum consulem undequadringentesimo p. Chr. n. anno; tres, qui reliqui sunt, ad Stilichonem, qui consulatum decies gessit. In his laudationibus res memoria dignae celebrantur, quas suo quisque anno consul laudabiliter egerunt. Nimius in laudando est, sed non per assentationem laudat, neque ut sibi favorem conciliet eorum, qui in civitate principes sunt; ingenio suo potius indulget eam ex rebus gestis materiem quotidie expetenti, quam ad carminum epicorum rationem amplificando atque exaggerando idoneam faciat.

Prosp. Chr. anni 395.

Panegyrici in consules

XIII. Contra laudationes has carmina quaedam maledica stant, quae in quattuor libros digessit. Priores libros duo alterum «*in Rufinum*» alterum «*in Eutropium*» nequam hominem, condidit, utrumque Arcadii administrum, qui post Theodosianam divisionem in altera imperii parte regnavit; uterque, quamvis superbia et lascivia infamis esset, gratia et auctoritate summa in Constantinopolis curia prae ceteris eunuchis et apud imperatorem Arcadium gratia valuit. Eos asperrimis verborum aculeis adgressus est; mirum id sane et memorandum, cum principibus blandiri commodius posset, quam ex satyricis carminibus aliquod sibi vitae periculum facere. Ab his re et genere valde carmina differunt, quorum alia «*Fescennina*» alia «*In nuptias Honorii Augusti et Mariae*» inscribuntur; haec lyricum ad genus natura sua proprius accedunt. Ut ex ipsorum inscriptione colligitur, in nuptialibus Honorii imperatoris cum Maria celebrandis composita sunt: haec, ut auctor ipse ore suo sponsis laeta et fausta omina praesens diceret; illa, ut ex consuetudine in nuptiis celebrandis animorum delectandorum causa a ludiis et saltatricibus magnifico in scaenarum apparatu cum cantu et choreis agerentur.

Carmina maledica

Fescennina et carmina in nuptias Honorii

XIV. Fortissimum virum et dignissimum quasi heroem, quem suis celebraret carminibus, Stilichonem invenit, ex cuius rebus gestis, praeter consulatus elogium, quod supra memoravi, praeter duo libros «*De laudibus Stilichonis*», poemata duo heroica confecit, alterum «*De bello Gothico*» alterum «*De bello Gildonico*». Haec sane ex carminibus, quae in vivis laudandis versantur, praestantissima Claudiani habentur. Ceterum Stilicho Vandalus et barbarus fuit, sed fortissimus vir et ex aequalibus dux praestantissimus qui, cum bella multa feliciter gessisset, una pugna ad Pollentiam urbem commissa Gothorum cladem edidit memoria aeterna dignissimam. Bellum hoc in altero poematum Claudianus, ducis famae eiusque rerum gestarum admiratione attonitus,

Poemata heroica

egregie celebravit. Heroem in armis versantem conspicatus, incredibilem in fortitudinis admirationem erumpit:

Vos Haemi gelidae valles, quas saepe cruentis
Stragibus aequavit Stilicho, vos Thracia testor
Flumina, quae largo mutastis sanguine fluctus;
Dicite Bisaltae, vel qui Pangaea iuvencis
Scinditis offenso quantae sub vomere putres
Dissiliant glaebis galeae, vel qualia rastris
Ossa peremptorum resonent inmania regum.

De cons. Stil. I. vers. 130-137.

XV. In altero bellum Gildonicum celebrare instituerat. Gildo, Mauritanorum regulus armis potens, post Theodosii mortem, dum occidentalem imperii partem Honorius dominatur, a Romanis cum defecisset, tyrannidem usurpaverat. In eum ergo Romani Stilichonem cum exercitibus mittere decreverant et iam arma collegerant. Quibus paratis, senatui extemplo renunciatum est Gildonem a fratre in Mauritania cum exercitibus esse profligatum eumque post aliquot dies iugulatum. Hinc nulla amplius causa fuit cur Stilicho in Africam proficisceretur. Hanc ob causam poema de hoc bello incohatum est neque expletum. Propter haec beneficia in rem Romanam poeta peregrinus, Romanorum hospes, Stilichonem heroem praecipuum non in epicis carminibus modo concelebrandum assumpsit, sed in omnibus carminibus; eius laudes saepe in consulum panegyricis inveniuntur, carmina maledica ea mente conscripsit, ut Stilichonis adversarios carperet et perstringeret. Eandem ob causam, ut gratum quid Stilichoni faceret « *Laudem Serenae* » uxoris ipsius poetice celebravit. Haec autem nobilissima regia femina, fuit Theodosii Magni imperatoris neptis, postea etiam filia adoptiva. At cum Stilicho merita in Romanam rem imperii cupiditate corrupisset, Honorius eum interficiendum curavit.

Laus Serenae

XVI. Fictas etiam veterum fabulas celebravit duobus poematis, quorum unum « *Gigantomachia* » alterum, quod

integrum incorruptumque exstat «*De raptu Proserpinae*» inscribitur. Tritam et obsoletam fabulam, quam multi poetae veteres versibus narraverant, novis rebus atque deverticulis novavit et ampliorem fecit. Poematium hoc in carminibus Claudiani praecipuis habetur, non mythicis fabulis, sed rebus et vicibus hominum contextum. Ceres, cuius filia rapitur, minus dea est quam mater; ita Proserpina non deae filia, sed animi motibus mulieris verae afficitur et, quae deorum sunt propria, ignorat; mortalibus simillimae talem vitam agunt, quam in terris homines, gaudiis iisdem letantur eodemque dolore macerantur. Hoc, praeter laudes, quae ceteris in operibus sunt, poeticum spiritum, amoenitatem, fecunditatem, concinnitatem, dulce et canorum quid carmini addit, quod in poetarum Romanorum epicorum ultimo valde delectat.

DE LYRICIS POETIS

XVII. In genere autem lyrico poeta Latinus ultimus, et huius aetatis, da qua loquimur, unus *Dec. Magnus Ausonius* fuit. Nullum enim vel ante vel post eum, praeter Christianos, poetam alium invenio, nomine aut memoria aliqua dignum. Aetate paulo superior Claudiano fuit; nam trecentesimo decimo p. Chr. n. anno Burdigalae in urbe Aquitaniae natus est. In patria Aemiliae Corinthiae Maurae aviae industria nec non duarum materterarum cura diligentissime educatus est, postea Aemilii Magni Arborii avunculi scholae traditus publice Tolosae et Narbone rhetoricam docenti, qui de indole pueri mira praedicare solitus erat. In clarissimi grammatici schola eruditus et ipse grammaticus et rhetor sui temporis doctissimus evasit. Triginta annos natus in ludis urbis patriae primum pueros grammaticam docuit, deinde in acroasi artem rhetoricam. Quo munere dum multis iam annis diligentia summa perfungitur, a Valentiniano accitus est Gratianum et

Valentinianum eius liberos instituturus. Discipulos in castris versantes secutus est, ne per intervalla militiae litterarum studia intermitterent. Discipulorum beneficio a minoribus ad summos honorum gradus ascendit; quod cum inscripti lapides testentur, etiam ipse his versibus prodidit:

Aus. Praef. od Syagr.

Cuius ego comes et quaestor et culmen honorum
Praefectus Gallis et Libyae et Latio.
Et prior indeptus fasces, Latiumque curulem,
Consul, collega posteriore, fui.

Cum aliquot post annos Gratianus, qui imperium fortiter defenderat, esset interfectus, annis non minus quam dolore gravatus in patriam urbem, tamquam *in senectae nidum*, se recepit paternis in praediis extremam aetatem acturus.

XVIII. Christianus Ausonius ex quibusdam suis versibus et ex scripturis Paulini Nolani, qui eum puer audivit, haud dubie fuisse videtur, sed ita petulantior ita et lascivior nonnullis in carminibus est, eoque ingenio et animo iis se praeditum praebet moribus, ut paganum potius, quam Christianum poetam eum appellemus. Carmina eius nimio maiorum tempora sapiunt, fabulas, gaudia, amores, delicias veterum poetarum repetunt et recantant. Eius duodeviginti opera exstant versibus structura et numero variis omnia conscripta, praeter panegyricum in Gratianum, quem soluta oratione confecit. Minora praetermitto, quae rebus, orationis genere, eruditione, purum deprehendunt grammaticum. Ex maioribus decem longiuscula et suavissima, quae « *Idyllia* » appellavit, valde probantur. E rerum contemplatione variarum idyllia nascuntur; res, quae in natura sunt, montes, flumina, arbores, rura, silvae, remissa voce cum eo in animo loquuntur, ipse cum illis; naturam ipse ad se clamantem cum sentiat, in carminibus repetit, quae sentit; naturam agrestem quasi deam colit eandemque veneratur. En versus in quibus Mosellam patrios per agros tacito errantem cursu

Idyllia

delicatis coloribus depingit et grato colonorum animo ex corde quasi sospes deorum in templo salutat:

Salve amnis laudate agris, laudate colonis,
Dignata imperio debent cui moenia Belgae:
Amnis odorifero iuga vitea consite baccho
Consite gramineas amnis viridissime ripas!

Aus. Idyl. XVII. vers. 13-26.

XIX. In maioribus «*Parentalia*» et «*Epistulae*» sunt; domestici Ausonii sensus, ut in venis serpunt, e carminibus his ita spirant, neque eruditione neque artificio vitiantur; pietas in parentes, qualem in pectore alit, talis in versibus exundat. Nolens vel ignarus, quo amicis in colendis vel in diebus festis celebrandis, struendis conviviis afficitur gaudio idem candide aperteque effundit in carmina. Si in rerum omnium extremum in mortem animum intendit, non eam, ut Christi asseclae, animi e corporis vinculis liberationem expetendam putat, sed, quae hominum natura est, illam horret et timet eiusque pavor quanto gravior est, tanto in versuum numeris vehementius strepit et resonat. Nihil his in carminibus nisi sincerum invenies, nihil fictum, nihil fucatum; cetera carmina contra satius necessario eruditum hominem sapiunt; in his, quae «*Ordo nobilium urbium*» quae «*Ephemeris*» quae «*Ludus septem sapientium*» inscribuntur. Equidem, cum una urbium pulcherrimarum vel rerum, quae singulos in dies sunt agendae, vel virorum sapientium numeratione versentur, non carmina, sed tabulas dixerim ad homines edocendos conflatas. Nihilominus inest in eo poetarum veterum elegantia et orationis concinnitas et color quasi novus, quem deprehendit in verbis; hac causa ad recentiores poetas accedit. Ex veterum lectione copiam verborum et eruditionis desumit; his laudibus, licet identidem a dictione vere Latina mendis expurgata discedat atque saeculum contra prodat, in quod incidit, nihilominus multos aetatis etiam superioris poetas superavit.

Ludus septem sapientium

XX. Pulcherrimum hoc loco recensendum est carmen quod, prae manibus omnium est « *Pervigilium Veneris* » inscriptum in membranis aliquot ante annos repertum:

Cras amet qui nunquam amavit quique amavit cras amet!
Ver novum: ver iam canorum: vere natus Iuppiter.
Vere concordant amores, vere nubunt alites
Et nemus comam resolvit de maritis imbribus;
Cras amorum copulatrix inter umbras arborum
Implicat casas virentis de flagello myrteo,
Cras Dione iura dicit fulta sublimi throno.
Cras amet qui nunquam amavit quique amavit cras amet!

Pervigilium Veneris

In auctore reperiendo nequiquam critici desudaverunt, ex quibus alii Catullo attribuerunt, alii Catullo Urbicario, alii vero aliis. Carmen ad centum fere versibus septenariis ex trochaeis continetur, in iis versus intercalaris, qui dicitur, quarto quoque loco vel quinto vel amplius ita repetitur, ut dispositiones quasdam ex versibus numero imparibus inter se conglobatis efformet, quarum singulae singulas sententias exprimant. Veneris et veris laudes celebrantur, eodem modo quo in nocturnis sacris totam per noctem a vigilantibus ad tibiam canebantur. Suave carmen est, molle et delicatum, leve et numeris fluens, iis nativis verborum luminibus illustratum, ut meliorem aetatem olere nonnullis videatur.

Poetae Christiani, qui hymnographi dicuntur

XXI. In lyricorum poetarum tabulis sunt Christiani hymnographi inscribendi, qui aut divina novae religionis mysteria poeticis ornatibus distincta aut heroum martyrum laudes eorum cecinerunt, qui mortem pro veritate caelesti testanda honestissimam oppetiverunt. *Damasus*, cuius septem triginta carmina exstant, Pontifex Romanus Maximus, primo loco memorandus est. Hic primus, ut videtur, illo genere versiculorum delectatus est, qui verbis similiter consonantibus bini parte in extrema concluduntur. *Meropius Pontius*

Anicius Paulinus est in hymnographis etiam recensendus. Ex nobilissima Aniciorum familia oriundus, Eburomagi, ad annum p. Chr. n. trecentesimum quinquagesimum tertium natus est; Ausonii discipulus et amicus fuit, consul suffectus, consularis; cum novam Christianorum sectam sequi coepisset Nolae episcopus factus est, unde *Nolanus* appellatur. Carmina quadraginta et epistulas amplius triginta reliquit; illa et re et versuum genere valde inter se discrepant; ad veterum poetarum imitationem nunc hexametros et versus longiunculos, nunc melicos, nunc nonnullos alios adhibuit. Hymni in primis probantur, quibus lyrice divi Felicis martyris Nolani «*Natalicia*» celebravit. Placet etiam si quando suos sensus effundit, ut de bene sapienterque vivendo praecepta tradat; quem sincero animo virtutis magistrum Christum sequitur, illum chartulae sua sapiunt, illum omnes spirant sententiae, pietatem in Christum redolet ipse. Nonnullis in epistulis ob miram ac prope divinam doloris perferendi patientiam, quae spirat e verbis, illa pulcherrima in primis videtur, quam ad clarum senatorii ordinis virum, Pammachium, familiariter sed copiose scripsit, ut eum uxoris morte acerbe maerentem consolaretur. In hymnographis divus *Ambrosius*, episcopus Mediolanensis, vir cum doctissimus tum sanctitate morum clarissimus, cuius doctrinis atque sententiis refertissimorum exstat voluminum turba. Huic inscribuntur hymni duodecim, qui nitidi sunt et grata sermonis Latini sanitate distincti, divino pleni spiritu et aevi expectatione melioris expleti, ut eorum, qui legunt, animos a curis et doloribus, a terrenis anxietatibus exuant atque ad infinita astrorum spatia, ubi rerum Conditor imperat, ad vitam invitent beatissimam in sempiternis saeculis agendam. Pulcherrimus mihi hymnus videtur, quem a Christianorum catervis atque concentibus matutinis horis conscripsit quotidie concinendum. *Div. Ambr. Hymn. I.*

XXII. Christianorum poetarum principem atque praecipuum ad novam artis rationem suscipiendam auctorem iure

quidem optimo *Aurelium Prudentium Clementem* dixerim, quo aut convenientius aut concinnius nemo novis veterem rebus humanitatem accommodavit. Calagurri, ut videtur, in Hispania, trecentesimo duodequadragesimo anno p. Chr. n. natus est, litterisque omnibus ac disciplinis a pueris eruditus. Piget illum alicubi in carminibus aetatem primam vitiis foedasse et in toga causas iniquas egisse; mox tamen initiatus Christo atque addictus, subselliis relictis, in poemata vario carminum genere fundenda se contulit. Hymnorum eius libri duo exstant, in quorum altero « Περὶ στεφανῶν » hoc est « *De coronis* » inscripto, Christianos vel atrocissima causa Christi morte multatos vel morum sanctitate atque innocentia in divos relatos, ac si in certaminibus gymnicis accepissent palmam, Apollinea laurea ex veterum poetarum consuetudine decoravit. In secundo libro laudationes Dei optimi maximi continentur singulos in dies singulasque in diei partes recitandae, unde liber « Καθημερινῶν » inscribitur. Ad genus didascalicum hoc, quod novo nomine ἀπολογητικόν dixerim — in doctrinis Christianae religionis ab ethnicorum incursionibus defendendis versatur — tum « *Apotheosis* » tum « *Hamartigenia* » tum « *Contra Symmachum* » libri pertinent, quos ita inscripsit. Quinto p. Chr. n. saeculo ineunte, in religionem novam, quam barbaram, invectam, nec ad intelligibilitatem excusam affirmabant, qui declinantibus patriis diis veteribus consulere voluerunt, pro viribus concursum quasi militarem in Christianorum communitatem iteraverunt; e deversoriis undique contra incursum. Acerrimis sapientium disputationibus et pugnis non oratores tantum et philosophi, sed poetae etiam interfuerunt, qui suis armis, carminibus et versibus, usi sunt; Prudentius in primis. Deum unum esse atque trinum contra Marcionenses hereticos; Deum Patrem crucis martyrium cum Filio non esse passum docuit, neque alterum bonorum principium alterum caput esse malorum contra Manichaeos comprobavit. Contra Symmachum, qui in

Περὶ στεφανῶν

Καθημερινῶν

Apotheosis

Hamartigenia

Contra Symmachum

senatu deorum religionem antiquorum restituendam cum ara pacis separandamque esse contendebat, innumerabiles deos illos falsos, absurdos denuntiavit, qui vitiis atque exemplis homines labefactarent. Est de hac re « *Psycomachia* » quo in carmine per sermonem alternum incorruptos Christianorum mores cum vitiis ethnicorum sub hominum forma inducit disputantes. Uberi, copiosa, varia carminum fundendorum facultate Prudentius usus est; cui castigatior unus sermo et rigidior defuit — nam saepe violavit — numerorum atque mensurarum lex; cum ceteris Christianis poetis nihil fere commune habuit; non enim e piis animi sensibus carmina sua nascuntur, neque remissione distinguuntur; inexplebili aestuat ardore, ardore suo hominum animos urit et inflammat. Ad poetas aetatum praeteritarum accedit; ab his versuum mensuras, modos, numeros depromit, verba et verborum ambitus et translationes mutuatur; intimis in venis Christianum se verum sincerumque exhibet, in externis fere paganum; nimirum in se ea componit, quae longo saeculorum lapsu per vim quandam pulchris in rebus insitam attrahentem atque allicientem sponte sua confluxerunt in unum.

Psycomachia

DE CARMINIBUS AD DOCENDUM APTIS

XXIII. Ceteris litteris magis magisque decidentibus, in flore genus carminum fuit, quod rem ab eruditione haurit. Igitur, praetermissis Christianis, *Terentianus Maurus* primo recensendus occurrit, qui de re poetica tripertitum parvum poema scripsit « *De litteris syllabis metris* » inscriptum. Rem aridam atque a poetica ratione remotissimam ita perbelle et iucunde tractavit, ut grammaticorum *Suavissimus* appellatus sit. In re pariter et exili et ieiuna versatus est *Q. Serenus Sammonicus*, qui de morborum remediis et curationibus heroico carmine non ineleganter poematium confecit. Aucto-

De litteris, syllabis, metris

rem Plinium praesertim ex Romanis secutus est, ex peregrinis autem Dioscoridem, Ciliciae medicum clarissimum, qui, ut temporibus illis, herbarum usum scite docteque docuerat in libris, qui exstant. Serenus floruit Caracallae temporibus, cuius opera inter cenandum interfectus est. Aetate autem Cari atque Numeriani Augustorum fuit *M. Aurelius Olympius Nemesianus*, qui ex poetis Carthagine natis non immerito praecipuus habetur. Praeter eclogas quattuor, quae sub nomine Calpurnii generatim scriptae inveniuntur, ideoque ei a nonnullis abiudicantur, haud dubium est, Vopisco auctore, quin tria parva poemata composuerit, quae « *Cynegetica* » et « *Halieutica* » et « *Nautica* » inscribebantur. Istorum primum nitidis quidem versibus et pro temporum ratione eximie et sermone Latino satis puro exaratum superest tantum. Eadem ad tempora pulchra quaedam sententiarum de moribus corona spectat, ex qua nonnullas mihi placet in exemplum afferre:

Spart. Car. 4. — *Vop. Nem. vit. ad init.* — *Cynegetica* — *Halieutica* — *Nautica* — *Catonis disticha de moribus*

Virtutem primam esse puto, compescere linguam.
Proximus ille deo est, qui scit ratione tacere.
Insipiens esto, cum tempus postulat ipsum.
Stultitiam simulare ioco, cum tempore laus est.

Stoico philosopho corona videtur esse tribuenda, *Dionysio* nomine, qua ex re « *Dionysii Catonis disticha de moribus* » inscribitur. Verisimile est, quae in censoris libro praecepta continebantur, ea suo in opere auctorem retractasse. In scholarum usum cum venisset, non semel aut iterum, ut ad compositionem, quae exstat, deduceretur, ab epitomatoribus recentioribus novata et immutata esse videtur.

XXIV. In saeculum posterum *Rufus Festus Avienus* incidit, quem paulo supra in epicis poetis recensuimus; qui praeter breviuscula carmina ad lyricum genus spectantia, Graecos auctores vel ad verbum transferens, vel imitatione exprimens, aut suam ipse rem inveniens, poemata tria composuit; primum, « *Phaenomena et prognostica* » in quo

Phaenomena et prognostica

carmen Arati egregie imitatus est, ut orationis concinnitate, versuum structura Ciceronem et Germanicum superaverit; secundum « *Descriptionem orbis terrae* » continet; e Dionysii Alexandrini carmine rem deprompsit, quod « Περιήγησις » inscribitur. Tertii poematis pars tantum exstat, in qua litoris descriptio a Gaditano freto ad Massiliam patentis continetur. Alio in carmine, quod « *Ora maritima* » inscribebatur Maris interni, Ponti Euxini, Caspii litora omnia descriptione prosequebatur. In hoc poemate carmine trimetro iambico, quae viderat, maximam partem rettulit. Volsiniis enim natus, in Africam, in Graeciam proconsul missus, maritima itinera hinc inde peregit, ex quibus notitias quam plurimas hausit. Rem natura sua siccam notitiarum varietate et peculiari sermonis elegantia distinxit ne legentes similitudinis fastidio satiarentur; hac de causa in bonis poetis Avienus habetur.

Descriptio orbis terrae

Ora maritima

XXV. Cum hoc vel paulo aetate inferior *Flavius Avianus* floruisse videtur, qui elegiacos versus, adminiculum fabularum a Phaedro mutuatus, ad praecepta tradenda adhibuit. Eius nunc sunt quadraginta duae fabulae, quae saeculis mediis, quae dicuntur, assidue in scholis legebantur; hodie tamen nec alliciunt nec placent, quamquam satis purus earum sermo est et versus non ineleganter excusi. Post hunc, aetate quam inspicimus fere exeunte, duo haud ignobiles poetae *Martianus Mineus Felix Capella* atque *Rutilius Namatianus* exstiterunt. Prior in numero Africanorum poetarum inscribendus, licet de eius urbe patria satis inter doctos ambigatur, cum eum alii Madaurensem, alii Carthaginiensem credant. Hoc certo constat eum *in dulci Elissae urbe* Carthagine cum eloquentiae tum novis platonicorum scholis et poetarum studiis vacasse proconsularem ibique dignitatem gessisse. Suum et singulare opus composuit «*De nuptiis Philologiae et Mercurii*» novem constans libris, in quibus soluta oratio variis metro cum carminibus admiscetur, ut a quibusdam « *Satyricon* » appelletur. Philologia, pulchra virginis forma

Fabulae

De nuptiis Philologiae et Mercurii

induta, Mercurio nubit; nuptiis Musae adsunt, omina fausta concinentes; adstant nuptialia dona, videlicet septem artes; grammaticam repraesentant, dialecticam, rhetoricam, geometriam, arithmeticam, astronomicam, musicam per fictam personarum inductionem sub virgineis formis ornamentisque celata. Convivium illum doctrinis atque artibus epulis quasi conquisitis extructum patet apparavisse, quod postea *trivium et quadrivium* mutata verborum imagine est appellatum. Sunt in opere haud ignobilis ingenii et doctrinae vestigia, quae hominem Catonis studiosissimum deprehendunt; ars tamen desideratur, quae rem aridam poetarum luminibus distinguat et illustret. Sermo asperior est et multa barbarie aspersus.

XXVI. *Rutilius Namatianus*, qui originem a Gallis duxit, maxima Romae apud Honorium Augustum auctoritate floruit; anno enim quadrigentesimo quarto decimo p. Chr. n. praefectus urbi creatus est, deinceps et officiorum magister. Post duo annos, Gothis Galliae agros vastantibus, in patriam revertit extremam in litterarum otio aetatem acturus. Urbem ut deam quandam moestissimis proficiscens salutat verbis:

Oramus veniam lacrimis et laude litamus.
In quantum fletus currere verba sinit:
Exaudi, regina tui pulcherrima mundi,
Inter sidereos Roma recepta polos,
Exaudi, nutrix hominum genitrixque deorum;
Non procul a caelo per tua templa sumus:
Te canimus semperque, sinent dum fata, canemus:
Hospes nemo potest immemor esse tui.

Nam. I. de Red 45 52.

In quo otio atque silentio, cum secum tantum uno, vetera repetens, constanter versaretur, fiebat ut rerum memoria praeteritarum, quas in Urbe viderat, suavissime atque per se in animo suo loqueretur, eumque desiderio et acuto doloris sensu affectum, qui Romanum hominem deceret, ad fletum cum singultu moveret. Viderat enim, cum in

patriam reverteretur, urbem Romam, quae tot annis fuerat totius terrarum orbis lumen atque *regina*, subito quodam incendio concidentem; veteres deos patrios e terris ad astra aufugientes; vastatos a barbaris gentibus imperii fines viderat, sine munimentis, sine exercitibus, quibus armorum arceri vis posset, nobilissimas viderat Italiae urbes ruinis obrutas, vepribus et dumetis conseptas. Ex hac mentis contemplatione movetur et vehementer concitatur et rerum praesentiarum velut inscius, eodem spiritu et verborum colore, quo poetae Augustei usi erant, ad coelum Urbis magnificentiam extollit:

Fecisti patriam diversis gentibus unam:
Profuit invitis te dominante capi.
Dumque offers victis proprii consortia iuris,
Urbem fecisti quod prius orbis erat.

Nam. l. de Red 51-54

Hoc unum in carmine « *De reditu suo* » condendo petivit, ut a praesentium conspectu malorum se tantisper averteret, et solacium in aevi prioris memoria quoddam inveniret.

DE RERUM SCRIPTORIBUS

XXVII. Cum Tacito sive aetate sive narrationis genere ipso *Suetonius Tranquillus* aliquomodo coniungitur, quippe qui, illo vivo, eadem fere ratione imperatorum historias scribere coeperit. Inter duas aetates cum eius vita incidisset, utriusque in se conciliavit notas atque coniunxit. Ut enim ex superiore aetate pressum dicendi genus a Tacito atque veritatis studium desumpsit, ita cum scriptoribus, qui cum eo fuere, communem diligentiam habuit, qua adhibita, ex monumentis sollerter inspectis, notitias eruit, quibus ad certam rerum gestarum memoriam tradendam uteretur. Nerone imperante natus, in litterarum et iuris disciplinis delituit Suetonius, quoad, Traiano moderate dominante,

causarum simul actor et rhetor et rerum scriptor insignis exstitit. Doctrina atque morum probitate Plinio iuniori placuit, qui eum Caesennio et Nervae Traiano; insinuavit, hic eum iure trium liberorum donatum magistrum ad se epistularum ascivit. Post aliquot annos curia dimissus est, quod aliquid in Sabinam imperatoris uxorem fecisset, et cum studia recepisset intermissa, volumina eruditione plena edidit innumerabilia. In antiquitatis scientiis versatus est, ut alius Varro haberi possit. Dolendum, quod librorum pars maxima interciderit; exstant duodecim priorum imperatorum eleganti et erudito dicendi genere exaratae a Caesare ad Domitianum vitae, quae uno nomine « *De vita Caesarum* » inscribuntur; at perenni narrationis similitudine ad quasi satietatem gravantur: una est in imperatoris cuiusque vita rerum distributio, unus ordo; a parentibus orditur; domesticam eorum exponit indolem, institutionem, mores, studia; neque ad res singulares devertit, quas in imperio administrando memoria dignas fecerint; sed ad mortem et honores post obitum acceptos prosequitur; nihil detrahit, nihil addit, res, quae reapse fuerunt, enumerat. Ex qua instituta scribendi ratione argumentum in natura positum invenimus, quod vera ea esse probat, quae incredibilia propter immanitatem nonnullis a Tacito excogitata videntur. In altero opere, quod « *Di viris illustribus* » inscribebatur, ex diversa condicione virorum sex partibus distinctis, de poetis, de oratoribus, de historicis, de philosophis, de grammaticis, de rhetoribus agebatur, qui inde ab exordiis litterarum ad aetatem suam nominis laude floruerunt. Prooemium, in quo de genere libro pertractando in uno quoque disceptat, cuique parti praemittit. Huius operis viginti grammaticorum vitae, poetarum quinque, totidem rhetorum, oratorum una exstant, ex aliis fragmenta tantum vel excerpta ad litterarum Latinarum historiam penitus cognoscendam utilissima.

De vita Caesarum

De viris illustribus

XXVIII. Cum hoc vel aetate coniuncti, vel suppares

epitomatores, qui dicuntur, nonnulli fuerunt, qui id, quod fuse in aliorum historiis narrabatur, paucis complexi verbis sunt et brevius summa rerum capita persequentes fecerunt, quo facilius in scholis pueri edocendi memoriae mandarent. In his *Annaeus Florus* recensendus est, origine Africanus vel Hispanus, qui breviarium rerum Romanarum ab Urbe condita ad aetatem Augusti composuit. Probatur ornata verborum concinnitas et ipsa in brevitate floridae elegantiae studium, quae colorem poetarum narrationi addunt, oratori quam rerum scriptori, magis consentaneum. Cum in notitiis decerpendis Livium auctorem secutus sit, opus hoc parvum « *Epitome de Tito Livio bellorum omnium annorum DCC libri duo* » inscribi solet. Attamen a Livio non infrequenter discedit, interdum dissentit; verum in notandis temporum ordinibus multos in errores delabitur. Florum etiam poetam fuisse, cum iam antea ex litterarum monumentis satis certo constaret, fragmentum quoddam eius, non ita multis annis ante nos repertum, comprobavit. Ex Livii similiter historiis *Granius Flaccus Licinianus* epitomen confecit « *Annales* » inscriptam, cuius in lucem fragmenta centum abhinc annos venerunt. Ex Livio Granius, maioribus praetermissis, miras res et prodigia incredibilia decerpsit, quae novitate mentes hominum percellere possent. Hac etiam aetate *Iustinus Iunianus* floruit, qui Pompei Trogi « *Philippicas Historias* » deperditas, in epitomen redegit. Duplici ratione in epitome conficienda usus est; nam nunc iisdem fere verbis rettulit excerpta ac si ex his « ἀνθολογίαν » conflaret; nunc breviter perstrinxit. Maximi momenti apud eruditos homines epitome Iustini est, quae in tanta reliquorum scriptorum iactura una totius orbis historiam exhibet. Posterior *Ampelius* fuit, cuius « *Liber memorialis* » exstat collectaneus ex rebus conflatus memorabilibus, quae in toto terrarum orbe ad cognoscendi voluptatem iucunda evenerunt. Ineunte autem tertio p. Chr. n. saeculo *Marius Maximus* floruit, qui Suetonium secutus

Epitome bellorum omnium

Char. I. p. 38. 99 et 113.

Annales

Liber memorialis

inperatorum vitas ab Hadriano ad Heliogabalum narravit. Eius opus intercidit; at maxima ex parte in celebratissima superest « *Historia Augusta* » quae ab illo tamquam ex fonte unico integra fere provenit.

Historia Augusta

XXIX. Auctores varii sex hanc historiam temporibus diversis confecerunt, *Aelius Spartianus*, *Vulcatius Gallicanus*, *Trebellius Pollio*, qui tertio saeculo exeunte fuerunt; *Iulius Capitolinus*, *Aelius Lampridius*, *Flavius Vopiscus*, cuius aetas in saeculum incidit, quod est subsecutum. Etsi historia haec incredibili obscuritate offuscetur et nimia barbarie laboret, cum huius memoriae monumentum sit litteris mandatum unum, magni ab eruditis hominibus et antiquitatis studiosis habetur. Caesarum quoque vitas ab Augusto ad Theodosium *Aurelius Victor* parvo libello prosecutus est, qui « *Caesares* » inscribitur. Nitida libelli oratio est et, ut temporibus illis, haud parum elegans. Huic Victori libri duo alii a nonnullis criticis attribuuntur, alter « *De viris illustribus* » alter « *Origo populi Romani* » inscriptus, quorum uterque tot sermonis vitiis corruptus est, ut ex comparatione cum libello *De Caesaribus* deteriorem ob sermonem sequiori aetati addicendus videatur.

Caesares

Breviarium historiae Romanae

XXX. Optimi in suo genere sunt decem libri, in quos Valente Augusto invitante *Eutropius* « *Breviarium historiae Romanae* » redegit. Aetates omnes ab Urbe condita ad annum p. Chr. n. trecentesimum sexagesimum quartum prosecutus ita est, ut brevitati et perspicuitati consuleret. Ex veteribus rerum scriptoribus res eas decerpsit, quae memoratu dignae erant, easque ad veritatem conformatas rettulit. Eutropii tenuis sane libellus est, sed perspicuus, planus, apertus, unde magni mediis saeculis habitus est et in scholis perlectus. Suetonii aequales fere *Rufius Festus* et *Iulius Obsequens* fuerunt, quorum alter ab Urbe condita ad Iovianum in libro, qui « *Breviarium rerum gestarum populi Romani* » inscribitur memoriam omnem enucleavit; « *Prodigiorum libellum* »

Prodigiorum libellus

alter composuit, in quo prodigia et portenta ex narrationibus Livii decerpta rettulit.

XXXI. Hic rerum scriptores recensendi sunt alii, Christi asseclae, in primisque *Sophronius Eusebius Hieronymus*, qui saeculo quarto p. Chr. n. floruit. Huius, praeter voluminum turbam, quae eximiam eius *Scripturarum* notitiam testantur «*Chronicon Eusebii*» exstat, quod e Graeca lingua in Latinam conversum continuavit, et liber «*De viris illustribus*» inscriptus, in quo Christianorum scriptorum vitas narravit. Eius amicus deinde adversarius *Turranius Rufinus* fuit, qui «*Historiam monachorum*» composuit et Latine «*Ecclesiae historiam*» ex Eusebio vertit. Cum his quoque fuerunt *Q. Iulius Hilarianus*, qui «*Chronicon*» rerum memorandarum et libellos confecit, quorum alter «*De mundi duratione*» alter «*De ratione Paschae*» inscribitur; *Paulus Orosius*, qui Augustini hortatu historiarum libros septem non inculto exaravit sermone, in quibus *miserias hominum, paucas dumtaxat, easdemque breviter delibatas* ab ipsis incunabulis mundi ad sua tempora complexus est. In Christianis rerum scriptoribus, qui hac aetate fuerunt, *Sulpicius Severus* primum locum occupat, qui adeo eleganti, terso pressoque sermone scripsit, ut *Sallustius Christianus* appellatus sit. Eius praeter epistolas «*Vita B. Martini Turonensis Episcopi*» et «*Historiae sacrae libri duo*» exstant mirabilium rerum atque portentorum referti et divinam redolentes pietatem.

Chronicon Eusebii

De viris illustribus

Historia monachorum

De mundi duratione et de ratione Paschae

Vita B. Martini et Historiae sacrae

XXXII. Paulo aetate anterior *Ammianus Marcellinus* exstitit, quem in hunc locum remisimus, ut eius nomine rerum scriptorum tabulas conficiamus. Graecus Antiochenus, militia cum Romanorum exercitibus in Asia, in Gallia, in Germania perfunctus, Romam quinquagesimum annum agens venit ibique in historiis conscribendis est versatus. Opus integrum «*Rerum gestarum*» libris XXXI constabat, quorum priores tredecim interciderunt; reliqui exstant. Memoriam omnem a Nerva ad Valentis obitum litteris mandavit, ut

res alias pressius, quae trecentos annos evenerant, fusius, quas ipse viderat, exponeret et explicaret. Hinc partium inaequalitas; in libris qui supersunt memoria tantum viginti quinque annorum continetur. Cum vero auctorem sibi imitandum Tacitum proposuisset, non externa tantum bella prosecutus est, sed civiles res et eventus urbanos notavit et principum virorum studia, mores ingenia descripsit. Ethnicus cum esset, aequum de Christianorum cultu ac religione tulit iudicium *simplicem et absolutam* religionem hanc arbitratus, minimeque cum barbarorum superstitionibus populorum componendam. In notitiis vero referendis tanto veritatis studio atque aequi flagravit, ut dignus omnino sit, qui ex hac parte cum Tacito conferatur. Hanc ob causam, ut Iuliano Augusto, qui *Apostata* appellatus est, Christianos saevissime insectanti minime indulsit, episcopum quendam Alexandriae aperte exprobavit, propterea quod, divini muneris et officii nihil natura sua nisi iustum atque lene suadentis penitus oblitus, delatoris provinciam sibi propriam assumpsisset. Item severus et gravis morum existimator in corruptos eius aetatis homines vehementissime invectus est, iisque passim inter narrandum, tamquam virtutis exempla pro viribus imitanda, Catonem, Regulum, Fabricium, alios vitae moribus viros et sanctitate insignes opposuit. Eius itaque vox postrema fuit, quae populi Romani maiestate non indigna audita est, quasi praeconis cuiusdam in extrema nominis Romani pernicie ex morum corruptione profluente ad arma conclamantis.

RHETORES

XXXIII. Ultima litterarum Latinarum aetate ineunte, Romana eloquentia defloruit et evanuit penitus exausta. Nam etsi nihil superioris aetatis rhetores Quintilianus et Tacitus inexpertum aut intentatum reliquissent, ut ad pristinam

artem atque rationem eam revocarent, in nullo memoriae huius homine umbra oratoriae facultatis invenitur. Causis corruptionis, quas supra memoravimus, duae accesserunt, nimium videlicet eruditionis studium, quo litterati homines capti sunt, atque novus quidam sermonis sensus, qui ingenia occupavit. Plurimum ad corruptionem augendam altera causa valuit; nam, dum rhetores turgescentis eloquentiae vitium simplici quodam et quasi nativo dicendi genere reparare contendunt, in contrariam obsoleti sermonis omni colore carentis mendam reciderunt. Nihil igitur illis purum in dicendo esse vel Latinum sapere visum est, nisi quod aut ab Ennio, aut a Plauto, aut ab eorum aequalibus, hoc est ab ipsis Latinae linguae incunabulis, esset petitum. Hinc factum est ut, cum unis inusitatorum verborum coloribus delectarentur, sub iis vanas tegerent et ineptissimas sententias. Prae ceteris in hac dicendi ratione *M. Cornelius Fronto* viguit, cuius ex umbraculis turba quaedam hominum in ore sermonis veteris ostendentium puritatem processit. Fuit Fronto hic Cirtensis patria, sed quamquam in Africa natus, stirpe Italicus. Latinis litteris eruditus, Dionysium Tenuiorem atque Athenodotum magistros audivit. Hadriano imperante Romam cum venisset, primum in eloquentia locum obtinuit, adeo ut Marcum Antoninum et Lucium Verum, Hadriano iubente, instituendos susceperit. Summis hanc ob causam honoribus a Caesaribus affectus est et consulari dignitate et statua insignitus; ad annum centesimum septuagesimum quintum p. Chr. n. obiit. Veteres rerum scriptores nobilem oratorem et gravem eum dixerunt atque eloquentiae *non secundum sed alterum decus*, Ciceroni eloquendi laude parem vel etiam maiorem arbitrantes, at apud nos silentio iacet. Non gravibus sententiis, quae flos et robor sunt orationis, sed obsoletis verborum ornatibus atque fucatis pigmentis eius scripta illustrantur: in deliciis Catonem, Ennium habet contemnitque Livium, Virgilium, Ciceronem, ex cuius oratio-

Front. Epist. ad M. Caes. 1. 12 et 4. 12. et ad Verr. de Eclog. p. 171.

Eutr. 8. 6; Sid. I. Epist 1.

nibus *paucissima insperata atque inopinata verba* promi posse exsistimat. Immo et a Seneca abhorret, in quo eandem rem variis inculcatam verbis deprehendit, ut fastidio sit, atque verba nova *modulate collocata et effeminate fluentia* aspernatur; ipse *vetustulum colorem* in verbis insectandum putat in verborumque vero conclusionibus sonum, qui ex nimia arte vel fabricatione promanat. Ex orationibus, quas in foro dixit, nihil omnino est, e panegyricis vero fragmenta; exstant contra sermocinationes de rebus ineptioribus atque nugis, quales « *Laudationes fumi et pulveris* » « *Neglegentiae elogium* » quae in exemplum huius eloquentiae generis vel potius in proverbium abierunt. Ex his igitur unis quid iam de auctoris ingenio existimari possit, licet colligere; quod iudicium « *Epistularum libri* » quoque confirmant, qui sunt. Quos cum pervolutarem verba ad Antoninum imperatorem rescripta legi, quae huius aetatis oratoris cuiusque exhibent imaginem: « *Ne ego post homines natos et locutos omnium facundissimus habear, cum tu, M. Aureli, mea scripta lectitas et probas, et lucrativa tua in tantis negotiis tempora meis quoque orationibus legendis occupare non inutile tibi arbitraris nec infructuosum* ».

Laudationes fumi et pulveris Neglegentiae elogium

Epistularum libri

Front. II. Epist. 2.

XXXIV. In causidicis, in rhetoribus, in philosophis Platonicis numerandus est *L. Appuleius*, Madaurensis, vir singulari praeditus ingenio, qui morum vitiis incredibili mentis celeritate pensavit. Nobili loco natus anno centesimo tricesimo p. Chr. n. Carthaginem a patre missus est; cum eruditus litteris esset, philosophiae et eloquentiae studiis vacavit. Athenas inde se contulit, ut, quae in patria urbe inchoaverat studia, ad summam proveheret perfectionem. Athenis relictis, cum dicendi studio flagrans iter suscepisset, venit Romam Latinamque linguam didicit mysteriis Osiridis Serapidisque initiatus. In Africam cum reversus esset apud multas civitates laude eloquentiae percrevit; inter peregrinandum viduam Pudentillam aetate longe maiorem uxorem

Conf. Apul. Apolog.

duxit, ut sibi ex matrimonio divitias compararet. Pudentillae affines hac de causa eum magiae accusaverunt, a qua insimulatione se defendit oratione, quae « *Apologia* » inscribitur.

XXXV. Plurima opera cum re tum genere diversa confecit, alia Graece, alia Latine, soluta aut numeris adstricta oratione exarata. Ex his ad memoriam pervenit « *Apologia* » quam diserte in urbe Oea coram Claudio Maximo proconsule pronunciavit; tum « *Floridorum libri quattuor* » in quibus excerpta orationum continentur; tum opus maximum, quod «*Metamorphoseon libri XI*» vel «*Asinus aureus*» inscribitur. Ex orationibus, quae sunt, floridioribus verborum coloribus ornatus, nitidus, vivida mentis alacritate praeditus, verum prolixior et tumidior, ut Afri fere omnes, orator apparet; in summa orationum ubertate inest luxuries, ut nimiae in pabulis herbae, stilo depascenda, quae spissior ad fastidium virescit. Nominis immortalitatem posterae memoriae non orationibus, sed fabula Milesia commendavit, quae habetur in pulcherrimis. Res in amoena Thessaliae regione agitur.

Apologia

Floridorum libri

XXXVI. Puer quidam Corinthius, Lucius nomine, magicas in se artes experiri exoptans in alitem se immutare affectat, ad quod assequendum, cum multis se deleniat unguentis et aromatis, propter errorem, in quem toreumatis in adhibendis incidit, non in avem se, sed in asini formam convertit. Asinus factus, quamquam rationis atque sensuum particeps praelongis auriculis insignite decoratus, hac illac fortuito cum latrociniis, cum magis, cum ceteris huiusmodi comitibus pererrans, nequissima mala omnia, quae asinorum propria sunt, patitur animoque tolerat aequo. Post multas et varias vicissitudines, in quas ignarus incurrit, Isidis mysteriis usus rosis quibusdam vescitur, quarum miraculo inopinanter in pristinam tandem hominis imaginem redit. A lascivis et obscenis fabulis, quibus libellus farcitur, a sceleribus, ab indignis latronum facinoribus quam plurimum differunt, quae « ἀλληγορικῶς » per fabulam fictam de voluptatis origine

Asinus aureus

poetice ementitur. Nobili in civitate puella erat egregia clara pulchritudine, Psyche, regis filia, tribus ex sororibus minima, quae gratissima specie erant. Illam multi cives et advenae copiosi, quos spectaculi rumor studiosa celebritate congregabat, formositatis admiratione inaccessae perterriti, cum non auderent amare, proni eam venerabantur atque hostiis mactatis placabant et precabantur, tamquam deam quasi. Quae pulchritudinis fama cum late per provincias ad ultimas terrarum oras esset pervagata, multi undique mortalium longis itineribus atque altissimis maris meatibus ad saeculi specimen gloriosum confluebant eiusque causa templa Veneris deserebantur. Quod cum Cythereae invidiam conflavisset, petit a filio Cupidine dea, ut in pulchritudinem contumacem vindicet. Indignatione fremens advolat puer alatus matrem ulturus, qui videt puellam et amat Zephirisque suaviter flantibus in montem adducit. Illam aurea in domo se ex pavore recipientem ita describit: « *Psyche teneris et herbosis locis in ipso toro roscidi graminis suave recubans, tanta mentis perturbatione sedata, dulce conquievit, iamque sufficienti recreata somno, placido resurgit animo. Videt lucum proceris et vastis arboribus consitum, videt fontem vitreo latice perlucidum; medio luci meditullio prope fontis adlapsum domus regia est, aedificata non humanis manibus sed divinis artibus. Iam scies ab introitu primo Dei cuiuspiam luculentum et amoenum videre te diversorium* ». « *Haec et summa cum voluptate visenti offert sese vox quaedam corporis sui nuda et: Quid, inquit, domina, tantis obstupescis opibus? tua sunt haec omnia. Prohinc cubiculo te refer et lectulo lassitudinem refove et ex arbitrio lavacrum pete. Nos, quarum voces accipis, tuae famulae, sedulo tibi praeministrabimus; nec corporis curatae tibi regales epulae morabuntur. Sensit Psyche divinae providentiae beatitudinem monitusque voces informes audiens, et prius somno et mox lavacro fatigationem diluit: visoque statim proxumo semirutundo, sug-*

Cupidinis et Psyches fabula

gestu propter instrumentum cenatorium rata refectui suo commodum, libens accumbit. Et ilico vini nectarei eduliumque variorum fercula copiosa, nullo serviente, sed tantum spiritu quodam inpulsa subministrantur. Nec quenquam tamen illa videre poterat, sed verba tantum audiebat excidentia et solas voces famulas habebat. Post opimas dapes quidam introcessit et cantavit invisus, et alius citharam pulsavit, quae videbatur nec ipsa. Tunc modulatae multitudinis conferta vox ad aures eius affertur, ut, quamvis hominum nemo pareret, chorus autem esse pateret. Finitis vuluptatibus, vespera suadent, concedit Psyche cubitum ». Hanc ignaram per noctem cum Cupido compressisset incognitus diluculo primo avolat vesperi reversurus. Sorores mane sororem de rebus conquirunt, certioresque factae adulescentem ignotum serpentem esse convincunt. Terrore confecta ad monstrum necandum novaculam parat; sub modio lucernam condit; in adulescentulum prope se nocte concubia accumbentem novaculam arripit interfectura; at eximiam conspicata formam desistit stupensque immodesto torretur amoris sensu. Cupido expergefactus extorrem et profugam relinquit. Innumerabiles per aerumnas, diis faventibus, Cupidini laetissima nubit; sollemniter in caelo nuptiae celebrantur. Ex hoc concubitu nata Voluptas, Psyches et Cupidinis filia. Haec caste et pure narrantur, cum non e fabulis Milesiis, ut cetera, promanent, sed meliores, intimiores hominis sensus redoleant.

XXXVII. Sed ad oratores revertamur, nam ab his huc sermo discessit. Apuleio inferiores *Eumenius*, *Nazarius*, *Claudius Mamertinus*, *Depranius Pacatus*, alii fuerunt, qui adulandi causa, ut tempora ferebant, multum quidem, sed sine laude in imperatorum panegyricis condendis desudaverunt. In explicandis rhetorum disciplinis nonnulli post Quintilianum versati sunt, quorum alii tertio saeculo, alii quarto floruerunt. In istis recensendus est *Aquila Romanus*, qui, cum ex Graeco libello Alexandri Numeriani multa

decerpsisset, ea Romanorum usui accommodavit; opusculum eius « *De figuris sententiarum et elocutionis* » inscribitur. Incertum utrum huic tribuenda sint « *Schemata Lexeos* » et « *Schemata Dianoeas* » an potius, *Iulio Rufiniano* addicenda, qui paucis post eum annis fuit. In postremis Romanis rhetoribus tum *Messius Arusianus* inscribendus, qui « *Exempla elocutionis ex Virgilio, Sallustio, Terentio, Cicerone digesta per litteras* » confecit, tum *Curius Fortunatianus*, qui in tres libros « *Artem rhetoricam* » redegit, tum *Sulpicius Victor*, qui « *Institutiones oratorias* » laudabiliter scripsit, tum alii innumerabiles scholarum magistri nulla memoria digni.

De figuris sententiarum et elocutionis

Syntagma de Arte rethorica

XXXVIII. Extrema litterarum Latinarum aetas oratorem suum *Q. Aurelium Symmachum* tulit non ignobilem, qui Theodosii et filiorum aetate ingenio, auctoritate, doctrina quam plurimum valuit. Exstant eius, quamquam mutilae et intercisae, orationes novem, ex quibus sex de imperio administrando in senatu dixit; reliquae ad panegyricos spectant. Eius laudes apud veteres rerum scriptores inveniuntur, apud Macrobium, cum ceteris oratoribus comparatio: « *Quattuor sunt genera dicendi: copiosum, in quo Cicero dominatur; breve, in quo Sallustius regnat: siccum, quod Frontoni adscribitur: pingue et floridum, in quo Plinius Secundus quondam, et nunc nullo veterum minor, noster Symmachus luxuriatur* ». Praeter orationes Symmachi exstant « *Epistularum libri decem* » ex quibus multae scitu dignae aequalis memoriae notitiae eruuntur. Singularis epistula est oratorio stilo perscripta, qua Romam ita eloquentem apud patres facit, ut se patriae religionis acerrimum exhibeat defensorem. « *Optimi Principes, patres patriae, reveremini annos meos, in quos me pius ritus adduxit! utar caerimoniis avitis neque enim paenitet! vivam more meo, quia libera sum, hic cultus in leges meas orbem redegit, haec sacra Hannibalem a moenibus, a Capitolio Senones reppulerunt, ad hoc ego servata sum, ut longaeva reprehendar? Videro quale*

Macr. V. Satur. I.

Symm. X. Epist. 53. 61.

sit quod instituendum putatur; sera tamen et contumeliosa est emendatio senectutis». In eadem epistula pulcherrimus locus alter est, in quo patribus persuadere contendit, ut suam Victoriae aram restituant: «*Praestate, oro vos, ut ea quae pueri suscepimus senes posteris relinquamus, consuetudinis amor magnus est.... Suus enim cuique mos, suus cuique ritus est, varios custodes urbibus cunctis mens divina distribuit; ut animae nascentibus, ita populis fatales genii dividuntur, accedit utilitas, quae maxime homini deos adserit, nam cum ratio omnis in operto sit, unde rectius quam de memoria atque documentis rerum secundarum cognitio venit numinum? iam si longa aetas auctoritatem religionibus faciat, servanda est tot saeculis fides et sequendi sunt nobis parentes, qui secuti sunt feliciter suos*». Ob constans erga vetustatem studium, vir ingenii praestantissimi atque ceteris in rebus moderatus, iniquo in Christianos animo usus est, quod acerrimos in illis adversarios vel hostes nominis Romani videret. Contra eum divinae religionis causam divus Augustinus eloquentissime dixit, carminibus etiam Prudentius. Cum Symmacho, qui ad multam senectutem aetatem produxit — nam plus quam octoginta annos natus obiit — praevalidum non modo veterum superstitionum robur evanuit sed simul Romana eloquentia omnis ultimo lumine orbata in perpetuum intercidit.

ETHNICI PHILOSOPHI

XXXVIIII. Genuina et vera Romanorum sapientia in libris *M. Aurelii*, qui imperator creatus est, Graece exaratis, revixit et simul cum eo recidit. Etenim hic vere Romanus vir atque expressa sapientis imperatoris imago quamvis ex Frontonis umbraculis esset profectus, cuia nihil ad perfectam eloquendi artem philosophorum cogitata interessent, cum

suapte natura stoicorum se scholis instituendum tradidisset, quam sapientiam ab illis accepit, tanta moderatione temperatam ad domesticos Romanorum mores et publica ad instituta accommodavit, ut Graece scribens, Romanum aliquid et absolutum atque perfectum effecerit. Egregium eius libri duodecim, qui « Τὰ εἰς ἑαυτόν » inscribuntur, et postremum Romanorum sapientiae exhibent documentum. Simplices sunt, nitidi, rerum magis quam verborum luminibus distincti, tot gravibus, illustribus, reconditis ornati sententiis, ut non modo pristinae in iis virtutis memoria resideat, sed quidam Christianae quasi sapientiae odor suaviter promanet. Iure in aureis temporum omnium scripturis « Τὰ εἰς ἑαυτὸν » habentur, quae non modo muneris decus et dignitatem in imperatore amplificaverunt, sed hominum animos impulerunt ad eum perfectionis et virtutis gradum, ubi spiritus unus ab omni materiae concretione seiunctus dominatur et regnat.

Τὰ εἰς ἑαυτόν

XXXX. In philosophorum numero — mirum quidem si qualis reapse etiam fuerit homo inspiciamus — *L. Appuleius* ponendus est, quem in oratoribus et fabularum Milesiarum scriptoribus rettulimus. Ceterum iam in illo suo *Asino aureo*, nescio utrum ridendo melius an de iis disputando se in cognitione morum quam qui maxime versatum exhibeat. Ex ingenio, quo multiplici utebatur atque vario, sapientiam dedita opera sibi pertractandam arripuit. E Platonicorum doctrinis, e Iudaeorum arcanis, ex Aegyptiorum mysteriis, ex superstitionibus Asiaticorum et ceterarum gentium, quas peregre viserat, novum quoddam et varium et mixtum, et, ut ita dicam, turbulentum philosophiae genus deprompsit, quod ex cogitationibus aliorum et inventis in mente sua conflatum plenam ad artem corformatum redigere conatus est. In tribus libris, qui « *De Platone eiusque dogmate* » inscribuntur, divinum illud ingenium ex neoplatonicorum scholis interpretatus est. In secundo libello « *De Deo Socratis* » inscripto, de daemonibus egit, qui e terricolis ad caelicolas

De Platone eiusque dogmate

De Deo Socratis

ultro citroque hinc petitiones, suppetias inde portant. In tertio, qui « *De mundo* » est, orbis originem et fabricationem explicat. Ex libris aliis, qui Apuleio attribuuntur, supersunt pauca fragmenta.

De mundo

CHRISTIANAE SAPIENTIAE SCRIPTORES

XXXXI. Appuleio aequalis Afer *Minucius Felix* fuisse videtur, primus quidem Christianorum, qui in scripturarum genere versati sunt, quod Graece apologeticum appellatum est; eius prae manibus est dialogus « *Octavius* » inscriptus in quo cultum Christianorum defendit. Caecilium Natalem et Octavium inter se de rebus religiosis disceptantes inducit, illum pro veterum superstitionibus, hunc pro novis doctrinis; vincit in epilogo Octavius. In huiusmodi scripturis dialogus praecipuus habetur ob orationis formam et Ciceronianam quasi elegantiam et vim probandi, quae cum maxima sit, callidissimum deprehendit causidicum hominem. Minucius antequam Christo initiatus est, causas agebat in iudiciis. Afer, sed Minucio aetate posterior — fuit enim sub Severo et Caracalla — *Q. Septimius Florens Tertullianus* fuit, cuius exstant infinita volumina, ad religionem spectantia. Fuit eius aetatis vir omnium doctissimus orator et scriptor, verum in scribendo quam in dicendo vehementior, in artibus omnibus et litteris eruditissimus. Ex eius scripturis laudatur maxime « *Apologeticus* » quem iuris Christianorum quasi renunciationem ad proconsulem Romanum, qui provinciae praeerat, ad antistites, ad praesides remisit. Natura intemperans, ad maiora et extrema audenda paratissimus, nimio religionis et morum studio integritatis ad sectam Montanistarum accessit, qui pseudoprophetae cuidam, Montano nomine, fidem habuerunt. Qualis reapse fuit, talem se in libris exhibet; asper enim dicax, durus, salebrosus est, et quamvis Ciceronianis quibusdam ornamentis non careat interdum obscurus.

Apologeticus

XXXXII. Huius et municeps et familiarissimus, ingenio tamen et natura admodum diversus, *Caecilius Cyprianus* fuit, qui *Thascius* appellatur. Vir hic morum sanctitate in primis insignis, multa iam rhetoris fama multoque ethnicae religionis studio in patria urbe pollebat, cum, Caeciliano presbytero hortante, Christi religionem suscepit seque, re familiari pauperibus data, illis unis tradidit scientiis, quae ad Deï atque rerum divinarum contemplationem spectant. Eius multitudo exstat voluminum, quae suavem quandam atque quasi mentis divinae imaginem spirant. Ex librorum lectione, quale eius ingenium et indoles fuerit nemo Lactantio melius iudicavit. « *Unus igitur praecipuus et clarus exstitit Cyprianus, quoniam et magnam sibi gloriam ex artis oratoriae professione quaesierat, et admodum multa conscripsit in suo genere admiranda. Erat enim ingenio facili, copioso, suavi, et, quae sermonis est maxima virtus, aperto: ut discernere nequeas, utrum ne ornatior in eloquendo, an facilior in explicando, an potentior in persuadendo fuerit* ». Insignis in eius orationibus est, tum rerum copia et doctrina tum quoque sermonis elegantia, illa, quam in conventu et concilio Africanorum episcoporum singulari animi vi atque concitatione pronunciavit. In ceteris autem operibus libri « *De catholicae ecclesiae unitate* » praecipue laudantur, in quibus principium et fundamentum in quaestione admodum vexata unitatem firmam et stabilem esse contendit.

Lact. 5. 1. sub fin.

De catholicae ecclesiae unitate

XXXXIII. *Lactantius* fuit et ipse Afer origine. Nam multos Africa, quasi florens sapientissimi cuiusdam magistri schola, oratores et clarissimos in sacris disciplinis protulit uno fere tempore Christianos scriptores. Sed non desunt critici, qui eum Firmi natum credant indeque cognomen *Firmianum* invenisse. In Africa *Arnobio* magistro usus est, qui septem libros « *Adversus nationes* » inscriptos, videlicet adversus ethnicas gentes, multo tritoque rhetorum artificio, diligenter, sincere, composuit. Ex huius doctrinis profectus

Libri adversus nationes

Lactantius incredibile est quot quantaque volumina diversas quaestiones pertractantia ediderit. In septem «*Divinarum institutionum*» libris, corpus Christianae sapientiae redegit. Maior in libris concertatoriis conficiendis pro mentis conformatione fuit. Ad genus controversiarum spectant tum liber «*De ira Dei*» in epicureos, qui *Deum immobilem faciunt* rerum humanarum quasi inscium, tum «*De mortibus persecutorum*» in quo res illius expletur. In hoc eloquenter et copiosissime, multis memoratis exemplis, ostendit non sine certo Dei consilio accidisse, ut qui imperatores nullum in Christianos genus crudelitatis intermisissent, hi et tristem vitae suae finem nanciscerentur. Tanti autem eius facundia apud aequales habita est, ut *Chistianus Cicero* appellaretur. Testis Hieronymus est, in cuius epistula haec de Lactantio verba leguntur: «*Lactantius quasi quidam fluvius eloquentiae Tullianae, utinam tam nostra affirmare potuisset, quam facile aliena destruxit*». Quibus postremis verbis, ut patet, Dalmatus philosophus Christianus concertatorium librorum genus notat, in quo Lactantius praecipue elaboravit. Nimius fortasse in laudatione Hieronymus fuit; certum tamen est non tantum oratorum ethnicorum sed Christianorum quoque scriptorum facundissimum fuisse eosque oratione eleganti et pura et suavi valde superasse.

Libri divinarum institutionum

De ira Dei

De mortibus persecutorum

Hieron. Epist. 58. n. 10.

XXXXIV. Dalmatus philosophus *Sophronius Eusebius Hieronymus* fuit, cuius scripta bibliothecam conficiunt. In illo enim Bethleemico curarum humanarum divino silentio, in quod, tamquam viator quidam itinere longo confectus, libenti se animo recepit, in disciplinis omnibus mirum est quantum desudaverit. Eius industriae praeclarissima exstant monumenta, alia ad historiam pertinentia, alia ad sapientiam, alia ad eloquentiam, alia ad apologeticam spectantia, quae eruditissimum scriptorum Latinorum lectorem et imitatorem elegantissimum deprehendunt. Animo Christianus, orationis forma Latinus, etiam si quando nollet, Ciceronianus

Libri sacri qui dicuntur

quantum umquam alius fuit. Cum in sacris Hebraeorum libris Latine vertendis primus industriose elaboravisset, eos ponderosis commentariis multifariam illustravit. Huic nostro maximo tribuitur honori, quod libri ab eo non ineleganter translati ex Pontificum rescriptis Romanorum velut unum exemplar numeris omnibus expletum fidem faciens habentur.

XXXXV. Cum Hieronymo, ineunte saeculo Christiano quarto, exstitit et apud nos is ingenii praestantissimi vir, *Ambrosius*, archiepiscopus Mediolanensis, qui quasi cum probitatis atque virtutis, tum sapientiae lumine iacentem et prostratam Italorum doctrinam divinitus erigeret atque recrearet. Singulari in Deum pietate insignis, quam plurima ad religionem illustrandam conscripsit, quam plurima ad mores hominum pie ex Christi praeceptis castigandos vel sapientius ad summam virtutis perfectionem conformandos.

De officiis ministrorum

In libris laudabiliores sunt, qui « *De officiis ministrorum* » inscribuntur, copioso Ciceroniano dicendi genere exarati,

De poenitentia

et persuadendi suavitate referti etiam qui contra Novatium « *De poenitentia* » agunt, tum quos ad Marcellinam sororem

De virginibus

« *De virginibus* » misit. In his ceterisque non eloquentiae et rerum gravitas tantum inest, sed mellis suavitas, quam ex floribus depastis recentibus apes sedulae asportant. Ita etiam verba, quae ex veteribus scriptoribus scitissime pro aetate qua fuit depromit, barbarie aliqua vix alicubi infusa, sermonem vere Latinum cum sapiant, Romanum ex stirpe natum Romana deprehendunt.

XXXXVI. Eius discipulus, archiepiscopus Hipponensis, *Aurelius Augustinus* fuit, Tagastae in Numidia natus, qui multum ad rem Christianam decoris contulit et reconditis humanitatis sensibus, quibus ipse abundat, Christianorum litteras sacras explevit atque locupletavit. Singulari enim et prope divino praeditus ingenio, centum amplius libros genere et doctrina multum inter se diversos composuit, in quibus profecto rerum divinarum contemplatione summum

infirmis terricolarum mentibus datum gradum in scientiis disciplinisque iis attigisse videtur, quae cum sensus superent hominum versenturque in abstrusis atque in excelsioribus rebus, cogitatione una et intentione, homines quasi dii facti, consequimur. Vicit Augustinus, ni fallor, rerum divinarum contemplatione acutissimum quemque ad cogitandum in his tenebris ethnicum hominem Graecum vel Romanum, vicit Christianos. Legas attente, quidquid libet, sermones, epistolas, soliloquios; volve libros commenticios vel « *De civitate Dei* » celebratissimos, vel alios qui « *De doctrina Christiana* » sunt « *De Trinitate* » « *De gratia et libero arbitrio* » volve cetera quoque, si tibi placet, volumina; putabis, in pervolutandis chartis, suavissimis te iucundissimisque somniis uti, vel aeternam quandam in astris tibi mentem loqui atque tecum de rebus altissimis ratiocinari. Confer Augustinum cum scriptoribus ceteris: multos sane in his, qui eum verborum ornatibus praestent atque orationis elegantia superent, facile invenies; maiorem eo aut in sententiis grandiorem aut in in rebus illustriorem reperies neminem. Augustini enim sermo neque purus, neque elegans, sed pressus, plenus est et totus in rebus positus. Ceterum palam et dedita opera verborum lumina contemnit. « *Quanto minus* » ait « *nos laborare debemus de regulis derivandorum nominum, quando sive hoc sive illud dicimus, intelligitur sine ambiguitate quod dicitur: quorum non in expolitione sermonis sed in demonstratione veritatis est maior intentio* ». Sermone in libris Confessionum meliore utitur, quos ultimos memorare voluimus. Diversi enim a ceteris « *Confessionum libri* » sunt et in aureis gentium omnium scripturis ponendi. Natura enim Augustino dederat, ut humanitatis non parum haberet, quam de se ipso candide loquens in hominum utilitatem et gaudium copiose profunderet. Quae enim ipse in animo sentit, quaeque cum ceteris hominibus habet communia, vitae gaudium et taedium, rerum praeteritarum desiderium,

De civitate Dei

De turba syntagmatum

Aug. contra Cresc. 2, 1.

Confessionum libri

futurarum expectatio, aeternus humanitatis et doloris sensus infinitus, modo suaviter spirant in libris, modo cum singultu graviter fremunt. Singularis pietate et suavitate refertus locus est, quo matrem e terris ad superos discedentem describit.

Aug. Confess. IX. 10. et seqq.

PHILOLOGI GRAMMATICI RERUM NATURALIUM SCRIPTORES

XXXXVII. Secundo p. Chr. n. saeculo ineunte antiquitatis studia magnos progressus fecerunt. Eae morum atque litterarum condiciones erant, ut homines potius quam nova monumenta suo ingenio inventa ederent, necessitate impulsi ad perpendenda ea ducerentur, quae superioribus saeculis provenissent. Cum enim mentis animique vis defecerit, quae artium et litterarum una effectrix necessaria est, tunc eruditionis studia sua sponte quasi erumpunt et maxime vigent. Ceterum apud imperatores huius aetatis, philologi tantum, grammatici, rhetores, eruditi, cuiusque generis homines in honore erant, qui, cum industriam omnem vel in vitiis sermonis emendandis, vel in explicandis veterum poetarum carminibus, vel in tritissimis artis rhetoricae praeceptis tradendis, vel in colligendis totius antiquitatis notitiis, vel denique in assiduo et inani circa vocabula studio, naviter quidem sed sine ullo genuino admirationis sensu ponerent, nihil ad civium animos erigendos et in libertatem ciendos ex armis litterarum atque praesidio quaerebant. Multi cum diligentes antiquitatis pervestigatores exstiterint, omnium acerrimus et peracutus *Aulus Gellius*, qui sub Hadriano et Antonino Pio fuit. Romae cum magistros clarissimos, qui tunc temporis essent, Frontonem et Sulpicium Apollinarem audivisset, quo rerum omnium scientiam sibi compararet, Athenas profectus est, ibique aliquot annis in disciplina Favorini Tauri, aliorum philosophorum fuit. Romam reversus cum esset, causis civilibus iudicandis praefuit. Extrema

aetate Athenas cum se iterum contulisset, in doctissimorum hominum coetibus frequentissime versans ultimam operi addidit manum, quod multos ante annos inchoatum inter subselliorum curas ad finem perducere non potuerat.

XXXXVIII. In opere, quod « *Noctes Atticae* » inscribitur, quia longinquis, ut ipse ait, per hiemem noctibus in agro terrae Atticae commentationes suas facere orsus erat, via compendiaria, at eruditione abundans varium disciplinarum omnium pabulum praebet. Quae praecipua et memoria digna in auctoribus invenerat ad historiam, ad grammaticam, ad rhetoricam, ad sapientiam spectantia, ea omnia, nullo ordine quasi praestituto, in suos libros ita rettulit, ut non idem constanter fuerit dicendi genus. Frontonem tamen, qui in litteris illius aetatis dominabatur, cum sibi sequendum statuisset, in contrarium incidit errorem ; nam obsoletis verbis abutitur, nunc novis delectatur; et referendis in rebus suis quasi flumen inflatur et turgescit. Nihilominus maximi hodie a criticis opus habetur; etenim sapientiae et eruditionis cella quaedam penaria est, ex qua incredibile est quot notitiae erui possint ad dignoscendam omnem vetustatem utilissimae. Praeter ceteras praecipua operis laus est, quod multarum scripturarum, quae temporis lapsu aut hominum incuria et oblivione interciderunt, vel excerpta refert vel epitomas continet. Quae ratio in poetis imitandis habenda sit, ex Virgilii exemplo depromit itaque exponit: « *Quando ex poematis graecis vertendae imitandaeque sunt insignes sententiae, non semper aiunt enitendum ut omnia verba, in eum, in quem dicta sunt, modum vertamus. Perdunt enim gratiam pleraque, si quasi invita et recusantia violentius transferantur. Scite igitur et considerate Vergilius, cum aut Homeri aut Hesiodi aut Apollonii aut Callimachi aut Theocriti aut quorundam aliorum locos effingeret, partim reliquit, alia expressit. Sicut nuperrime, apud mensam, cum legerentur utraque simul Bucolica Theocriti et Vergilii, animadvertimus,*

Noctes Atticae

Gell. XX. Noct. Att. II.

reliquisse Vergilium quod Graecum quidem mire quam suave est, verti autem neque debuit neque potuit. Sed enim quod substituit pro eo, quod omiserat, non abest quin iucundius lepidiusque sit :

> Βάλλει καὶ μάλοισι τὸν αἰπόλον ἁ Κλεαρίστα.
> Τὰς αἶγας παρελᾶντα, καὶ ἁδύ τι ποππυλιάζει.
> *Malo me Galatea petit, lasciva puella :*
> *Et fugit ad salices et se cupit ante videri.*

XXXXIX. Cum Gellio complures eruditi, grammatici, critici, litterati homines floruerunt, in quibus memorandi sunt *Terentius Scaurus*, qui « *Commentarios* » in Plautum, in Horatium, in Virgilium composuit, praeterea nonnulla alia *ad poeticam et grammaticam* pertinentia; tum etiam *Calpurnius Flaccus*, cui libellus de scribendorum scientia vocabulorum tribuitur, quem ex Scauri opere deprompsit; tum *Sulpicius Apollinaris*, qui « *Argumenta* » Aeneidis in epitomem redegit libris praemittendam, qui praeterea omnes versuum condendorum leges in opere exposuit; tum secundo saeculo post Gellium *Suetonius Tranquillus*, cuius vitae unae Caesarum notissimae exstant; hic multos libros scripsit eruditione confertos, qui, ni evanuissent, multum ad rem litterariam conferrent; istorum primi decem desiderantur, quos « *Prata* » inscripserat, quod pabulum praeberent. Multitudo cum his libellorum eiusdem intercidit, in quorum duobus *de spectaculis atque certaminibus Romanis* agebatur; in totidem vero *de Roma eiusque institutionibus*, in tribus aliis *de regibus*, in octavo *de ludis Graecorum*, in nono *de rebus variis, de vestibus, de vitiis corporalibus* disputabatur. Erat eius liber quidam commenticius, in quo quendam Ciceronis librum animadversionibus illustrabat.

Commentarii in poetas

Prata

Libri de varia eruditione

L. Duobus posteris saeculis, praeter *Helenium Aeronem* et *Pomponium Porphyrionem*, utrumque Horatii scholiastas, illum etiam Terentii, praeter *Iulium Romanum*, *Pompeium*

Festum, *Iubam*, praeter alios, quorum quisque in re grammatica desudavit, alius alio paulo aetate posterior, *Censorinus*, *Nonius Marcellus*, *Plotius Sacerdos* fuerunt. Ille aureolum, qui nunc exstat, libellum « *De die natali* » conscripsit, in quo notitiae multorum auctorum et ex Graecis Latinisque loci ad verbum relati repperiuntur. Secundus Nonius opusculum de multiplici verborum significatione in abecedarium ordinem digestum composuit, quod « *Compendiosa doctrina per litteras* » inscribitur. Tertius vero Plotius in tres libros « *Artem grammaticam* » redegit, quorum priores tantum ad memoriam nostram pervenerunt.

De die natali

Compendiosa doctrina per litteras

Ars grammatica

LI. Doctissimus grammaticorum omnium magister, ita ut nomen per pronominationem grammaticam ipsam multos annos sonuerit, circa trecentesimum Christianum annum Romae floruit. Is *Aelius Donatus* ille fuit, ex cuius ludo divus Hieronymus profectus est. Rem grammaticam tribus ponderosis operibus scite atque litterate tractavit, quorum primum « *Ars sive editio prima de litteris, syllabis, pedibus et tonis* » inscribitur; alterum « *Ars sive editio secunda de partibus VIII orationis* » tertium « *De barbarismo, soloecismo, schematibus et tropis* ». Hic etiam Terentii fabulas comicas scholiis illustravit. *Charisius*, *Diomedes*, *Servius Honoratus*, *Claudius Donatus* notulis et animadversionibus Virgilianum poema locupletaverunt, quae exstant. In grammaticorum numero *Martianus Capella* est recensendus, in cuius libro *de nuptiis Philologiae et Minervae* multa repperiuntur ad disciplinam hanc spectantia.

Hieron. Apol. ad Ruf. I. 16.

Libri de rebus grammaticis

De nuptiis Philologiae et Minervae

LII. Postremo *Aurelius Macrobius Theodosius*, ultimus grammaticus, siquidem saeculo Christi quarto exeunte fuit, qui, eruditionis copiam ex Gellio cum surripuisset, *fur et simia* dictus est. « *Saturnalium conviviorum libros septem* » condidit, in quibus, cum disciplinas varias tractavisset, locos ex Graecis et Latinis auctoribus depromptos ad verbum fere transcripsit, vel enucleatim exposuit. Eius commentaria

Saturnalium conviviorum libri

ad philosophorum rationem exacta in *somnium Scipionis* hac etiam de causa memorantur, quod antequam A. Maius libros de republica invenit, somnium apud eum legebatur. In generibus aliis alii versati sunt. E rerum naturalium scriptoribus, qui tertio p. Chr. n. saeculo fuerunt, memoria digni sunt *Iulius Solinus*, qui Plinium secutus de variis rebus notabilibus libros collectaneos confecit, qui nomine uno « *Polyhistor* » inscribuntur; *Gargilius Martialis*, cuius singulare « *De oleribus et pomis* » opus exstat, in quo de nutrimentis oleorum et arborum de eorumque virtutibus agitur; *Caelius* ignotus quidam opsoniorum structor, cuius decem libri « *De re coquinaria* » supersunt.

Polyhistor

De oleribus et pomis

De re coquinaria

LIII. In saeculum quartum *Iulius Firmicus Maternus* incidit, qui « *Matheseos libros octo* » minus numeris, quam ineptiis neoplatonicis de siderum natura et motibus farciuntur. *Vegetii Renati* alter *Publius*, alter *Flavius* inciderunt; hic « *De re militari libros quattuor* » ille singularem de rebus veterinariis libellum « *De mulomedicina* » inscriptum evulgavit, qui unus de rebus huiuscemodi exstat; *Palladius Rutilius*, qui tritam rem rusticam nova rerum partitione et ordine quattuordecim in libris novare conatus est. In primo de tota agrorum colendorum arte praecepta impertitur, opera singulos in menses agenda in ceteris enumerat, in ultimo de insitionibus arborum poetice agit oratione usus numeris adstricta ad Virgilii imitationem.

Matheseos libri

De re militari

Mulomedicina

LIV. Scriptores rerum naturalium, qui extremis Latinarum litterarum annis fuerunt, in medendi arte fere omnes versati sunt. Prae ceteris *Priscianus Theodorus*, a grammatico probe distinguendus, qui apud aequales plurimum valuit; eius libri quinque « *Medicinae* » praesentaneae exstant horride atque sermone barbarie satis inquinato elucubrati. In minoribus inscribendi *Marcellus Empiricus*, Christianus, qui plura ex libris varie decerpta in opellam «*De medicamentis*» redegit; *Caelius Aurelianus*, qui in libris aliis « *Tardas passiones* »

Medicinae libri

Tardae et celeres passiones

in aliis « *Celeres* » descripsit; demum *Cassius Felix*, qui libellum « *De medicina* » evulgavit compendiarum. Cum his etiam *Vibius Sequester* fuit, qui in commoditatem omnium tabulas nominum *fluminum*, *fontium*, *lacuum*, *nemorum*, *montium*, *gentium* abecedarium in ordinem confecit. Ut rem aridam et siccam et gravem variaret, locos et versus poetarum rettulit, quos in eorum carminibus invenerat. Per id tempus « ὁδοιπορικοί » libri scripti sunt, qui « *Itineraria* » nuncupantur. In his ad viatorum usum, itinerum descriptiones diversa ratione exaratae continebantur; aliae nomina locorum tantum notabant et longitudines, aliae terrarum conformationem per tabulas pictas exhibebant.

De medicamentis

Itineraria

DE IURIS PRUDENTIA

LV. Habuit haec aetas litterarum Latinarum postrema singularem et summam, inquam, laudem in perfecta iuris disciplina, quam ab incunabulis fere reipublicae ex legibus duodecim tabularum interpretandis explanandisque ortam, tot continenter saecula numquam intermiserant Romani. Cum cetera omnia, artes, litterae, decus senatus et dignitas et populi libertas, una cum re publica, in extremo emetiendo spatio citius corruerent et frangerentur, una iuris et legum scientia ex corruptione et communi fato se eripuit. Iurisperitorum turba, quasi artifices eundem ad finem operam navantes alter alterius ignarus, connectendis aequandisque legibus se dediderunt, qui ex infinita rerum congerie, bono caemento adhibito, solidum quoddam quasi Romanorum sapientiae aedificium hominibus commune extruxerunt, mirabilibus lineis ordinibusque decoratum, solidis fundamentis arcubusque innisum, quod mole sua immani et ad patriam architecturam rotundum gentes in admirationem hodie quoque trahit vel terrore concutit quasi divino.

LVI. Secundo igitur p. Chr. n. saeculo, tamquam insignia ingenii lumina, plures et doctissimi homines exstiterunt, qui ex patria institutione novam iuri cuncto dignitatem attulerunt. In his aetate primus *Salvius Iulianus*, ex nobili apud Mediolanos familia oriundus, qui propter sapientiam suam cum Urbis praefecturam esset consecutus cumque bis consulatum gessisset, his in muneribus perfungendis, quam iuris notitiam a Iaboleno magistro acceperat, tantam tamque praeclaram in se esse ostendit, ut ab Hadriano sapientissimo principe in unum corpus legum multitudinem et edictorum redigere iussus sit. Mira industria et peritia usus, infinitam legum variarum quasi silvam concinnum in ordinem atque certos in titulos distribuit, ut eandem ad descriptionem *Codex Iustinianeus* exprimeretur. Ex collectis hinc inde legibus

Edictum perpetuum

« *Edictum perpetuum* » conflavit, quod caput et quasi iuris principium mansit. Huic, quo magis perspicua et magis plana interpretatio legum fieret «*Digestorum XC libros*» quaestionibus abstrusis inter seque diversis refertos adiecit. Vir hic insignis sub Commodo imperatore, quod immanitatis monstrum fuit, cum viris aliis clarissimis est perfide caesus.

LVII. Cum Iuliano *Sextus Pomponius* quamquam aetate minor fuit, cuius in Pandectis Iustinianeis libellus adiectus invenitur iurisperitorum notitiis memoria dignis abundans; ceterorum librorum pondere atque auctoritate probabilium in Digestis fragmenta servantur; post aliquot annos *Ulpius Marcellus*, *Cervidius Scaevola*, qui *coryphaeus* legum appellatur, *T. Caius* fuerunt, quorum in Digestis multa operum innumerabilium fragmenta repperiuntur. Istius supersunt

Institutionum libri

integri « *Institutionum libri V* » uni ex scripturis aetatis, qui ad nos pervenerunt. Primus ius tripertitum nobis exhibet: « *Omne ius* » ait « *quo utimur, vel ad personas pertinet, vel ad res, vel ad actiones* » idque ex ordine in libris exponit.

LVIII. Ex Cervidii Scaevolae disciplina profectus est *Aemilius Papinianus*, quem *iuris asylum et doctrinae legalis*

thesaurum Spartianus appellat; eius nomen ἀντονομαστικῶς ius significat. Infinitam voluminibus ponderosis refertam bibliothecam confecit, insignia « *Quaestiones* » et « *Responsa* » erant, primae triginta septem, secunda undeviginti libris collecta. Quanta eius ingenii vis atque iuris scientia fuerit, quanta in sententiis ferendis iudicii subtilitas, cum multis causis aliis colligi possit, ex hac una maxime patet, quod Theodosius, qui centum quinquaginta post eum annis fuit, sanctum hoc ratumque voluit, ut si discrepantes iurisconsultorum sententiae invenirentur, ea verior existimaretur vel probabilior, in quam ille inclinavisset. Vir hic insignis a Caracalla, incestuoso, parricida, crudelissimo imperatore, gladiis obiectus est militum et securi percussus. Papiniani ex umbraculis collegae et discipuli in iure interpretando egregii prodierunt, qui Papinianistae appellati sunt; in illis *Domitius Ulpianus* atque *Iulius Paulus*, quorum primus « *Regularum librum singularem* » et « *Institutiones* » scripsit; alter « *Sententiarum libros* ». Utriusque in Digestis innumerabiles loci referuntur.

Spart. Sev. 21.

Quaestiones Responsorum libri

Regularum liber

Sententiarum libri

LIX. In minoribus eodem tempore, quasi ex istorum sermonibus nati, in aliqua saltem iuris parte laudabiles, *Alfenus iunior*, *Proculus*, *Tarruntius Paternus*, *Terentius Clemens*, *Menander*, *Papyrius Fronto*, *Ruffinus*, *Publius Furius Anthius*, alii. *Herennius Modestinus* autem, qui Caracalla et Alexandro Severo imperantibus fuit, cum iurisperitis numerandus est maximis, ob multitudinem librorum, quos ex *Codicibus Iustinianeis* constat scripsisse. In hunc iurisperitorum desiit fere ordo; qui enim post eum fuerunt, cum ius divinum, humanum, publicum, quod situm in hominum societate est, tum privatum et particulare, quod ex naturae praeceptis est, aut ex usu gentium nascitur, pro humanitate Romanorum pertractatum esset et illustratum, iurisperiti, divinantes quasi instantem rerum ruinam, in codicibus conficiendis festinanter versati sunt, ne tanta legum

mole posterorum memoriae privarentur. Ex Diocletiani temporibus *Gregorianus*, nomine tantum nec alicunde notus, exstitit, qui leges in codicem redegit, ex eo *Gregorianum* appellatum. *Hermogenianus* paulo post provenit, qui alium codicem, *Hermogenianum* nuncupatum, condidit. Denique sub Theodosio ex latibulis ignotus Christi assecla exstitit, qui Christianorum principum leges, rescripta, constitutiones corpus in unum redegit; codex tertius hic a Theodosio nomen *Theodosianum* invenit.

Codex Gregorianus

Hermogenianus

Codex Theodosianus

LX. Res, quae prae manibus est, me etiam nolentem ex libellorum finibus, quos cum litterarum Latinarum aetates describerem quasi terminos mihi non transeundos proposui, ad paulo longius procedendum hortatur et impellit. Quinto enim saeculo p. Chr. n. *Iustinianus* fuit, qui, ex tribus unum codicem fieri iussit, ideo « *Iustinianeum* » appellatum. Idem non ita multo post edicta fere infinita, quae provinciis in administrandis praetores, quaestores, proconsules renuntiavissent, sententias, quae in iudiciis latae essent, responsa clarorum triginta septem iurisperitorum et opiniones, cum corpus in unum similiter componenda eaque, quod varias et promiscuas quaestiones tractarent « *Pandectas* » dicendas curavisset, codici suo addidit, quae legum vim ipsarum et naturam explicarent, quae certa essent norma ad dubia per ius publice interpetranda. Commentationem quandam aliquot post annos codici praemitti voluit, quae ad rationem scientiarum iuris totius fontes et capita indicaret, ex quibus quasi perenne flumen quoddam leges hominum et societas scaturiunt, eandemque « *Institutiones* » appellandam decrevit. Leges novas, quae interdum essent latae, in unum item redactas corpus colligi voluit easdemque dici « *Novellas* ». Simile quid, alio in genere, apud gentes Graecas contigit; epica carmina, quae dicuntur Homerica, conformationem, quam nunc habent nec non definitam connexionem partium et convenientiam, quibus mirabiliter illustrantur, non ante

Codex Iustinianeus

Pandectae

Institutiones

Novellae

auream Pisistrati aetatem invenisse, cum tot sint argumenta id ad perspicuitatem probantia, nemo est qui iure in dubium possit revocare. Equidem, etsi nonnullos esse sciam, qui in sententiam suam perseverent unum eundemque poetam utrumque poema et partes utriusque ita ementitum esse affirmantem, ut nunc sunt, ad opinionem illorum inclino, qui carmina singulis a poetis singula inventa fuisse et dissipata, dispersa, incerta per ora hominum vagantia quibusdam ab hominibus contexta esse reputant, ne certa a via iter per saecula agentia aberrarent neve pulchritudinem amitterent suam. Pisistrati iussu, antiquitate tota testante, ex diversis carminibus mirificum confectum poema. Istius Iustinianus laudi aemulatus est, nec voluit. Quas leges Romani tulerunt, quae iura ceteris gentibus dedere, quae sive publica sive privata instituta sapienter condiderunt, imperatorum rescripta, annotationes, epistulas, ea, ne maiorum sapientia posteritas privaretur, undique ad usum populorum et commoditatem collecta libris immortalitate dignis commissa extrema litterarum aetate Iustinianus per iurisperitos in codices exigenda decrevit. Nimirum aetates antiquorum populorum, cuius e fabulis epicis celeritate mentis Graecorum nata humanitas et per litteras et artes ad cultum omnem promota, in orbem conclusit militari quasi lapide iuris sapientia signatum.

INDEX AUCTORUM ABECEDARIUS

PROSPECTUS RERUM

INDEX AUCTORUM ABECEDARIUS

Accius L. 77-79
Acilius C. 88
Aelius L. Preconinus Stilo . 113,115
Aelius L. Stilo 105
Aelius P. Paetus 110
Aelius Sex. 101
Aelius Sex. Paetus 110
Aemilius L. Paulus 103
Aemilius M. Scaurus . . . 98
Aemilius M. Scaurus Narb. . 441
Aesopus 144
Aetna 420
Afranius L. 72
Agrippa Vipsanius 358,365
Albinovanus C. Pedo . . . 344,414
Albinus A. 103
Albinus A. Postumius . . . 89
Albucius C. Silus 442
Alfenus iunior 507
Alfenus P. Varus 359
Amafinius 246
Ambrosius. 475,498
Ammianus Marcellinus . . . 485
Ampelius L. 483
Andronicus Livius 42-45
Annales Maximi 24
Antistius P. 105
Antonius Iulius 346
Antonius M. orator 106
Apicius M. 458
Ἀποκολοκύντωσις 381-386
Appius Claudius Caecus . . . 32-34
Appius Claudius Pulcher . . 105
Appuleius Lucius . . 488-491,494
Aquila Romanus 491
Aquilius 71
Aquilius C. Gallus 358
Archelaus 116
Arruntius L. 358
Arruntius L. Stella 415
Arvale carmen 12
Asconius Q. Pedianus . . . 456
Asper Aemilius 457
Ateius Capito 360
Ateius L. Praetextatus . . . 363
Atellanae fabulae 15,71,73
Atilius L. 71
Atilius L. sapiens 110
Atta T. Quintius 72,86
Atticus T. Pomponius . . . 168
Aufidius Bassus 423
Aufidius Cn. 89
Augurinus Sentius 415
Augustinus Aurelius 498
Augustus Octavianus . 346,358,362
Aurelius M. Antonius . . . 493
Aurelius Opilius 116
Aurelius C. Oresta 104
Aurelius L. Oresta 104
Ausonius D. Magnus 471
Avianus Flavius 479
Avienus Rufius Festus . . 464,478
Avitus Alfius 464
Axamenta 12

Balbus 459
Balbus L. Cornelius 184
Balbus L. Lucilius 358
Balbus T. Ampius 167
Barea Soranus 450
Bassus 344
Bassus Caesius 415,419
Bassus Saleius 414
Bathyllus 145
Bibaculus M. Furius . . . 124,152
Blossius C. 113
Brutus L. Iunius 31
Brutus M. Iunius 218
Bucco 16
Caecilius Q. Epirota 263
Caelius 504
Caelius Aurelianus 504
Caelius L. Antipater 96
Caelius Rufus 216
Caesar C. Iulius . 125,126,169-186
Caesius Bassus 419
Caestius L. Pius 442
Caius T. 506
Calidius M. 213
Caligola 442
Calvus C. Licinius 131
Calvus C. Licinius Macer. 152,166,214
Camerinus 342
Canus Iulius 450
Capella Martianus Mineus . 479,503
Capito Ateius 360
Capitolinus Iulius 484
Carvilius Sp. Ruga 115
Cascellius A. 361
Cassicius L. 364
Cassius Felix 505
Cassius Longinus 458
Cassius L. Hemina 96
Cassius Dionysius Uticensis . 118
Cassius Severus 362
Catius 246
Cato Licinianus 111
Cato M. Porcius 89-95,111
Cato Valerius 151
Catullus C. Valerius . . . 154-164
Celsus A. Cornelius 458
Censorinus 503
Censorinus C. 213
Charisius 503
Charus 342
Cicero M. Tullius. . 126,221-263
Cincius L. 363
Cincius L. Alimentus . . . 88
Cinna C. Helvius 130,153
Claudianus Claudius 467
Claudius imperator . . . 442,456
Claudius 89
Claudius Mamertinus. . . . 491
Claudius Quadrigarius . . . 167
Clodius 97
Codrus 344
Columella Iunius Moderatus . 420
Commentarii regii 23
Convivalia carmina 9
Cornelius Cethegus 102
Cornelius Cn. Gallus . . 319-321
Cornelius Nepos . . 153,191-197
Cornelius Severus 344
Cornificia. 153
Cornificius 153
Cornutus L. Annaeus . . . 450
Coruncanius Ti. 31
Cosconius Q. 115
Cotta C. Aurelius. 105
Cotta L. 103
Crassidius L. 363
Crassus L. Licinius 106
Crassus M. Licinius Dives . . 213
Crassus P. 102
Crassus P. Licinius 105

Crassus P. Licinius Dives . . 111
Crates Mallotes. 114
Cremutius Cordus. 421
Curius M. 31
Curtius Q. Rufus 425
Diomedes. 503
Domitianus 414
Domitius Marsus 343
Donatus Aelius 503
Donatus Claudius 508
Dossennus 16
Drusus C. Livius 112
Drusus M. Livius orator . . 105
Egnatius 132
Egnatius P. Celer. . . . 450
Elvidius Priscus 450
Ennius Q. 54-62
Eumenius 491
Eutropius. 484
Fabianus Papirius. . . . 364
Fabius Q. Maximus . . 101
Fabius Q. Pictor. 87
Fabius Q. Servilianus . . . 96
Fabius Serv. Pictor 103
Fabricius C. 31
Fannius C. 96
Fannius C. Strabo . . . 105
Fasti 23
Faustus 418
Fenestella 358
Fescennini versus. 14
Festus Pompeius 502
Festus Rufius 484
Firmicus Iulius Maternus . . 504
Flaminius C. 102
Flavius Caper 457
Flavius Merobaudes 466
Frontinus Sex Iulius. . . . 458
Florus Annaeus Iulius . . . 483
Fortunatianus Curius. . . . 492
Fronto M. Cornelius 487
Fulvius Serv. 103
Fundanius 347
Funebria carmina. 10
Furius A. Antias 84, 149
Furius P. Anthius. 507
Galba Ser 103
Gargilius Martialis . . 504
Gellius Aulus 500
Gellius Cn. 97
Germanicus Claudius. . . . 418
Glabrio M. 213
Gnipho M. Antonius 363
Gordianus 464
Gracchi Ti. et C. 104
Gracchus Gracchorum pater . 103
Gracchus Sempronius . . . 348
Gratius [Faliscus ?] 346
Gregorianus 508
Hermogenianus. 508
Hieronymus 485,497
Hilarianus Q. Iulius. . . 485
Hirtius A. 184
Horatius Q. Flaccus . . . 300-321
Hortensius Hortalus . . . 167,219
Hostius 84
Hyginus 458
Hyginus C. Iulius. . . . 358, 364
Ilias Latina. 407
Indigitamenta 12
Iuba 503
Iulianus Salvius 506
Iustinianus 508
Iuvenalis D. Iunius . . . 388-393
Iuvencus Aquilinus 465
Labeo M. Antistius 361
Laberius D. 144-147
Labienus T. 362
Lactantius. 496
Laelius C.. 103

Laevius 150
Lampridius Aelius 484
Largus. 342
Latro M. Porcius 442
Laudationes mortuorum . . 27,29
Leges XII tabularum . . . 21
Leges regiae 17
Lentulus Cn. Corn. Marc. . 213
Lentulus L. 103
Lentulus L. Corn. Crus . . 213
Lentulus P. Corn. Marc. . . 213
Lentulus P. Corn. Spinther . 213
Lentulus P. Corn. Sura . . 213
Lex de perduellione 18
Libri lintei 24
Libri pontificum 23
Licinianus Granius Flaccus . 483
Licinius C. 152
Licinius Imbrex 71
Livius Titus 348-357
Lucanus M. Annaeus . . 398-403
Lucilius C. 79-83
Lucretius T. Carus . . . 132-144
Lucullus L. Licinius 89
Lupus 342
Luscius Lavinius 71
Luscus T. Annius 103
Lutatius Q. Catulus . . . 86,100
Macer Aemilius 346
Macer Iliacus 342
Maccus 15
Macrobius 503
Mamilius Sura 118
Manilius M. orator 111
Manilius M. poeta 419
Marcellus Empiricus . . . 504
Marcellus Eprius 441
Marcellus Pomponius . . . 456
Marcius C. Figulus 111
Marius Maximus 483
Martialis M. Valerius . . 393-398
Masurius Sabinus 457
Matius 84,85,149
Mela Pomponius 459
Melissus 347
Memmius C. 153
Menander 507
Menippeae satirae . . . 163-165
Messalla M. Valer. Corvinus . 358
Messalla Valer. Rufus . . 358
Messalla Valer. orator . . . 362
Messius Arusianus 492
Metellus Celer 213
Metellus Nepos 213
Metellus Q. Caecilius . . . 101
Metellus Q. Caecilius Maced. . 103
Mimi 15
Minucius Felix 495
Modestinus Herennius . . . 507
Modestus Iulius 455
Montanus Iulius 345
Montanus Votienus . . . 441
Mummii fratres L. et Sp. . . 104
Musa Antonius 364
Musonius C. Rufus 450
Nazarius 491
Naevius Cn. 45-48
Nemesianus Olympius . . . 478
Neniae 10
Nepotianus Ianuarius . . . 425
Neratius Priscus 458
Nero 414
Nerva Caesar 415
Nigidius P. Figulus . . . 190,364
Ninnius Crassus 85,149
Nobilior M. Fulvius 111
Nobilior Q. 103
Nonius Marcellus 503
Novius 73
Obsequens Iulius 484

Occentationes 13,14
Octavia 417
Octavius Lampadio . . . 116
Ofilius A. 359
Oppius C. 184
Orbilius L. Pupillus 363
Orosius Paulus 485
Ovidius P. Naso 330-341
Pacatus Drepanius 491
Paccius 418
Pacuvius M. 74-77
Palladius Rutilius . . . 504
Pantomimi 15
Papinianus Aemilius . . . 506
Papirius C. Carbo 105
Pappus 16
Papyrius Fronto 507
Paris Iulius 425
Passennus Paulus 415
Paulinus Burdigalensis . . . 467
Paulinus Nolanus 474
Paulinus Petrocoriensis . . 467
Paulus Iulius 507
Periochae 351
Persius A. Flaccus . . . 386-388
Pervigilium Veneris 474
Petronius Arbiter 377-381
Phaedrus 374-377
Piso Calpurnius 415
Piso Calpurnius Frugi. . . 95,105
Planipediae fabulae 71
Plautius 71
Plautus M. Accius 48-54
Plautus Rubellius 450
Plinius Caec. Iunior 446
Plinius Caec. Maior . . . 426-432
Plotius Gallus 116
Plotius Sacerdos 503
Pollio C. Asinius . . 168,215,362
Pompeius Saturninus 415
Pomponius 73
Pomponius Cn. 105
Pomponius Secundus . . . 418
Pomponius Sex. 118
Pomponius Sex. iuriscons . . 506
Ponticus 342
Popilii G. et P. 104
Porcius Licinius. 85
Porphyrio Pomponius . . . 502
Togatae fabulae 71
Priscianus Theodorus . . . 504
Proba Falconia 465
Proculus 507
Proculus Sempronius 458
Propertius Sex. Aurelius. . 326-329
Prudentius Aur. Clemens . . 476
Pupius 348
Pylades 145
Quintilianus M. Fabius . . 443-446
Rabirius 246, 344
Rhemnius Q. Palaemon. . . 456
Rhetorica ad Herennium . . 116
Reposianus 465
Romanus Iulius. 502
Rubrenus 418
Rufinianus Iulius 492
Rutilius Namatianus 480
Rutilius P. Rufus . . . 89,99,111
Sabinus Tiro 364
Saliaria carmina 11
Sallustius C. Crispus . . . 197-213
Sallustius Cn. 132
Santra 362
Sasernae pater et filius . . . 118
Scaevola P. Mucius 112
Scaevola Q. Mucius augur . 105,112
Scaevola Q. Mucius pontifex 106,112
Scaevola Cervidius 506
Scaevus Memor 418
Scipio P. Corn. Afr. Maior. . 102

Scipio P. Corn. Afr. Maioris filius 89
Scipio P. Corn. Afric. Minor . 103
Scipio P. Corn. Nasica Corc. . 103
Scipio P. Corn. Nasica . . . 110
Scribonius Aphrodisius . . . 362
Scribonius Largus 458
Sedulius Caelius. 466
Sempronius Asellio 96
Seneca . . . 381-388,415,451-455
Seneca M. Annaeus rhetor . 442
Sequester Vibius 505
Serenus Sammonicus 477
Servilius Nonianus. 428
Servius Honoratus 503
Servius Nicanor 116
Sextii 364
Siculus Flaccus 459
Sidonius P. Apollinaris . . . 466
Silanus D. 118
Silius Italicus 404-407
Sinnius Capito 362
Sisenna Cornelius 166
Solinus Iulius 504
Sordinus 418
Spartianus Aelius 484
Statius Caecilius 62-65
Statius P. Papinius . . 411-414
Strabo C. I. Caesar. . . 79, 105
Suetonius 481, 502
Suevius 150
Suillius P. 441
Sulla L. Cornelius. . . . 100, 166
Sulpicia 415, 421
Sulpicius C. Gallus . . . 103, 118
Sulpicius P. Rufus 106
Sulpicius Ser. Rufus. . . . 359
Sulpicius Severus 485
Symmachus Q. Aurelius . . . 492
Syrus P. 144-148
Tabernariae fabulae. . . 71
Tabulae censoriae. 24
Tacitus P. Cornelius . . . 432-440
Tarquinius Priscus 118
Tarruntius Paternus . . . 507
Tarutius Lucius 365
Terentianus Maurus 477
Terentius Clemens 507
Terentius P. Afer. 65-70
Terentius Scaurus. 502
Tertullianus 495
Thrasea Paetus. 450
Tiberius 415, 442
Tibullus Albius 321-326
Ticida 153
Titinius 72
Titius C. 79
Tituli in marmore inscripti . 86
Torquatus L. 213
Trabea 70
Trebatius C. Testa 36
Trabellius Pollio 484
Trebonius Niger 118
Tremellius Scrofa 118
Triumphalia carmina . . . 10
Trogus Pompeius 357, 364
Tubero Q. Aelius 105, 113
Tubero Q. Aelius 360
Tuditanus Sempronius . . . 97
Tuditanus C. 104
Turnus 421
Turpilius Sex. 71
Turranius 348
Turranius Gracilis 118
Turranius Rufinus 485
Ulpianus Domitius 507
Ulpius Marcellus 506
Valerius mimographus . . 144-149
Valerius Aedituus. 149
Valerius Flaccus 407-410
Valerius L. Potitus 31

Valerius M. dictator. . . . 31
Valerius M. Probus 456
Valerius Maximus. 424
Valerius Q. Antias . . . 167
Valerius Q. Soranus 85
Valgius Rufus 344
Varius L. Rufus 348
Varius Q. 105
Varro C. 102
Varro Terentius Reat. 163,186-191
Varro P. Terentius Atacinus . 128
Vegeti Renati P. et Fl.. . . 504
Velius Longus 457
Velleius Paterculus 423
Vennonius 97
Vergilius Romanus . . . 418
Verrius M. Flaccus . . . 358
Vespa 465
Vestricius Spurinna . . 415
Vettius Philocomus 116
Victor Aurelius. 488
Victor Marius. Cl. 466
Victor Sulpicius 492
Virgilius P. Maro 263-298
Virginius Rufus 415
Vitellius P. 441
Vitruvius Pollio 365
Volcacius Sedigitus 365
Vopiscus Flavius 84
Vulcatius Gallicanus 484

PROSPECTUS RERUM

Ad Henricum Cocchium

LIBER PRIMUS

Litterarum Latinarum tempora . . pag. 1

De Romanorum rebus prima aetate gestis . » 5

De Latini sermonis origine atque natura. . . . . » 7

De antiquissimis epicorum carminum vestigiis . . . » 9

De exordiis carminum lyricorum . . . . » 11

De satirarum et fabularum scaenicarum elementis. . . » 13

De oratione soluta deque primis legibus. . . . . . » 17

De tabulis rerum gestarum et libris. . . . . . . » 22

De incunabulis eloquentiae . . . . » 28

Appius Claudius Caecus . . . . » 32

LIBER SECUNDUS

De rebus a Romanis in adulescentia gestis . » 35

Livius Andronicus . . . . » 42

Cn. Naevius . . . . » 45

M. Accius Plautus . . . . » 48

Q. Ennius . . . . » 54

Caecilius Statius. . . . . » 62

P. Terentius Afer . . . . » 65

Minores fabularum scriptores . . . . » 70

M. Pacuvius et L. Accius. . . . . » 74

C. Lucilius. . . . . » 79

Poetae minores. . . . . » 83

Vetustiores rerum narratores . . . . » 87

M. Porcius Cato . . . . » 89

Primi rerum scriptores . . . . » 95

Commentariorum auctores. . . . . » 98

Oratorum tabula . . . . » 101
Explanatores legum iurisconsulti sapientes viri » 109
Litterati rhetores rerum naturalium scriptores » 114

LIBER TERTIUS

De iactatis reipublicae fortunis deque initiis imperii . » 119

Poetae epici Ciceronis memoriae . . . . » 124
T. Lucretius Carus . . . . » 132
D. Laberius et P. Syrus mimographi . . . . . . » 144
Poetae lyrici minores . . . . » 149
C. Valerius Catullus . . . . » 154
Satirae Menippeae . . . . » 163
Rerum scriptores Ciceronis memoriae . . . . . . » 165
C. Iulius Caesar . . . . » 169
M. Terentius Varro Reatinus . . . . » 186
Cornelius Nepos . . . . » 191
C. Crispus Sallustius . . . . » 197
Oratores Ciceronis aequales . . . . » 213
M. Tullius Cicero . . . . » 221
Publius Virgilius Maro . . . . » 263
Virgiliana minora et adventicia . . . . » 298
Q. Horatius Flaccus . . . . » 300
Cn. Cornelius Gallus . . . . » 319
Albius Tibullus . . . . » 321
Sex. Aurelius Propertius . . . . » 326
P. Ovidius Naso . . . . » 330
Poetae Augusti memoriae minores . . . . . . » 341
Titus Livius . . . . » 348
Minores rerum scriptores . . . . » 357
Iuris et sapientiae scriptores oratores . . . . . . » 358
Grammatici philosophi rerum variarum scriptores . . . » 362

LIBER QUARTUS

De Urbis condicione sub potestate imperatoria . . » 369

De Aesopianis Phaedri fubulis . . . . » 374
De carminibus satiricis . . . . » 377
A. Persius Flaccus . . . . » 386
Decimus Iunius Iuvenalis . . . . » 388

M. Valerius Martialis . . . » 393
M. Annaeus Lucanus . . . . . . » 398
Silius Italicus . . . . » 404
C. Valerius Flaccus Setinus . . . . . . » 407
P. Papinius Statius . . . . » 411
Poetae minores aetatis argenteae . . . . . » 414
Rerum scriptores . . . . » 421
C. Plinius Caecilius Secundus Maior . . . . » 426
P. Cornelius Tacitus . . . . » 432
Oratores et rhetores . . . . » 441
M. Fabius Quintilianus et C. Plinius Caecilius Secundus . » 443
Sapientes viri philosophique Seneca . . . . . . » 449
De grammaticis ceterisque disciplinis . . . . . . » 455

LIBER QUINTUS

De imperii statu ad extremam fortunam afflicto . » 461

De epicis carminibus . . . . » 463
De lyricis poetis . , ... » 471
De carminibus ad docendum aptis . . . . . . » 477
De rerum scriptoribus . . . . » 481
Rhetores . . . . » 486
Ethnici philosophi . . . . » 493
Christianae sapientiae scriptores . . . . » 495
Philosophi grammatici rerum naturalium scriptores . . » 500
De iurisprudentia . . . . » 505

Exemplar litterulis plumbeis, Andrea Murgo e Pauperum Servis moderante, transcripserunt Cincetta Franciscus *Suavis*, De Luca Salvator *Tacitus*, Di Mitri Marius *Celer*, Giovencus Franciscus Paulus *Athleticus*, Mineus Antonius *Tenax*, Mazzamuto Antonius *Testa*, Misuraca Vincentius *Niger*, Sucameli Carolus *Velox*; mendis purgaverunt Baglio Humbertus Τεχνικός, Bracconeri Caietanus *Pulcher*; pagellas Basile Caietanus Πολυγραφότατος in ordinem digessit; Vitranus Octavius *Drepanitanus* excudit; Perez Iohannes *Ventriculosus* pagellas diripuit; volumen Patti Alfredus *Sapiens* consuit.